




1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE


UNIVERSITY OF MICHIGAN

IO. IACOBI GRIESBACHII

OPUSCULA ACADEMICA.

EDIDIT

IO. PHILIPPUS GABLER.

VOLUMEN II.

IENAE,
SUMTIBUS ET TYPIS FR. FROMMANNI.
MDCCCXXV.

Conspectus Vol. II.

Subscribenten-Verzeichniſs.

(Diejenigen Buchhandlungen, welche nicht über 2 Expl. gebraucht haben, sind nicht mit aufgeführt.)

	Anzahl der Expl.
Altona.	
durch die Herrn Perthes und Besser in Hamburg	
Herr Nicolaus Funk, Compastor und Ritter vom Danebrog	1
Amsterdam.	
— Müller und Comp., Buchhändler. . .	11
— Sülpke, Buchhändler.	3
Basel.	
durch Herrn G. Neukirch, Buchhändler:	
— Professor Buxtorf; — Pfarrer Herzog; — Professor Dr. Merian; — — — de Wette } Griesbach's Zuhörer von 1800 — 1803. . .	4
— Auſserdem	2
Berlin.	
durch die Nicolai'sche Buchhandlung:	
— G. C. B. Ritschl, Doctor d. Theologie und Philosophie, Königl. Consistorialrath und Prediger an der Marienkirche, G. Z. in den Jahren 1801 u. 1802. . .	1
Dieselbe Buchhandlung auſserdem . .	3
Bonn.	
— E. Weber, Buchhändler	6
Braunschweig.	
durch die Schulbuchhandlung	
— L. F. A. Hoffmeister, Generalsuperintendent und Pastor zu St. Petri, Ritter d. Guelfenordens, G. Z. v. 1796—1798.	1
Dieselbe Buchhandlung auſserdem . . .	2

Rudolstadt.	A. d. E.
die Hofbuchhandlung.	3
Stuttgart.	
die Herrn Löflund und Sohn Buchhändler, . .	5
Travemünde.	
durch Herrn F. Aschenfeldt in Lübeck	
Herr F. J. Hasse, Hauptpastor, G. Z. v. 1782 —1786.	1
Tübingen.	
— H. Laupp, Buchhändler.	4
— Osiander, Buchhändler.	3
Wien.	
— F. Volke, Buchhändler.	4
Zürich.	
die Herrn Orell, Füfsli et Comp. Buchh. . .	3
durch die Herrn Ziegler und Söhne, Buchh.	
Herr Archidiaconus Cramer.	7
Aufserdem.	1

Praefatio.

Alterum hoc opusculorum *Griesbachii* academicorum volumen plurimas b. viri commentationes continet. Primum locum occupat commentatio, ipsa omnium facile princeps, quae inscribitur *Curarum in historiam textus graeci epistolarum Pauli specimen I.*, duabus quidem partibus constans, quarum priorem defendit *Griesbachius* pro obtinendis summis in theologia honoribus, posteriorem autem pro impetrando loco in Ordine Theologorum Ienensium A. C. MDCCLXXVII. — Haud quidem defuere viri docti, qui iam antea eiusmodi historiam textus N. T. elaborarent, inter quos eminebant *Richardus Simonius* atque *Io. Millius* in Prolegomenis ad editionem N. T. criticam, quorumque curis sedulo utebatur *Griesbachius*. Sed novam hic tentabat viam ad perficiendam historiam textus N. T. detegendasque inprimis variarum *recensionum*, quas vocant, origines, atque constituendas redigendasque earum fami-

lias. Quantam operam adhibuerit, quantaque usus sit vir perspicacissimus iudicandi subtilitate in pertexenda hac historia textus N. T., inter omnes constat; nec est, quod viam ac rationem, quam in hoc negotio critico secutus est *Griesbachius*, copiosius hic describam, quum ipse uberiorem argumenti huius commentationis conspectum praemiserit. — Substitit quidem vir doctissimus in edendo primo hoc specimine, nec prodiit specimen *secundum*, quod ex promisso b. viri in praemisso conspectu dato exhiberet tam accuratam descriptionem duarum recensionum omnium antiquissimarum, *alexandrinae* scilicet atque *occidentalis*, nec non codicum calamo exaratorum, versionum antiquarum et Patrum ad utramque recensionem antiquissimam pertinentium, quam novam criseos sacrae theoriam historicis observationibus suffultam, cuius ad leges et regulas examinandae essent recensiones vetustae et comparandae tum inter se, tum cum textu hodierno. Veruntamen rem ipsam haud deseruit vir celeberrimus; totum potius hoc argumentum accuratius pertractavit tum in *symbolis criticis* duobus voluminibus comprehensis, tum in *Prolegomenis* editioni criticae N. T. prae-

missis. Quare mirum non est, tum hanc commentationem, quae curas in historiam textus epistolarum Paulinarum exhibet, tum ipsam editionem criticam *N. T.* graeci, inprimis secundis curis amplificatam cum eximio peritorum plausu fuisse exceptam non modo in Germania, verum etiam ab exteris. Penetravit enim *Griesbachius* altius in primas variarum textus graeci lectionum origines atque singulas librorum manu scriptorum versionum antiquarum et Patrum familias. Unde, detectis multis *textus recepti*, h. e. *Elseviriani*, vitiis et reiectis falsis *Mastrichtii*, *Wolfii*, aliorumque canonibus criticis, novam, eamque observationibus historicis superstructam, theoriam criseos sacrae elicuit, qua genuina lectionis *veritas* non dimetienda esset ex *singulorum* testium copia, sed ex *integrarum* familiarum et classium, earumque antiquissimarum, gravitate. Quae omnia ac singula quo facilius cognoscantur, inprimis ea, quae ad dignoscendas familias codicum iudicandamque earum cognationem pertinent, quave denique via ad construendas rectius regulas criticas perveniatur, ven. *Paulus* (in *diario* theologico novo, Tom. IX. partic. I.) universam theoriam criticam Gries-

bachianam breviter adumbravit, insertis propriis observationibus ac iudiciis.

Quamvis autem mirae sagacitati ac indefesso labori b. *Griesbachii* permulta debeamus certa et inconcussa in constituenda rectius crisi sacra, plura tamen in theoria illius critica manent incerta ac dubia, imo falsa. Nec mirum. Quam pauca enim supersunt ex prima Christianorum antiquitate monumenta certa et indubia! Ubique igitur incidimus in antiquissima historia christiana in lacunas nonnisi coniecturis explendas. Itaque et *Griesbachius* in contexenda historia textus graeci N. T. tales admisit coniecturas, easque dubitationi valde obnoxias. Hac ratione, ut rem exemplis nonnullis illustrem, sibi persuasit vir ingeniosus, post editum ἀποστολικον (h. e. collectionem epistolarum apostolicarum, inprimis Paullinarum,) duo codicum genera per librarios fuisse propagata, alterum e priscis codicibus, alterum ex editione του ἀποστολου: illud adamasse occidentales christianos, hoc praetulisse orientales, praecipue Alexandrinos, atque hic latere incunabula duarum recensionum antiquissimarum, *Alexandrinae* et *Occidentalis*. — Magnum autem *universi* habitus utriusque recen-

sionis antiquissimae discrimen ex *sola* diversitate fontium, utrum totius ἀποστολικου an singularum epistolarum, quamvis multa bene inde explicari queant, ortum esse, alii vix credant aeque ac illud, unum modo describendi modum in una duntaxat regione primitus obtinuisse; multa enim huic hypothesi obstant. — Alia difficultas est in *denominatione* utriusque recensionis antiquissimae, qua utebatur *Griesbachius* ad utramque discernendam, nixus consensu Patrum *Alexandrinorum* cum altera, quam propterea adpellaret *Alexandrinam*, itemque consensu Patrum *latinorum* cum altera recensione, qua de causa eam nominaret *Occidentalem*, quasi *occidentalis* fuisset originis. Sed haec recensio vere *orientales* natales habere poterat, et vero debebat, etsi versio *latina* vetus (Antehieronymiana), qua utebantur Patres latini, ex illa facta sit; quare hi codices primitus orientales *deinde* propter hunc ipsum consensum cum versione latina aliis ex alio genere natis libris manu scriptis in Occidente praeferebantur atque saepius describebantur. Itaque ex variis additamentis in codd. graecolatinis non necessario sequitur *occidentalis* horum additamentorum origo. Quapropter, mea

quidem sententia, vir celeberrimus theoriae suae criticae melius forte consulturus fuisset, si divisionem *Bengelianam* antiquissimorum codd. in *Asiaticos* et *Africanos* (inprimis *Aegyptiacos*) *) retinuisset. Primitus enim religio christiana ex Palaestina propagabatur per Asiam minorem et Africam, quare in iisdem regionibus cum primis ecclesiis christianis primi etiam et plurimi, qui describerentur, codices quaerendi sunt. Itaque est omnino, quod miremur, virum acutissimum in describendis codicum classibus et familiis *Asiam* plane neglexisse, quae tamen cum Graecia plurimas aluisset ecclesias christianas, atque *το ἀποστολικον*, certe codices ex eo descriptos soli *Alexandriae* vindicasse. Nam nulla subest ratio, cur minus in Asia minori et Graecia, ad cuius ecclesias ipsae perscriptae essent epistolae Apostolicae, quam in Aegypto, collectio harum epistolarum instituta fuerit et saepius descripta. Atque, si quis obiiciat, hoc nunquam negasse *Griesbachium*, sed codices orientales antiquissimos *adhuc superstites Alexandrinae* esse ori-

---

*) cf. inter alia I. A. Bengelii apparatum criticum ed. 2. (Burkii) pag. 425.

ginis, iuniores autem, maximam quidem partem, Constantinopolitanae, monendum mihi videtur, in adornanda historia textus ad primas textus graeci origines et varietatis lectionum causas indagandas esse progrediendum. Constantinopolitana potius videtur *recentior* fuisse classis *Asiaticae* recensionis *antiquioris*, quae cognata admodum fuerit cum textu *Syriaco* versionis simplicis, quamvis haec deinde, admixtis aliis lectionibus ex collatione aliorum codicum ortis, a pristina simplicitate aberrasset. Simili enim ratione Constantinopolitana recensio recessit ab antiquiori Asiatica, receptis quidem lectionibus *Alexandrinis*, quam *Aegyptiaci* codices abierunt in duas classes, antiquiorem eamque *Alexandrinam*, in qua multas emendationes *grammaticas* sibi permisisse videntur librarii, et *recentiorem* multis additamentis auctam. Et quid impedit, quominus recensionem *occidentalem*, quam *Griesbachius* vocat, ex *Asia minori*, vel *Graecia*, cum ipsis additamentis, derivemus, non autem ex Aegypto, vel adeo Alexandria? — Sed nolo his hoc quidem loco longius immorari, neque fusius haec persequi, quod neque temporis neque loci ratio permittit. Longe enim abest a

consilio huius praefaminis, theoriam criticam viri celeberrimi impugnare atque aliam lectoribus quasi obtrudere. Explicare modo volui causas, quibus permoti alii viri docti hanc viam a *Griesbachio* tritam in crisi N. T. deseruerint nostra aetate aliamque tentarint. — Cui accedit, virum doctissimum nimium tribuisse videri *consensui* utriusque recensionis et Alexandrinae et Occidentalis. Sed dandum est aliquid longae consuetudini; atque caute adeo et circumspecte iudicat vir praestantissimus in *Prolegomenis* novae editioni criticae N. T. (1796) praemissis pag. LXXX. de pretio consensui utriusque recensionis statuendo, ut parum aut omnino nihil *cum ratione* contradici queat. Rem enim declarare studet verbis his: „E concentu recensionis alexandrinae cum oc„cidentali firmissime colligitur, lectionem utri„que communem longe esse antiquissimam, „imo, *si interna simul bonitate sua niteat, ge„nuinam.* Sin vero huiusmodi lectio internis „veritatis criteriis destitui videatur, horum „momentum curatius expendendum est, ut „appareat, *utrum eorum defectus maius habeat „pondus, quam consentiens alexandrinae et oc„cidentalis recensionis testimonium.*" — Quare

Griesbachius solo veri sensu ductus in editione altera N. T. critica in pluribus epistolarum Paullinarum, v. c. 1. Corinth. III, 4. Gal. IV, 14. Philipp. III, 3. 1. Thess. II, 7. Hebr. IV, 2. consensum utriusque recensionis prorsus neglexit.

Quae quum ita sint, facile intelligimus, Griesbachianam historiam textus graeci N. T. atque theoriam criseos ei superstructam, quamvis ingeniose effictam et cum ingenti studio ac industria elaboratam, neque plenam esse et explicandis phaenomenis criticis sufficientem, neque satis certam et indubitatam. Itaque egregiis his *Griesbachii* laboribus nondum acquiescere licet in re critica, sed novis multisque curis, varii quidem generis, opus est, si ulterius in crisi N. T. progredi et vere proficere velimus. Nec defuere viri docti, qui multa ac varia dubia contra criticam Griesbachianam moverent, aliasque ad tollendas difficultates vias tentarent partim quidem planiores, partim autem non minus impeditas ac salebrosas. Primus quidem *Griesbachio* se opposuit *Christianus Fridericus Matthaei* (Professor Mosquensis), vir graece doctissimus et in edendis codicibus Mosquensibus indefessus, idque potissi-

mum egit in duplici editione N. T. critica, tam maiore (1782—88.) quam minore (1802—7.). Hic autem quamquam insigni laude doctrinae, et fervoris in conferendis codicibus Mosquensibus, iisque accuratius describendis atque notis criticis illustrandis plane non defraudandus est, nec ei neganda meritorum copia de textu N. T. graeco accuratius cognoscendo; magna tamen illa Viri sedulitas in defendenda textus vulgaris auctoritate haud profuit genuinae arti criticae, quum et ipse primum sensu et usu critico destitutus, et odio Griesbachii ita esset incensus, ut omnis integri ac liberi iudicii acies deinde prorsus hebesceret, et nihil novi, quod arti criticae vere prodesset, a laboriosa Viri industria posset exspectari.

Eiusmodi potius novam viam in adornanda historia textus N. T. graeci et in constituenda crisi iniit Ven. *Hugius*, vir doctissimus et acutissimus, in *prima* parte egregii libri: Einleitung in die Schriften des N. T. (Tübing. 1808.) inprimis p. 164 sqq. — Statuit enim in historia textus graeci N. T. *tres* periodos, quarum *prima* ad medium saeculum tertium progressa duas exhibeat recensiones, *Alexandrinam et Syriacam*, unde profecta sit κοινὴ ἔκδοσις; in *secunda* au-

tem periodo *tres* regnasse censet graeci textus editiones, in Aegypto *Hesychianam*, in Asia minori et Graecia *Lucianeam*, atque in Palaestina *Origenianam*; *tertiam* denique periodum *quartam* addidisse editionem ex prioribus ortam atque ex κοινῃ ἐκδοσει interpolatam. — Dolendum modo est, *Hugium*, virum praestantissimum, docte quidem his de rebus disserentem, hanc textus graeci historiam non satis firmis fundamentis, iisque fide historica corroboratis, superstruxisse, sed haud raro Griesbachianas hypotheses cum aliis, iisque non gravioribus, coniecturis permutasse. In tertia quidem, quam Ven. *Hugius* statuit, periodo, permulta, inprimis de cognatione codicum et recensionum, egregie ac subtiliter monet, antea a *Griesbachio* aliisque tam perspicue et accurate nondum observata et exposita; nec diffitendum est, Ven. *Griesbachium* cognationem nonnullorum codicum maiorem ante sibi finxisse ac propiorem, quam nunc, hac re accuratius ab *Hugio* exposita, cuique adpareat. — At enimvero *Griesbachius* in docta commentatione Ven. *Hugio* opposita (in *commentario critico* partic. II. pag. XLI. sqq.) non modo luculenter commonstravit, Ven. *Hugium*, quamvis ipsi per om-

nia contrariari videatur, in summa rei tamen secum plane consentire, aliis modo nominibus varias recensiones insignire; verum etiam nonnulla a viro celeberrimo adserta aut plane erronea esse aut saltem maxime dubia clare evicisse mihi videtur. *Hugii* enim recensio *Hesychiana Griesbachii* est Alexandrina; *Hugii* recensio *Lucianea* respondet *Constantinopolitanae Griesbachii;* et κοινη ἐκδοσις *Hugii* parum differt a *Griesbachii* recensione *occidentali.* Recte porro *Griesbachius* l. c. monuit, recensionem, quam *Hugius* adpellat *Hesychianam,* centum saltem annos iam ante Hesychium extitisse a *Clemente* quippe *Alexandrino* usurpatam; editionem igitur *Hesychianam* tantummodo esse potuisse *recognitionem* recensionis *Alexandrinae.* Nec negligenda sunt, quae b. *Griesbachius* (l. c. pag. LVIII — LXVIII.) docte observavit ad recensionem ab Hugio (male quidem) dictam *Origenianam;* nec ullum est apud *Eusebium,* magnum illum meritorum Origenianorum praeconem, vestigium propriae textus graeci N. T. recensionis; neque sub finem vitae Origenis, quae quidem est *Hugii* opinio, ab eo tam grande ac molestum opus exspectari poterat. Quod denique ad classes

codd. attinet, luculenter satis demonstravit *Griesbachius* l. c., cod. D. s. Cantabrigiensem plane non pertinere, quod quidem vellet Hugius, ad eam recensionem codicum, qua usus sit Clemens Alexandrinus. — Quanquam autem b. *Griesbachius* in hac commentatione Ven. *Hugio* opposita hypothesin suam de tribus recensionibus, Alexandrina, Occidentali et Constantinopolitana, ingeniose efformatam perquam scite defendisse censendus est, hac tamen, eaque praecipua, laude haud privandus est *Hugius*, vir doctissimus, quod non modo permulta in re critica N. T. accuratius, quam ab aliis antea factum esset, examinaverit, meliusque exposuerit, verum etiam *Griesbachium* ipsum, senio iam confectum, bene quasi de Eo merendo, ad molliorem sententiam in iudicandis vetustis recensionibus ita perduxerit, ut haud parum de pristina iudicii critici severitate remitteret, ne nimis ab Hugio differre videretur. — Quare cuique, qui in his rebus criticis aliquid videre, aut ulterius, examinandis variis Criticorum suffragiis, progredi velit, auctor sim, ut, si *Griesbachii* sententiam, certe eam, quam ultimo vitae anno conceperat, accuratius cognoscere cupiat, non modo primam

huius voluminis commentationem, *curas in historiam textus epistolarum Paullinarum* complectentem, vel *symbolas* eiusdem *criticas*, vel *Prolegomena* in volumen primum editionis N. T. criticae, consulat, sed potissimum *postremam* hanc commentationem criticam viri perspicacissimi parti secundae commentarii critici insertam, eamque *Hugio* oppositam, qua non raro cessit adversario, eumque sibi quasi conciliaturus omnia multo mitius, ac antea, tractavit.

Aliam denique rationem tum contexendae historiae textus N. T., tum constituendae verae lectionis nuper iniit *Io. Martin. Augustinus Scholz* (nunc Professor Theol. Bonnensis), vir doctissimus, magnisque itineribus per Galliam, Italiam, Palaestinam et Archipelagum ad conferendos codices N. T. graecos per quatuor annos ab anno inde huius saeculi decimo octavo factis clarissimus. In duobus libellis nuper editis, altero quidem latino *curas criticas in historiam textus Evangeliorum* continente (Heidelbergae, 1820. 4.), altero autem theotisce scripto atque biblisch - kritische Reise etc. inscripto (Lips. 1823. 8.), qui non modo accuratam viri cognitionem laborum criticorum *Millii*,

Bengelii, *Wetstenii*, *Semleri*, *Griesbachii* atque *Hugii* produnt, verum etiam consuetudinem illius cum magna codicum manu scriptorum a se collatorum copia *luculenter* demonstrant: mediam quasi viam in crisi N. T. inter *Griesbachium* et *Hugium* Ille tenet. — Libros N. T. in *Asia* et *Aegypto* maximam partem compositos, ibique ab ecclesiis particularibus syllogen duplicem του εὐαγγελιου et του ἀποστολου factam esse, plurimas autem corruptiones textus graeci profectas fuisse corrigendo et emendando a grammaticis *Alexandrinis*, recte observat Scholzius (in *curis criticis*, p. 19.); sed alio loco (p. 27.) cum *Griesbachio* consentire videtur, duas codicum classes distinguens, *Alexandrinam* et *Occidentalem*; at utramque classem ad *Aegyptiacos* refert codices, qui in multis quidem antiquis lectionibus consonent, sed in innumeris iterum ita differant, ut natalitiis plane diversis originem debere videantur. Nobis autem videtur recensio *occidentalis* Griesbachii potius manasse ex *Asiatica* codd. classe, seu κοινῃ ἐκδοσει *Hugii*, quam ex *Aegyptiaca*, quae est Scholzii opinio. — In altero, eoque recentiori, libello (biblisch - kritische Reise) Ven. *Scholz* bene monet (p. 177. sqq.) textum N. T. grae-

cum primitus puriorem et minus temeratum mansisse in Syria, Asia minori et Graecia, quam in Aegypto, atque codices Constantinopolitanos antiquiores ortos fuisse ex editione N. T. Asiatica usque ad Constantini aetatem, ubi *Alexandrini* etiam codices cum textu vulgari collati fuissent. Unde tamen non necessario cogitur, quod *Scholzius* inde colligere videtur, primas partes nunc deberi hodiernae recensioni *Constantinopolitanae*, seu, quod idem fere est, textui recepto. Tantum igitur favere videtur *Scholzius* recensioni Constantinopolitanae, quantum *Griesbachius* Alexandrinae. Sed aliter classes codicum Scholzius constituit ipsosque codices collocat, quam Griesbachius. — Ille enim omnes codices N. T. dispescit (p. 164. sqq.) in *Constantinopolitanos* et *Alexandrinos;* illos magis secum ipsis et cum textu recepto consentire putat, hos autem non modo ab illis, sed haud raro a se ipsis dissonare, pro ratione propioris aut remotioris nexus cum antiquiori more ac modulo Alexandrino, aut Aegyptiaco omnino. — Quare (p. 168.) ad recensionem *Constantinopolitanam* refert in Evangeliis codd. Griesbach. E. F. G. H. S., in Actis Apost. et epist. catholicis cod. Griesb. G., et in

epistolis Paullinis codd. Griesb. H. I.: sed ad recensionem *Alexandrinam* in Evangeliis codd. Griesb. A. B. C. D. L., in Actis App. A. B. C. D. E. F., in epp. Paullinis codd. Griesb. A. B. C. D. E. F. G., et in Apocalypsi codd. A. C. Itaque intelligimus, Scholzii iudicia critica aeque differre a Griesbachio ac ab Hugio, nec levibus premi difficultatibus. Primum enim *Scholzius* recensionem *occidentalem* Griesbachii refert ad *Alexandrinam*, saltem ex hac derivat, quamvis indolis sit ab Alexandrina plane diversae, quod e permultis N. T. locis clare doceri potest. Deinde codices dispescens in Alexandrinos et Constantinopolitanos, hos illis longe praefert; nec tamen diffitetur, imperantibus Constantino et Constante ad refingendum textum collatos fuisse codices *Alexandrinos;* comparabantur enim hi codices per *Eusebium* Caesareensem, magnum illum admiratorem *Origenis*. Quo ergo iure recensio Constantinopolitana *recentior* praeferri, imo opponi potest Alexandrinae, cum ipsa sit mixta? Quaerendus potius est et investigandus textus Asiaticus et *Byzantinus antiquior*, dignior ille quidem, qui praeferatur. Res omnis igitur redit ad universum adparatum criticum *Scholzii*,

viri doctissimi, quem in nova editione N. T. critica exspectare nos iubet. Tum demum licebit totam hanc lectionum farraginem in novas redigere classes et familias, atque, collatis praecipue versionibus antiquis et allegationibus Patrum, in textum *antiquissimum* inquirere, adhibitis simul, quae bene observavit et egregie exposuit *Griesbachius*, argumentis internis. Tum demum et hoc certius constabit, utrum proprie retinenda sit ex consuetudine Griesbachiana *recensionis* Alexandrinae denominatio, an cum *Scholzio* (pag. 184.) de sola *editione* et *recognitione* Alexandrina cogitandum sit. Sed valde falleretur, qui sibi persuaderet, novis his curis criticis purum ac integrum textum N. T. restitui posse, novamque parari recensionem omnibus numeris absolutam. Novus modo advehitur adparatus criticus; existet forsan opportunior occasio, libros antiquos manu exaratos in alias digerendi classes, easque rectius distinguendi, historiam textus graeci melius cognoscendi et illustrandi; sed textus graecus ipse parum proficiet. Vindicabitur quidem, si recte video, in *nonnullis* locis textus *receptus*, qui dicitur, sed, si summam rei spectes, non erit quod Critici a textu a

Griesbachio exhibito longe recedant. Sed exspectemus noviter reperta. — Interim contenti simus magno illo adparatu critico a Millio, Bengelio, Wetstenio, Griesbachio, Matthaeio, *aliisque* ingenti *studio* iam congesto, *sollicite* separemus testes *antiquissimos*, tam codices manuscriptos, quam *versiones* veteres, et allegationes doctorum ecclesiasticorum, a iunioribus, hosque testes antiquissimos, si a se invicem dissentiant, tum inter se accurate comparemus pro ratione temporum et provinciarum, tum argumentis *internis* singulos pensitemus et diiudicemus. Quam rationem si caute ineamus atque argumenta externa pariter ac interna diligenter ponderemus, in quam plurimis N. T. locis haud difficulter, nisi veram ac genuinam lectionem ipsam, probabilem tamen, reliquisque praeferendam eruere licet. Neque, in tanta licet et copia variarum lectionum et dissensione Criticorum de numero ac mutua ratione recensionum et editionum codicum ad se invicem, desperandum est de constituendo probabiliter vero textu N. T. — Haec sufficiant praefamini in primam huius voluminis secundi commentationem *Griesbachii*, inprimis si coniungantur cum iis, quae *Knappius*, vir

summe venerabilis, in *praefatione* ed. 2dae N. T. graec. (1813.) ad crisin N. T. egregie monuit. Neque huic praefamini quasi infixus tam diu haesissem, nisi hodierna criseos sacrae facies atque opinionum varietas a me, qui ipse e primis disciplinae Griesbachianae alumnis fuissem, in hac loci opportunitate postulare videretur, ut meam qualemcunque sententiam, a Griesbachiana paululum diversam latius hic exponerem, caveremque, quantum possem, ne res critica ad veterem morem soporemve rediret.

Restat, ut ad nonnulla primae huius commentationis loca in hocce volumine paucas observationes ad promovendam rem criticam ac literariam omnino addam. Primum hic se offert locus pag. 63. sqq. obvius, quo *Griesbachius* causas reddit, quibus permotus versus epistolae Pauli ad Romanos e textu recepto c. XVI. ad finem c. XIV. retraxerit; habet enim cum *Semlero* aliisque hoc ipsum caput XIV. pro ultimo huius epistolae primitus conscriptae, atque sequentia capita pro duabus eiusdem epistolae appendicibus. Nolo quidem hoc loco altius descendere in sententiam de duplici appendice epistolae ad Romanos a *Semlero* iam a. 1767. in peculiari dissertatione defen-

sam atque sub finem paraphraseos epist. ad Romanos (Halae a. 1769.) repetitam, quam post *Schmidium* (Vitemb.) et *Schulzium* (Gissensem) docte ac subtiliter refutare studuit b. *Koppe*, vir praestantissimus, in excursu II. commentarii *in hanc* epistolam (ed. Nov. Test. Vol. IV.); sed satius hoc loco erit, subsistere in sola quaestione, utrum doxologia illa retinenda sit in fine capitis XVI., an referenda ad finem cap. XIV.? — Singulos testes ex quovis genere, sive codicum, sive versionum, sive doctorum ecclesiasticorum, sollicite in utramque partem enumeravit Ven. *Griesbachius* in editione critica Nov. Testam. graeci *secunda*; atque, si numerum testium spectes, longe praeferenda est sententia *Griesbachii*, qui doxologiam c. XVI, 25—27. capiti XIV. subnectit, nam e sola codicum minutis literis scriptorum classe enumerat *nonaginta tres* atque a cel. *Matthaeio* collectos *tredecim*, adeoque centum ac sex codd., h. e. *omnes* minusculis literis exaratos, eosque h. l. non mutilos. Quare iam ante Semlerum et Griesbachium hanc doxologiam Beza, Grotius, Millius, Hammondus et Wetstenius ad finem capitis XIV. retulerunt, eandemque sententiam foverunt I. D. Michaelis in Intro-

ductione in Nov. Test. (ed. IV. P. I. pag. 322. sqq.), atque adeo cl. *Matthaei*, acerrimus alias adversarius Semleri et Griesbachii, propter consensum codd. Mosquensium a se collatorum. Res omnis pendet ab admittenda duplicis appendicis epist. ad. Romanos hypothesi vario quidem modo a viris doctis efformata, atque, si admittatur, a maiori aut minori probabilitate huius hypotheseos sic vel aliter effictae. Eodem enim tendit et *Eichhornius*, vir sagacissimus, qui hanc hypothesin de variis appendicibus in separatis schedulis consignatis ingeniose admodum, pro more suo, exornavit in egregio libro: Einleitung in das Neue Testament, P. III. pag. 232. sqq. — Qui plures virorum doctorum opiniones scire cupit, quibus recensendis hic non locus est, adeat b. *Leonard. Bertholdtii* historisch - kritische Einleitung in die Schriften des alten und neuen Testaments, P. VI, pag. 3289. sqq. — In iudicanda autem hac controversia, quis est, qui rem, praesertim ex ingeniosa hypotheseos conformatione *Eichhornii*, fieri potuisse negare ausit? Sed quis est ex altera parte, qui rem *vere* ita actam fuisse, certis argumentis evincat? Hoc saltem semper obstat, caput XV., quod pro prima ap-

pendice habetur, cuius argumentum cum cap. XIV. arcte cohaeret, plane carere nova allocutione, e. g. ἀδελφοι, atque incipere solis verbis ὀφειλομεν δε κ. τ. λ., quibus hoc caput XV. praecedenti cap. XIV. ita iungitur, ac si doxologia proxime haud antecesserit, sed argumentum cap. XIV. sine ista doxologia una potius serie pergeret. *Griesbachium* autem miramur in admittenda hac hypothesi sibi non adeo constitisse, sed oblitum quasi theoriae suae criticae plane despexisse *antiquissimas* auctoritates *utriusque recensionis* tam Alexandrinae quam Occidentalis, nempe codd. B. C. D. E. et verss. Syr. Arab. Erpen. Copt. Aethiop. Vulgat. Ital. (in codd. claram. et germ.) et Patr. Latin. — Neque minus miramur, b. *Morum*, virum alioquin cautum et circumspectum, atque ad res novas plane non pronum, in praelectionibus in epist. ad Romanos (Lips. 1794.) editis, iis accessisse (pag. 235. sq.), qui doxologiam ad calcem cap. XIV. referunt, nec attendisse ad ea, quae post Bengelium b. *Koppe* pro retinenda illa doxologia in fine cap. XVI. scite monuisset, neque argumenta, sane haud levia, ab eo prolata oppugnasse. — Quare non defuere viri docti, qui nostra aetate lectionem

textus recepti retinerent, v. c. *Knappius* (vir venerabilis) in utraque editione N. T. graeci a se procurata, atque b. *Bertholdtius* in libro saepius laudato P. VI. pag. 3303. sqq., quibus accedere equidem haud erubesco. Nam et argumenta externa et interna militant pro lectione vulgari. Externa quidem supra adducta, si non copiam codicum, sed fidem et antiquitatem codicum et versionum spectes, atque tecum reputes, modo iuniores libros scriptos, eosque ad recensionem Constantinopolitanam iuniorem referendos, quorsum et codices Mosquenses pertinent, doxologiam fini cap. XIV. annectere. Interna autem argumenta vulgarem lectionem multo magis confirmant. Favet quidem consensus clausulae cum argumento capitis decimi quarti sententiae eorum, qui hanc clausulam huic ipsi capiti annectunt. Sed arctior nexus cap. XIV. cum cap. XV., quod in una serie cum cap. XIV. (exclusa quidem doxologia) pergit, vulgarem sententiam admodum commendat. Ingeniose quidem illustratur a recentioribus criticis varius clausulae positus ex separatis schedulis, quae tum appendices cap. XV. et XVI. versus 20 priores, tum clausulam epistolae continuissent; sed non sufficit haec

hypothesis ad intelligendum, cur hi versus (c. XVI. 25—27.) ad finem cap. XIV. relati fuerint, quod tamen cum cap. XV. arcte cohaereat. Nec Marcionis exemplaria, quae duobus capitibus *ultimis* (XV. et XVI.) plane carent, rem *illustrare* videntur, uti putat Ven. *Boehmius* in editione epist. Pauli ad Romanos cum commentario perpetuo (Lips. 1806. praef. p. XXII. sq.). Nam isti codices scripti centum et octo, qui doxologiam in fine cap. XIV. habent, continent simul duo illa capita postrema (XV. et XVI.): ergo hanc clausulam non habent in fine *totius* epistolae. Alia res erat in ipsis Marcionis exemplis utroque capite ultimo destitutis. Denique plane non intelligitur, quo tandem modo tanta his exemplaribus Marcionis fides fuerit conciliata in ecclesia catholisa, ut propter auctoritatem eorum tot codicibus doxologia fini cap. XIV. annecteretur. Sola *lectionaria* antiquae ecclesiae christianae nodum hunc criticum solvere mihi videntur. Vidit hoc iam *Alb. Bengelius*, sed rationes suas non recte subduxit vir κριτικωτατος. Lectionaria, quae adhuc supersunt, nihil probant, quum eorum nullum seculum p. C. N. nonum superet. Sed mature in ecclesia christiana in-

struebantur lectionaria in usum singulorum coetuum. Ex his lectionariis *perantiquis* originem duxisse mihi videtur retractio clausulae cap. XVI. ad finem cap. XIV. Nam hae singulae salutationes in cap. XVI. obviae nullius ad praelegendum usus erant in ecclesia, quare omittebatur in lectionariis cap. XVI. praeter clausulam. Cui autem quum nullus locus fuisset in capite decimo quinto duabus clausulis iam instructo (v. 13. et 33.), referenda erat doxologia ad finem cap. XIV., qua translatione autem dissociabatur caput decimum quartum a proxime sequenti arctissime tamen secum cohaerente. Ultima vero duo epistolae capita non constitisse separatis schedulis ipsi epistolae iam finitae adiectis, sed unam potius continuamque cum praecedentibus capitibus epistolam ad Romanos constituisse, arguunt etiam verba *Tertii*, cap. XVI, 22. ἀσπαζομαι ὑμας ἐγω Τερτιος, ὁ γραψας την ἐπιστολην, unde clare adparet, haec ultima capita *continua serie* cohaerere cum tota epistola,

Pergimus ad locum vexatissimum *Ignatii* in epist, ad Philadelphenos cap. 8. a *Griesbachio* pag. 66, sqq. illustratum, neque a nobis sine observatione aliqua dimittendum. Hae-

serunt hucusque interpretes potissimum in verbis his: Ἐπει ἠκουσα τινων λεγοντων, ὁτι ἐαν μη ἐν τοις ἀρχειοις εὑρω, ἐν τῳ εὐαγγελιῳ οὐ πιστευω· και λεγοντος μου αὐτοις, ὁτι γεγραπται· ἀπεκριθησαν μοι, ὁτι προκειται. Ἐμοι δε ἀρχεια ἐστιν Ἰησους χριστος — Huic loco Ignatii novam lucem affundere studuit *Griesbachius*, eo quod lectionem ἀρχαια sc. βιβλια s. γραμματα (vetusti libri sc. Vet. Test.) auctoritate cod. atque interpretis latini tam in breviori quam in copiosiori et interpolata epistolae editione, lectioni vulgari ἀρχεια (archiva) praeferret. Recte quidem monuit, ex hoc Ignatii loco, quamvis ἐν τοις ἀρχειοις legatur, effici haud posse, extitisse adhuc *autographa*, multo minus idiographa, Apostolorum, in tabulariis Christianorum; nam et apographa idem, etsi non tam accurate, praestare potuissent. Sed, an verum verborum sensum tetigerit *Griesbachius*, valde dubitatur. Etiamsi enim lectionem ἐν τοις ἀρχαιοις sc. βιβλιοις s. γραμμασι sc. *Vet. Testam.* admittamus, (id quod ex cohaerentia sententiarum omnino fit probabile), verbis tamen graecis supra adductis vix aliis persuaserit *Griesbachius* sensum subesse hunc: „Audivi iudaizan„tes quosdam dicentes: His, quae in N. T. li-

„bris tradita esse Tu contendis, fidem non habemus, nisi ex Veteri Testamento eorum veritatem evincas; cumque ego *quaedam Novi* „*Testamenti loca* proferrem (λεγοντος μου αὐ„τοις, ὁτι γεγραπται), reposuerunt illi oracula „(cum istis, ut videbatur, pugnantia) e Vet. „Test. libris depromta (ἀπεκριθησαν μοι, ὁτι προ„κειται)." — Manifeste enim *de eodem* librorum genere, sive novi sive veteris testamenti, locus intelligi debet; atque, quum antea de libris ἀρχαιοις sermo sit, etiam formula γεγραπται non de Novi, sed de *Veteris* Testam. libris intelligenda est, inprimis quum Ignatius pugnam veteris et novi Testamenti ob magnam Prophetarum reverentiam supra c. V. declaratam concedere haud potuisset. — Sin autem praeferas alium verborum sensum a Griesbachio in nota textui subiecta admissum, quo utrumque, tam γεγραπται quam προκειται, ad oracula *Veteris* Testamenti refertur, quae ab utraque parte in rem suam excitentur, atque ὁτι προκειται vertitur: *aliter extat:* ego quidem, *quo iure* haec verba: ὁτι προκειται, ita vertantur, atque το *Aliter* inseratur, haud intelligo. — Facilior igitur mihi videtur via, quam inierunt *I. D. Michaelis* in Introd. in N. T. ed. IV. P.

I. pag. 270. sq. et *Chr. Fr. Roessler* in libro: Bibliothek d. Kirchenväter P. I. p. 85. sq., qui Ignatium in disputatione cum Iudaizantibus atque argumenta pro Iesu Messia ex Vet. Test. *oraculis* poscentibus adfirmasse putarunt, talia *inesse* in Vet. Test. (γεγραπται); illos autem regessisse allatis bibliis ebraicis: En sacra volumina, ex iis demonstra sententiam tuam; Ignatium vero declinasse hanc argumentationem. Sed haec ipsa verba: ex his libris *demonstra rem tuam*, desunt in textu, nec adparet, Judaizantes attulisse biblia *ebraica*, quae est sententia b. *Michaelis*. — Sed declinasse omnino videtur Ignatius omnem uberiorem disputationem ex V. T. libris. Quare, si haeremus in lectione ἐν τοις ἀρχαιοις, equidem cum *Is. Vossio* voculam οὐ malim inseri ante προκειται, aut legi pro ὁτι. (Alii pro ὁτι legunt ὁπου.) Cum negassent Iudaizantes, talia extare vaticinia de Iesu et abroganda per eum lege Mosaica, abrumpit Ignatius, harum rerum ignarus et soli fidei in Iesum Christum adhaerens, omnem disputationem cum adversariis. — Verum etiam ex altera, eaque vulgari, lectione, ἐν τοις ἀρχειοις, aptum totius loci vexati sensum elicere studuit S. V. *Vogelius*, (Theologus Er-

langensis celeberrimus) in progr. de coniecturae usu in crisi Novi Testamenti etc. (Altorf. 1795) his verbis (pag. 26): „At audivi quos„dam dicentes: nisi in (ἀρχειοις) tabulariis (li„bris, qui in ecclesiarum tabulariis custodiun„tur) invenero, ad doctrinam christianam per„tinere non credam (ἐν τῳ ευαγγελιῳ (sc. ειναι) „οὐ πιστευω) (*sine episcopo nihil esse faciendum*). „Et si iis dico: scriptum est, regerunt mihi: „non exstat (legendum enim sine dubio est „cum *Vossio:* οὐ προκειται). At mihi tabula„ria sunt Iesus Christus, incorrupta tabularia etc. " — Quem quidem verborum sensum scite defendit vir sagacissimus ex universo huius epistolae argumento et consilio, collato alio loco *Tertulliani* de praescript. Haeretic. c. 15 —20. Sed vexat me duntaxat versio verborum ἐν τῳ ευαγγελιῳ οὐ πιστευω haec: *ad doctrinam christianam pertinere non credam*, admissa nempe ellipsi ειναι, et subintellectis verbis: *sine episcopo nihil esse faciendum.* — Qui plura nosse cupit, iam olim in hunc locum Ignatii a viris doctis ventilata, adeat b. *Ittigii* selecta capita histor. ecclesiast. Sec. II. pag. 97. sqq. —

Caeterum vix operae pretium fuerit, sollicite adeo verum horum verborum, tanquam

ab Ignatio illo, viro apostolico, enunciatorum, sensum anquirere, quum nostra quidem aetate, spurias esse has epistolas Ignatii, saltem, vel ex ipsa breviori recensione, a variis interpolationibus haud liberas, certum sit atque evictum, quamvis *Pearsonius* et *Cotelerius* genuinam earum rationem nobis persuadere annisi sint. Qua de re vide modo post egregios *Dallaei*, *Lardneri* et *Semleri* labores S. V. *Schmidtii* (Theologi *Gissensis* celeberrimi) commentationem: Versuch über die gedoppelte Recension der Briefe des Ignatius (Henke Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte, Vol. III.). —

Adiungimus huic loco Ignatiano alium *Tertulliani* in libro de praescript. haeretic. c. 36., quo contra Haereticos provocat ad *authenticas* Apostolorum literas in ecclesiis apostolicis. Quem locum b. *Griesbachius* pag. 69 — 76. tam egregie illustrat, ut clare inde adpareat, *authenticas* illas literas *Tertulliano* hoc quidem loco neque autographa Apostolorum fuisse, neque graeca exemplaria, licet vocabulum *authenticus* in se spectatum utramque significationem admittat; sed *genuina, nec a quoquam de-*

pravata exemplaria. Quare et plures viri doctissimi huic vocabuli explicationi simpliciter accesserunt, v. c. b. *Roesslerus* in egregio opere: Bibliothek der Kirchenväter, Vol. III. pag. 118. sq. b. *I. D. Michaelis* in libro supra laudato (Einleit. in d. Schriften d. N. T. ed. IV. P. I. pag. 271. sq. et S. V. *Haenlein* in libro, Handbuch d. Einleit. in d. Schriften des N. T., inscripto, P. II. pag. 10. sq. ed. 2dae. Itaque est, quod miremur, b. *Bertholdtum* in libr. iam laud. (hist. krit. Einleitung in d. Schriften d. A. u. N. T.) P. II. pag. 416. sqq. hanc vocabuli (authenticus) significationem in illo loco *Tertulliani*, tanquam contextui orationis contrariam reiecisse atque sententiam *Rich. Simonis*, qui *graeca exemplaria* vult intelligi, refocillasse. Argumenta enim not. 7. pag. 420. allata non eius sunt generis aut ponderis, ut interpretationem loci *Griesbachianam* deseramus. — Primum provocat b. *Bertholdtus* ad voculam *ipsae* in serie verborum Tertulliani: (apud quas [ecclesias] ipsae authenticae literae eorum (apostolorum) recitantur, sonantes vocem et praesentantes faciem uniuscuiusque). Sed illa ipsa vocula *ipsae* suspecta est, ac videtur ex proxime praecedentibus verbis: „per-

„curre ecclesias apostolicas, apud quas *ipsae* ad-
„huc cathedrae Apostolorum suis locis praesi-
„dent" — huc translata, quare deest tum in editione Rhenani, tum in editione noviss. Halensi. Etiamsi vero hoc vocabulum (ipsae) hoc loco *genuinum* esset, tamen non magis premendum foret, quam in praecedentibus verbis: *ipsae* adhuc cathedrae Apostolorum. Provocat nempe *Tertullianus* ad exemplaria literarum Apostolicarum in ecclesiis Apostolicis, tamquam *genuina*, quum apographa istarum epistolarum in his ipsis ecclesiis, quibus doctrina Apostolorum probe cognita esset, quibusque adeo mente adhuc obversaretur vox et facies Apostolorum, depravari plane non potuissent. Itaque textus cohaerentia non postulat, *authenticas* literas h. l. significare exemplaria *graeca.* Nulla enim tum fuisset ratio, quod bene monuit *Griesbachius*, cur Achaici a Tertulliano ablegarentur Corinthum, ut exemplaria *graeca* epistolae Paulli ad Corinthios inspicerent. Habueruntne Achaici, graece loquentes, alia exempla literarum Apostolicarum, quam graeca? Unde colligimus, b. *Bertholdtum*, quum haec scriberet, hanc *Griesbachii* disputationem haud consuluisse, nec oculis usurpasse. Quanquam

enim literae authenticae, si vocabulum per se spectes, omnino significare possunt epistolas *graecas;* hoc certe Tertulliani loco eas hanc vim non habere, *Griesbachius* ex omni textus συναφεια clare docuit.

Addimus adhuc ad nonnulla huius commentationis criticae loca notas aliquas literarias. Sic bene observat *Griesbachius* p. 120. sq. *Tertullianum* quidem cum *Irenaeo* in vexato loco 1. Ioh. IV, 3. vertisse: *qui solvit* Iesum Christum, in libr. *contra Psychicos*, c. 1., adeoque sequutum esse lectionem ὁ λυει; sed primitus Tertullianum in latino suo codice habuisse: *qui negat* (quod τῳ μη ὁμολογει repondet), quomodo legant Ambrosius, Ambrosiaster, alii; hinc *contra Marcionem* libr. V. cap. 16. coniunxisse utramque lectionem: *negantes Christum in carne venisse, et solventes Iesum;* quam lectionem e *Tertulliano* deinceps ad caeteros latinos pervenisse. — At de veritate lectionis receptae: ὁ μη ὁμολογει, ac de origine falsae lectionis a nonnullis defensae: ὁ λυει, vide sis, quae ipse ad refutandos varios errores hac de re nuper conceptos fusius disserui in *Diario theologico novissimo* Vol. VI. pag. 483. sqq. — Denique *Griesbachius* bene observavit p. 121.

Tertullianum in eodem libro adv. Marcionem l. V. c. 3., negationem (οὐδὲ) in loco Gal. c. II, 5. tollentem, eamque *vitiationi scripturae* tribuentem, hac in re itidem sequutum fuisse auctoritatem *Irenai*, (adv. haereses l. III. c. 13.) — *Sed* quaeritur de ipsa lectione loci dubia, utrum textus receptus: οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν sit retinendus, an negatio illa (οὐδὲ) cum Latinis plerisque abiicienda? *Griesbachius* haesitat; sed *Semlerus* lectionem *latinam* acriter defendit in *paraphrasi epist. ad Galatas* (Hal. 1779) Prolegg. pag. 96. sqq., quem sequitur, (quod valde miror) *Koppius* in editione *altera* epp. ad Gal. Eph. et Thessal. (Goett. 1791.); in ed. 1ma enim lectionem receptam bene defenderat argumentis externis et internis satis munitus. Quare et *Borgerus*, vir doctissimus, in egregio, eoque amplissimo, commentario in epistolam Paulli ad Galatas, (Lugd. 1807.) p. 44. sqq., et quidem in animadvers. critic. ad h. l. utramque lectionem accurate ponderans, textum receptum: οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν, retinendum esse recte statuit; quem sequutum etiam esse Ven. *Winerum* in annotatione ad Paulli epistolam ad Galatas (Lips. 1821.) p. 39. sq. equidem valde probo.

Tantum in doctissimam hanc commentationem criticam *Griesbachii* de historia textus epistolarum Paullinarum! At oblitus sane consilii posterioris, quod in praefatione ad Vol. I. cepissem, soli brevitati in praefando studendi, neque in res ipsas a *Griesbachio* tractatas latius excurrendi, redii quasi ad prius — proh dolor adversa valetudine interceptum — consilium, praefando mihi aperiendi campum, quo in singula argumenta rerum a Griesbachio pertractatarum excurrere possem. Sed vela nunc sunt contrahenda, atque ad consilium posterius mihi redeundum: id quod et temporis et spatii et valetudinis, etsi paulum firmatae, ratio postulat, imo acriter efflagitat.

Altera commentatio (IX. p. 136. sqq.) continet specimen exegeticum in locum Ephes. cap. I. comm. 19. sqq.—Primum recte demonstrat *Griesbachius*, hoc loco non agi de *vita morali* per Iesum Christum nobis parta, eaque cum ζωοποιησει I. C. comparata, quae quidem est plerorumque antiquiorum interpretum sententia; sed de *felicitate* (ζωη) spirituali per I. C. hominibus a Deo donata; id quod adparet ex

cohaerentia textus cum antecedente commate 18., ubi Apostolus laudat την κληρονομιαν ἐν τοις ἁγιοις. Atque in constituendo hoc verborum sensu optimos quosque recentiores interpretes secum habet *consentientes*. — Deinde deleri iubet comma post πιστευοντας plerumque positum, arcte potius coniungi hoc vocabulum πιστευοντας cum proxime sequentibus κατα την ἐνεργειαν κ. τ. λ. Speciosis quidem argumentis evincere studet hanc verborum construendorum et explicandorum rationem tum ex alia vi particulae κατα, ut sit i. q. δια, ideoque κατα την ἐνεργειαν positum pro δια της ἐνεργειας, tum collato inprimis loco παραλληλῳ Coloss. II, 12. 13., ut sensus inde emergat hic: *in convertendis nobis ad religionem Christi opus aliquod insigne perfecit deus, simile ei, quo e mortuis resuscitavit Christum.* — Sed non deerunt, qui, quum non tam de conversione ipsa ad religionem, quam de *felicitate* per eam Christianis parata locus omnis agere videatur, *Koppio* et *Moro* in hanc ad Ephesios epistolam egregie commentantibus accedere, atque τους πιστευοντας interposito commate a seqq. seiungere malint, ut sensus resultet hic: „ut vim insignem il„lam intelligatis, quam ad Christianos *bean-*

„*dos* impendit Deus, non minorem ea ipsa, „qua Christum e mortuis resuscitavit." Tum enim, quod *Koppius* ad h. l. recte mihi monere videtur, *κατα* ex vulgari particulae significatione *similitudinem* utriusque operis divini, et Christi *resuscitati*, et Christianorum hominum per religionem christianam *beandorum*, exprimit. — Proximus enim verborum nexus soli parallelismo praeferendus esse videtur. Sed iudicium sit penes ipsos lectores! —

Tertia commentatio (X. p. 151. sqq.) agit de *potentiore ecclesiae romanae principalitate* ad locum *Irenaei* l. III. c. 3., qui ex latino interprete ita habet: „Ad hanc enim ecclesiam (ro„manam) propter potiorem principalitatem ne„cesse est omnem convenire ecclesiam, h. e. „eos, qui sunt undique fideles, in qua sem„per ab his, qui sunt undique, conservata est „ea, quae est ab Apostolis, traditio." — Constat inter omnes, quam studiose utantur hoc loco scriptores Romano-catholici, quamque cupide eum exornent, tanquam firmissimum demonstrandi *primatus* Pontificis romani praesidium. — Etiamsi autem cum plerisque huius loci interpretibus sumatur, potentiorem principalitatem h. l. esse i. q. *potiorem auctorita-*

tem, tamen inde nil effici posse ad vindicanda iura in omnem ecclesiam christianam a sede romana temere usurpata, dudum docuere nostrates, inprimis *Moshemius* ad h. l. (in libro: de rebus Christianorum ante Constantinum M. p. 261. sqq.). — Primum enim (ut nonnulla modo attingam) *Irenaeus* de antiquiori tantum et prima ecclesia Romana loquitur, minime autem de ecclesia Romana omnium aetatum et temporum. — Deinde dedecet profecto, inquit *Moshemius* l. c., viros eruditos et sapientes ex verbis obscuris et incertis [habemus enim modo verba latini interpretis, non Irenaei ipsius] privati hominis et unius pusillae ac pauperis ecclesiae [quae consilii et auxilii romanae ecclesiae, magnae illius et opulentae, eiusque antistitis maximopere indigeret] episcopi, boni quidem et pii, verum mediocri acumine ac ingenio praediti [quique *Eleutherio*, tum temporis episcopo romano magna beneficia deberet] ius publicum totius ecclesiae christianae atque formam gubernationis eius a Christo praescriptam elicere. Denique *Tertullianus*, etsi strenuus caeteroquin Irenaei sectator, in libro de praescript. adv. haeretic. c. 36. haud maiorem ecclesiae romanae auctoritatem tribuit, quam

reliquis ecclesiis apostolicis. Itaque si rem ex auctoritate Patrum iudicare licet, idem, quod romanae sedis clientes ex auctoritate *Irenaei* adfirmant, aequo iure ex auctoritate *Tertulliani* nostrates negant.

Verum enim vero *Griesbachius*, missis iis, quae hactenus, duce potissimum *Moshemio*, contra argumentationes a Romano - catholicis ex hoc *Irenaei* loco structas monuimus, quo lectores rem, de qua disputatur, rectius intelligant, aliam viam in hoc programmate ad destruenda argumenta contraria ingreditur, tum declarando vero nexu sententiarum Irenaei, tum corrigenda inepta versione latini interpretis. — Nimirum Gnostici negabant, veritatem posse scripturis inveniri ab iis, qui nesciant traditionem. Catholici ne hanc quidem conditionem recusantes ad veram provocabant traditionem apostolicam, quae per successiones episcoporum custodiatur. Primos enim doctores ecclesiarum apostolicarum plenissime ab Apostolis fuisse instructos, atque hanc ipsam doctrinam apostolicam *pure* fuisse conservatam per successionem episcoporum nunquam interruptam. Ita et argumentatur *Irenaeus*. Quoniam autem valde longum esset, in-

quit, *omnium* ecclesiarum enumerare successiones, romana ecclesia, maxima, antiquissima (inter Occidentales) et omnibus cognita, nobis (Occidentalibus) instar omnium esse potest. — Non dicit Irenaeus, romanae ecclesiae doctrinam normam esse, ad quam caeterae omnes se conformare deberent, nec obedientiam a caeteris huic praestandam esse tradit; sed hoc unice dicit, *non opus esse*, ut omnes ecclesiae percurrantur ad detegendam veram traditionem apostolicam, sed sufficere *posse* romanam solam, quoniam *omnes* ecclesiae apostolicae inter se consentiant. Nam versus finem capitis ad Asiaticas etiam ecclesias transit, et provocat ad Smyrnensem et Ephesinam. Hoc igitur sententiarum nexu nihil proficiunt Romano-catholici pro tuendo primatu sedis romanae. Sed ex ipso etiam loco allegato nihil sane in rem romanam effici posse putat *Griesbachius* propter ineptam textus graeci versionem latinam; constare enim inter omnes, Irenaei interpretem tantum non semper *pueriliter*, repugnante licet latinorum loquendi usu, verbum pro verbo reddidisse. — Quare iure suo sumit *Griesbachius* primum: phrasin *Convenire ad ecclesiam romanam* esse falsam versionem verbo-

rum graecorum *συμβαινειν προς αὐτην* (*ἐκκλησιαν*), *Convenire*, s. consentire, *cum ecclesia* (romana), *eiusque doctrina;* quod iam vidisset *Salmasius*. Deinde verba *in qua* semper ab his, qui sunt undique etc., (quae nonnisi ineptum sensum hoc quidem loco fundant; quomodo enim ab iis, qui sunt undique, h. e. ubivis terrarum dispersi, *Romae* conservari potuisset apostolicae traditionis puritas?) *vel* coniungenda esse censet, hoc fere modo: *omnis* ecclesia, *in qua* semper conservata est apostolica traditio, necessario consentit cum romana; *vel* pro: *in qua*, legendum esse, *in quo;* quod enatum sit ex inepta versione particulae graecae *ἐν ᾧ* s. *ἐφ' ᾧ*, *quoniam*, *quia* (uti Rom. V, 12. Hebr. II, 18.). Denique *potentiorem* ecclesiae romanae *principalitatem*, cui phrasi respondissent verba graeca: *δια την κρειττονα* s. *ἱκανωτεραν ἀρχην αὐτης*, accipi vult de *initiis* ecclesiae romanae multo *augustioribus*, quam quidem plerarumque, propter fundationem illius a *duobus Apostolis*, iisque gloriosissimis, quod ante confirmaverat *Irenaeus*. — Sed alia adhuc me vexat singularis loquendi formula in hoc interpretis latini loco a Griesbachio praetermissa, quosnam nempe intelligi voluerit *Irenae-*

us per eos, qui sunt undique, fideles? Equidem putarim, in textu graeco extitisse: καθολικοι πιστευοντες, eo quidem sensu, quo *Catholici* opponuntur schismaticis et haereticis. Saepius de ecclesia *catholica* sermo incidit apud *Irenaeum; sed* nusquam legere me memini in latina *Irenaei* versione hoc vocabulum. *Irenaeus* quidem plerumque mentionem facit *ecclesiae*, ad quam solos catholicos s. orthodoxos referre videtur. Sed occurrit tamen apud interpretem latinum libr. III, c. 40. *praedicatio* ecclesiae *undique constans*, quae mihi videtur esse *praedicatio catholica*; et libr. IV, c. 63. commemoratur *ea, quae in unoquoque loco est, ecclesia.* Potestne haec ecclesia, si contextum consulas, alia esse, quam ecclesia *catholica?* Quare sub iis, *qui sunt undique fideles,* intelligi velim *Catholicos*, haereticis oppositos. Quae quum ita sint, cum verbis latini interpretis *Irenaei* alia permutare licet haec: „Cum hac enim ecclesia „(romana) propter augustiora illius primordia „necesse est omnem convenire (in doctrina) „ecclesiam, h. e. catholicos (orthodoxos) fide„les, quoniam semper a catholicis conservata „est apostolica traditio." —

Quartae (XI. pag. 169. sqq.) commentatio-

ni inest prolusio exegetica ad locum Paulli 1. Cor. XII, 1 — 11. — In hac commentatione Vir prudens, qui, pro more suo caute et circumspecte ubique dicendi et agendi, orthodoxiae, quam vocant, non crassioris quidem, sed liberalioris, speciem prae se ferre probe didicisset, ab iniqua suspicione negatae *personalitatis* Spiritus Sancti se purgare voluisse mihi videtur; et pro ratione illius temporis (a. 1780.), me quidem iudice, satis bene et commode. Nam Paullum apostolum, in illo loco, quem in hoc programmate pentecostali illustrandum sibi sumserat, Spiritum Sanctum (*πνευμα ἁγιον*) personae specie induisse, *Griesbachius* firmis argumentis evicit. Manifeste enim Paullus (vv. 3 — 6.) *tres* distinguit: *Deum*, *Dominum* (Iesum Christum) et *Spiritum Sanctum*; quorum duo priores, Deus et Iesus Christus, quum sine ullo dubio personas agant, Spiritum Sanctum in hoc sententiarum nexu plane non significare posse *vim* aliquam *divinam*, in aprico est. Postremo *deitatis*, quam alia Apostolorum oracula Spiritui S. vindicent, nec in hac pericopa Paullina deesse indicia haud obscura, iure contendit *Griesbachius* p. 184. sq. — Sed dolendum est, Virum perspicacissimum silentio plane

praeteriisse quaestionem *primariam:* quo iure ex hac pericopa, in qua spiritus Sanctus una cum Domino (Iesu Christo) a *Deo clare distinguitur*, doctrina ecclesiastica: Spiritum Sanctum, qua personam, Patri (qui h. l. κατ' ἐξοχὴν *Deus* dicitur) et Filio, Iesu Christo (qui h. l. Dominus sc. ecclesiae adpellatur) ὁμοούσιον esse, adeoque *eiusdem plane essentiae divinae*, rite ac legitime vindicari queat? Ut alias quaestiones hodie obvias, easque difficiliores et accuratius ventilandas taceam, e. c. annon *deitas* in sacris literis vario sensu occurat, ut θεος et ὁ θεος distinguantur? porro annon trias biblica, quae subordinatianismum potius redolere videatur, diversa sit a trinitatis ecclesiasticae mysterio? deinde, annon trias ex fide *Nicaena* alia sit ac *latina* orthodoxa fides de Trinitate, (id quod iam *Georg. Bull*, Anglus, recte observavit in *defensione fidei Nicaenae* pag. 438. sq. Oxon. 1685. 4.)? utra igitur fides orthodoxa sit praeferenda? denique annon fides Iesu Christi de sacra triade differat a fide Paulli ac Iohannis? unde igitur hi Apostoli suam de sancta triade persuasionem hauserint? utrum a Iesu Christo ipso, an ex propria meditatione, an ex immediata revelatione divina? et quae

sunt reliqua. Plura igitur desiderat aetas nostra, quam quae *Griesbachius* ex hac pericopa Paullina in epist. ad Corinthios efficere studuit, quibusque recte evictis, tanquam re bene gesta et doctrina ecclesiastica de Trinitate in tuto collocata, securus acquievit. — Sed haec ulterius accuratiusque persequi, non est huius loci.

Simul autem breviter illustrare studet cel. *Griesbachius* in hoc programmate universum locum de *charismatibus* in hac pericopa commemoratis, quae pro ratione istius temporis cum plerisque pro *miraculosis* donis divinis ab Apostolo Corinthiis per manuum impositionem concessis habuit. Fuisse enim existimat haec dona divina eo consilio concessa, partim ne deessent, qui publicis muneribus ritè defungi aliave ministeria subire possent, partim, ut certa fidei documenta inde caperent novae religionis adseclae, tum veram esse doctrinam tam luculenter a Deo confirmatam, tum non sine auspiciis divinis ab Apostolis ad eam invitatos fuisse et ipsos. Huc inprimis refertur το γλωσσαις λαλειν, ex quo lucem accipere putat verba obscura v. 3. „οὐδεις ἐν πνευματι Θεου λα„λων λεγει ἀναθεμα Ἰησουν, και οὐδεις δυναται εἰ-

„πειν κυριον Ἰησουν, εἰ μη ἐν πνευματι ἁγιῳ.“ Quare hunc locum ita παραφραζει: „Non potest quis-„quam, qui divino spiritu actus *ignota audito-„ribus lingua* loquitur, proferre quidquam, in „summam Salvatoris maiestatem iniuriosum; „nec potest aliquis *lingua antehac sibi incognita* „*Domini nostri laudes praedicare*, nisi Spiri-„tus Sancti impulsu commotus sit.“ (p. 174.) —

Deinde descendit Auctor in varias charismatum classes (p. 178. sqq.) in hac pericopa enarratas, recte quidem, docente ipso textu, charismata ab energematibus distinguens. Sibi enim persuasit, *re ab omni parte considerata* (p. 179.), *energemata* appellari *miracula*, quae ad confirmandam doctrinae christianae coelestem originem, stabiliendamque praeconum illius divinam auctoritatem, ab Apostolis aliisque, quibus patrandorum miraculorum potestas a Deo concessa fuisset, ederentur; *charismata* autem referri ad extraordinarias et praeternaturales operationes Spir. S. *in animis eorum*, quibus tale charisma obtigerit. — „*Energemata* (inquit Auctor pag. 179.) spectant ad „tales miraculosos eventus in *regno naturae*, „qui oculis usurpari ab hominibus possunt; „*charisma* vero *accepisse* dicitur is, qui impulsu

„divino *animum* suum, quoties opus est, *com*-„*motum* sentit; atque *confertur* charisma in „aliquem, dum Deus vel ἀμεσως (ut Act. c. 2.), „vel per Apostolum, qui manum homini im-„ponit, declarat, fore, ut afflatu illo mens „eius concitetur, quoties in utilitatem eccle-„siae vel proferre vel peragere debeat aliquid, „quod per humanae naturae vires nec rescire „neque exsequi posset." — Hac autem ratione ἰαμάτα referenda sunt ad ἐνεργηματα; sed v. 9. commemorantur χαρισματα ἰαματων; itaque Paullus ἰαματα refert ad χαρισματα, non ad ἐνεργηματα. Quod quum vir acutissimus probe vidisset (pag. 181.), charismata iterum in duas classes distribuit, quatenus vel mentem animumque spectant, vel ad energemata respiciunt (pag. 180.). Quodvis enim energema, quod post effusionem Spir. S. per thaumaturgum quendam Deus operatus sit, χαρισμα vocari posse; *vim* enim miraculosam thaumaturgi fuisse internum aliquid *charisma*; sed *effectum* illius *energema*, s. externum aliquid in regno naturae obvium. At vero admodum dubito, an subtiliter adeo Paullus charismata ipsa iterum distinxerit; simpliciter enim v. 4. χαρισματα *Spir. Sancto* tribuit, v. 6. autem ἐνεργηματα

Deo; ergo et interpretando utrumque distinguere decet. Itaque videant alii, an sibi satisfaciat hoc quidem loco effatum Auctoris (pag. 181.): „Neque Apostoli in scribendo „ἀκριβειας tam *studiosi* fuere, ut vocabulorum „discrimina *constanter* servarent, et ad significandam eandem rem eodem verbo *semper* „uterentur."

Quae autem charismata, tamquam eventa admodum miraculosa ab hoc viro celeberrimo cum b. *Storrio* aliisque descripta, quo modo cunque se habeant — his enim accuratius disquirendis in hac certe praefatione locus non est, — post annum saeculi praeteriti octogesimum, quo quidem *Griesbachius* hanc prolusionem scripserat, complures viros doctissimos eosque perspicacissimos in iudicandis charismatibus illustrandisque inprimis γλωσσαις Apostolorum, quae maximis premuntur difficultatibus, in alia omnia abiisse constat. Quorum nomina, quaeve hanc in rem scripserint, videsis diligenter collecta in *Kuinoelii* (viri summe venerandi et de interpretatione librorum sacrorum meritissimi) Commentario in Acta Apostolorum (Lips. 1808. 8.) ad c. II. p. 40. sqq., ubi modo equidem desidero *Lightfootii* horas ebraicas et tal-

mudicas, atque supplendus est novissimus auctor libri de *charismatibus* Spir. S., vener. *Schulthess*, Turicensis theologus (Lips. 1818. 8.). — Si quis autem meam ipsius sententiam hac de re et difficillima et gravissima rescire velit, quam fusius exponere hoc loco haud licet, equidem me *in summa rei* maxime omnium facere cum. Ven. *Heinrichsio*, viro doctissimo et de continuanda editione Novi Testam. *Koppiana* longe meritissimo, (in Commentar. ad Acta Apostol. Excursu II.) atque cum Perillustr. *Eichhornio*, praeceptore meo pie colendo, (in egregio libro: Allgem. Bibliothek d. bibl. Litteratur, T. II. pag. 757. sqq.) lubens et gratus palam profiteor. Caeterum his in rebus, quae altioris quidem sunt indaginis, suum quemque sequi ingenium facile patior.

Quinta huius voluminis commentatio (XII. p. 186. sqq.) agit *de mundo a Deo Patre condito per Filium.* — Hanc quidem sententiam: Deum Patrem mundum condidisse per Filium, disertis verbis expressam extare in epist. ad Ebraeos c. I, 2. *δι᾽ οὗ και τους αἰωνας ἐποιησε*, haud diffitetur *Griesbachius*, imo quam plurima loca antiquissimorum doctorum ecclesiasticorum in medium profert (p. 188. sq.), quibus idem ad-

firmatur. Ipse adeo *Lutherus* (in commentario in Genesin) statim ab initio Verbum sive Filium vocat medium et instrumentum, quo Deus Pater in operando usus sit, cui deinde accessere Io. *Gerhardus* aliique Theologi. Nihilo tamen secius Virum doctissimum plura, eaque gravia, dubia tantopere vexant, ut sola coniectura loco adfecto Ebr. I, 2. medelam adferre posse existimet, legendo *διοτι και* pro *δι' οὗ και (τους αιωνας ἐποιησε)*. In qua quidem stabilienda sententia magnam doctrinae copiam et argumentandi subtilitatem Virum demonstrasse facile adparet; sed eo magis dolemus, multum movendo Eum plane nihil promovisse, oleum potius et operam prorsus perdidisse. Haesit enim vir alioquin perspicacissimus in rebus dogmaticis, in quibus, historia dogmatum, christianorum antiquissima accuratius cognita, haerere non debebat. Longe quidem aberat *Griesbachius* in hac prolusione academica ab omni *ἑτεροδοξιας* specie, quam ei cl. *Matthaeius*, pro more suo, in editione maiori et priori Nov. Test. critica ad locum Ebr. I, 2. valde exprobravit, incusans eum Arianismi, propterea quod lectionem *διοτι* praetulerit; orthodoxiae *latinae* potius in dogmate de S. S. Trinitate

strenue tenendae studium in hac prolusione prae se ferebat. *Summam* enim deitatem Filii Dei quo felicius defenderet, statuit quidem Filium Dei ipsum creasse mundum *qua Deum;* sed eam ipsam ob caussam haud probandam esse censebat phrasin: deum Patrem condidisse mundum *per* Filium. Quatuor igitur dubia protulit (p. 199. sqq.), quae potissimum nobis mutationem lectionis (δι' οὗ in διοτι) in illo loco suaderent. *Primum* phrasin: Deus mundum creavit *per* Filium, prope abesse a *tritheismo.* [Redolet potius haec phrasis *Subordinatianismum*, quem vocant.] *Deinde* neminem, ait, distinctius exponere posse, quid sit mundum creare *per* Filium; nam non ferendos esse, qui comminiscantur, Patrem in condendo mundo Filium adhibuisse, aut Filium decreta paterna exsequutum esse. [At sic intellexere locum Veteres, et ipse *Lutherus*, Patrem esse auctorem primarium, Filium autem secundarium, qua caussam ministerialem. Conferantur modo loca ab ipso Auctore supra allata.] *Porro* Deo Patri, pergit, creationem attribui appropriative, etiam in symbolis oecumenicis; sed si Pater *per* Filium mundum creasset, Filio potius tribuendam esse appropriative crea-

tionem. — [Regerunt autem Veteres: Patri tribuitur creatio appropriative qua caussae principali, s. auctori primario; Filius autem est caussa secundaria et ministerialis.] *Denique* creationem, inquit, esse simplicissimum voluntatis *divinae* actum, qui solo nutu absolvatur: quid igitur sit id: Deum *per* Filium mundum creasse, dici non posse. [Recte quidem hoc obiicitur ex systemate orthodoxiae *latinae*, quod Filium Dei αὐτόθεον sistit. Sed hoc non valet ad mutandam lectionem δι' οὗ (Ebr. I, 2.), neque ad refutandos doctores ecclesiae *antiquissimos*; nam ne *Nicaena* quidem fides Filium dei appellat αὐτόθεον; sed haec loquendi formula propria est ecclesiae *latinae* post Augustinum; id quod clare docuit *Georgius Bull*, Anglus ille orthodoxus Theologus (in Defensione fidei Nicaenae Oxon. 1685. pag. 439. sqq.) contra *neotericos*, quos vocat.] — Verum enim vero si hactenus dicta tecum reputes, non tanti esse, facile intelliges, haec dubia Auctoris ad damnandam lectionem (δι' οὗ Ebr. I, 2.) uno ore ab omnibus testibus criticis confirmatam, quaeve praeterea cum universa antiquitate christiana accurate conspirat; quod ipse Auctor doctissimus concedit (pag. 203.). Cui potissimum

accedit hoc, secundum principia ipsorum reformatorum ecclesiae nostrae evangelicae dogmata christiana conformanda esse ad verum sacrarum literarum sensum, nec vice versa hunc mutandum aut adeo mutilandum esse ad opiniones qualescunque humanas. Recta et sana interpretatio S. S. potius instituenda est ex usu loquendi et notionibus illorum temporum. — Deinde sumere videtur *Griesbachius* in hac prolusione, epistolam ad Ebraeos esse a. *Paullo*, Apostolo, scriptam, adeoque Apostolicam prae se ferre auctoritatem, quod autem post b. *Zieglerum*, atque inprimis *Schulzium*, (Vratislaviensem Theologum) nostra aetate valde dubitari constat.

Caeterum lubenter concedimus, coniecturam διοτι pro δι' οὗ a *Griesbachio* in nova etiam editione N. T. critica in farragine variarum lectionum admissam admodum facilem esse, et ex antiqua scriptura continua sine negotio explicandam; nam literae ΔΙΟΤΙΚΑΙ facile transscribi ex errore librariorum poterant: ΔΙΟΥΚΑΙ. — Damus etiam, hoc διοτυ bonum et probabilem sensum fundere hunc (pag. 204): „Quem (Deus) rerum omnium dominum con„stituit, *propterea quod* (διοτι και) idem quoque

„rerum omnium esset creator.“ — Largimur denique, in epistola ad Ebraeos, quam, teste *Hieronymo*, latina consuetudo haud receperat, ideoque rarius descripta, errorem aliquem librariorum latius diffundi potuisse in codices et versiones adhuc superstites, quam in aliis N. T. libris. Veruntamen haec omnia nos haud impediunt, quo minus coniecturam διοτι damnemus. Manet enim nil nisi coniectura, nulla plane antiqua auctoritate sive codicis sive versionis suffulta; nec ulla idonea caussa subest, cur lectionem receptam δι' οὗ deseramus; haec enim accurate consentit cum reliquis sententiis Apostolorum, Ioannis et Paulli, nec non cum usu loquendi antiquissimis doctoribus ecclesiasticis frequentato. Quid igitur deserere lectionem receptam et coniecturam substituere h. l. aliud esset, quam invita iusta interpretandi ratione sacras literas ad opiniones quasdam humanas easdemque serius demum efformatas refingere? Itaque *Heinrichsius* (in Commentario in epist. ad Ebraeos ad h. l.) atque *Dinndorfius* (in notis ad *I. A. Ernesti* lectiones academicas in epist. ad Ebraeos, ad h. l. *Matthaeium* sequuti recte reiecerunt hanc coniecturam *Griesbachianam*. Cl. *Matthaei* autem, quum

censurae suae iniquitatem, inspecto forte programmate ipso, sensisse videatur, postea in editione altera, eaque minori, N. T. (1807.) integram notam malignam prorsus omisit. —

Caeterum haud hostili nos animo contra *Griesbachium*, praeceptorem quondam et collegam, etiam post cineres pie colendum, hoc loco decertare voluisse, non est, quod multis asseveremus; cavere modo voluimus monitis nostris, ne auctoritate viri κριτικωτατου error manifestus latius serpat aut diutius propagetur.

Sequitur *sexta* huius voluminis commentatio (XIII. p. 208. sqq.), quae duabus prolusionibus constans (1781. et 1782.) agit *de verbo prophetico*, 2. Petr. I, 16—21. Quem locum illustrem at obscurum multis variisque, quibus laborat, difficultatibus hac commentatione explicare studet *Griesbachius*. Reddimus autem hanc commentationem recognitam et auctam ex *commentationibus theologicis* a *Velthusen*, *Kuinoel* et *Ruperti* editis Vol. VI. (Lips. 1799.) p. 419. sqq. — Προφητικον λογον h. l. obvium quum antiquiores commentatores ad prophetas *Veteris* Testamenti retulissent, demonstraturi, horum vatum oracula de Iesu Christo eiusque vita, rebus gestis, morte, resurrectione et imperio

glorioso, omnium firmissima esse ad tuendam veritatem religionis christianae argumenta, vel ipso Apostolorum testimonio certiora: brevem praemisit Auctor historiam tum controversiae *Collinsii*, famosi illius religionis christianae adversarii, cuius vestigia alii deinceps prememrent, de pretio vaticiniis V. T. de Iesu Christo statuendo; tum dissensus ipsorum theologorum, tam Anglorum, quam nostratium, etiam recentiorum, in interpretandis singulis hoc loco obviis loquendi formulis, laudatis singulis eorum libris huc pertinentibus. Itaque operae pretium se facturum sperat, si suam ipsius sententiam de vero huius pericopae sensu proponat. Quare ante omnia totum sententiarum nexum accurate exponit, ex quo recte concludit (pag. 215. sqq.), hoc loco praesertim agi contra ψευδοδιδασκαλους de παρουσιᾳ s. *reditu* Christi, non de primo eiusdem in hunc mundum ingressu. Oracula autem *Veteris* Testamenti quum plane non agant de *reditu* Christi, τον προφητικον λογον (v. 19.), recte inde colligi existimat (p. 221.), referendum esse ad vaticinia de glorioso Christi *reditu* a prophetis *christianis* iisque ab Apostolis diversis (p. 223. sqq.) prolata. Quapropter sequentia ver-

ba v. 19. ᾠ καλως ποιειτε προσεχοντες, ὡς λυχνῳ φαινοντι ἐν αὐχμηρῳ τοπῳ, ἑως οὑ ἡμερα διαυγαση, και φωςφορος ἀνατειλῃ ἐν ταις καρδιαις ὑμων, sic παραφραζει (pag. 227.): „Quemadmodum, qui in tenebricosis locis degunt, lucernulae lumen neutiquam spernunt, sed lubentes ac laetabundi eo fruuntur, donec dies illucescat, et lucifer, orientis solis praecursor, nocti finem imponat: ita vos quoque ad ista vatum carmina, quae de rebus futuris utcunque vos commonefaciunt, animum advertere decet, donec ex indubiis signis intelligatis, exspectatam ἡμεραν praedictae dudum παρουσιας Χριστου adesse et illucescere iam iam coepisse, qua die eventus ipse, velut sol clarissima luce omnia collustrans, ignorantiae tenebras cum dubitationis nebulis ex animis vestris dispellet, irrisorum vero profanam temeritatem coarguet.“ — Attamen sibi ipse dubium nectit *Griesbachius* ex formula προφητεια γραφης (v. 20.), quae procul dubio referenda sit ad προφητικον λογον v. 19. nec videatur ad prophetas *Nov.* Test. ab Apostolis diversos pertinere, quippe quorum *scripta* nos plane ignoremus. (p. 231. sqq.). — In promtu tamen est *Griesbachio*, missis etiam variis coniecturis ab eo prolatis, responsio, sive haec posterior

epistola Petri Apostolo negetur, sive minus. Si haec epistola haud genuina iudicatur (quae multorum criticorum, etiam recentiorum, est sententia), auctorem illius subfanaticum putat Griesbachius respicere potuisse ad *apocalypses* illius aetatis apocryphas; sin autem haec epistola Petri Apostolo vere adiudicetur, has προφητειας γραφης vel ipsis Apostolis esse tribuendas, vel aliis hominibus fide dignis, qui literis mandassent sermones a *prophetis* coram in conventibus Christianorum (1. Corinth. XIV, 26. sqq.) habitos; nam hoc etiam librorum genus sacris literis, sive τῃ γραφῃ accenseri potuisse, dummodo de auctorum fide satis constitisset. —

In exornanda hac hypothesi, quod in isto loco Petrino προφητικος λογος non referendus sit ad oracula Messiana prophetarum *Vet. Test.*, sed ad vaticinia prophetarum *christianorum* de *reditu* Christi, ingenii Griesbachiani vim inprimis esse conspicuam, nemo facile, qui hanc commentationem exegeticam attente legerit, inficias ibit. Nihilo tamen secius in summa rei Viro celeberrimo equidem accedere plane non possum; vere enim occurrere plura in *veteri* Testamento vaticinia de παρουσιᾳ Messiae, certum exploratumque habeo; confudit modo

Griesbachius παρουσιαν s. adventum sollemnem Messiae et *reditum* Christi. Plura enim extare in *Vet.* Testam. oracula prophetarum, quae παρουσιαν Messiae vivis describant coloribus variisque involvant imaginibus, inter omnes constat. Iesus Christus autem, quem Apostoli pro Messia a vatibus Hebraeorum promisso habuissent, quum in his terris primum sine splendore Messiae a Iudaeis exspectati adparuisset, fieri non poterat, quin, adseverante Iesu Christo ipso, quo implerentur vaticinia Vet. Test., de splendido *reditu* I. C. cogitarent Apostoli, iisdemque eum describerent imaginibus, quibus παρουσιαν, h. e. sollemnem *adparitionem* Messiae prophetae Vet. Testamenti adumbrassent. —

Quae quum ita sint, non possum non adsentiri *Knappio*, viro summe venerabili, qui paucos post annos (a. 1785.) in egregia commentatione Halensi *) veterem sententiam, hunc locum Petrinum ad vates *Veteris* Testa-

---

*) Recusa est haec commentatio in locum 2. Petr. I, 19—21., qui est *de indole et usu vaticiniorum ad Messiam pertinentium*, in *Selectis historico-philosophico-theologicis*, T. I. Lips. 1787. p. 217 sqq., atque repetita in Ven. *Knappii Scriptis varii argumenti maximam partem exegetici*. Hal. 1805. 8. T. I. p. 5. sqq., quorum nova editio nuper prodiit. —

menti referendum esse, iterum vindicavit, totamque hanc pericopam Petrinam more suo docte ac eleganter illustravit; quam commentationem haud sine fructu conferent lectores programmatis Griesbachiani. Mirari autem subit, quamvis Ven. *Knappius* hoc programma prae modestia, ni fallor, ne cum *Griesbachio* pugnare velle videretur, silentio praeteriisset, *Griesbachium* in altera editione huius prolusionis in locum Petrinum, quae in Vol. VI. *commentationum theologicarum* (Lips. 1799.) continetur, nullam plane argumentorum a Ven. *Knappio* prolatorum rationem habuisse. —

In *septima* huius voluminis commentatione (XIV. p. 241—56), quae programma Ienense paschale (1783.) continet, *inquiritur in fontes, unde Evangelistae suas de resurrectione Domini narrationes hauserint.* — Quantopere hucusque, recentiore praesertim aetate, inprimis in *fragmentis Guelpherbytanis,* fides Evangelistarum in enarranda historia resurrectionis I. C. impugnata sit, inter omnes constat. Quare Auctor huius programmatis celeberrimus ingeniose detectis fontibus harum narrationum optime meruit de vindicanda Evangelistarum *fide*, etiamsi non omnia ac singula,

quae narrantur, certa sint et evicta. Summa autem rei ab Auctore magna cum sollertia tractatae eo redit. Matthaeus et Ioannes primo die resurrectionis Domini ipsi quidem eum viderunt, sed *primum* nuncium resurrectionis ab aliis iam acceperant. Maria enim Magdalena *solis* Ioanni ac Petro narravit, quae apud sepulcrum ipsa observasset (Io. XX, 2.); reliquos Apostolos, per Hierosolymam forte dispersos, non vidit. Reliquae autem mulieres alios Apostolos, ad quos Matthaeus pertineret, adierunt (Matth. XXVIII, 8. 9.) Nullus autem Apostolus omnes has mulieres simul vidit, ut earum narrationes inter se conferre posset; atque postquam sub noctem Christus ipse Apostolis adparuisset, hi aliis testimoniis resurrectionis Iesu non amplius egebant, nec adeo solliciti erant de narrationibus mulierum accurate inter se conferendis, sed eas potius, etsi mancas, prouti memoria tenuissent, aliis tradiderunt. — Quicquid igitur Ioannes narrat, id omne hausit aut ex narratione Mariae Magdalenae, aut ex αὐτοψίᾳ. Matthaeus autem, quae de resurrectione Domini refert, accepit potissimum ex narratione mulierum, quae, quum avolasset a sepulcro Iesu Maria Magda-

lena, ibi remanserunt, atque primum angelum quendam, deinde Christum ipsum conspexerunt. Quae vero Matthaeus narrat de angelo lapidem amovente, eum audivisse putat *Griesbachius*, vel a milite aliquo Romano, custode sepulcri, eoque postea ad sacra Christiana perducto, vel a familiari aliquo custodum Romanorum sepulcri, vel a senatore Iudaico deinde religionem christianam amplexo. — Quibus scite observatis cel. Auctor e narrationibus Matthaei et Ioannis apte inter se comparatis continuam aliquam historiam resurrectionis Iesu Christi concinnare sategit pag. 249. sqq. Inprimis magna diligentia atque sagacitate usus est Auctor in componenda diversitate *Lucae* a reliquis Evangelistis; deinde *Marcum* existimat Lucam potissimum in conficienda hac historia fuisse sequutum, Matthaeo licet non prorsus neglecto. —

Haesitamus tamen, si *Griesbachium* in historia resurrectionis Iesu Christi sequamur, in componenda narratione Matthaei et Marci de *prima* adparitione Iesu Christi in vitam revocati. Secundum *Marcum* (XVI, 9.) hic *primum* adparuit Mariae Magdalenae ad sepulcrum; sed *Matthaeus* narrat (XXVIII, 9. 10.), Christum

adparuisse reliquis mulieribus (exclusa forte Ioanna), quae sepulcrum ante reditum Mariae Magdalenae reliquissent, in via. His igitur mulieribus Christus videtur *primum* adparuisse; postquam enim Christus Mariae Magdalenae ad sepulcrum adparuit, et quidem, quum iam rediissent Hierosolyma comites Mariae Petrus et Ioannes, in eadem urbe iam dudum advenisse illas mulieres, necesse est. — Sed haec differentia tanti non est momenti; et difficultas tum demum oritur, si cum Griesbachio sumimus, Marcum in conficiendo Evangelio suo ante oculos potissimum habuisse Matthaeum, quamvis et haec tolli possit difficultas, hoc quidem loco, qui Matthaeo *proprius* est (XXVIII, 9. 10.), si haec duo commata serius fuerint addita, nec ab ipso Matthaeo profecta. — *Griesbachius* enim tum temporis duas caussas postea demum ab *Eichhornio* aliisque rectius observatas atque fusius expositas non satis attendisse videtur; quamvis et postea in sententia sua strenue persistiterit, eamque πυξ και λαξ defenderit: *primum* quidem, suspectas eas videri Evangeliorum particulas, saltem non satis firmas, quae singulis sint propriae, inprimis quae in Evangeliis Matthaei, Marci et Lucae

huius sint generis; *deinde* hypothesin illam, qua Marcus Matthaeum et Lucam ante oculos habuisse, atque modo hunc modo illum in concinnando Evangelio sequutus fuisse dicitur, dubiam admodum esse nec satis munitam; *id quod Eichhornius*, vir summus, in Introductione in libros N. T. (Tom. I. *pag.* 376. sqq.) clare docuit, quamvis sua ipsius hypothesis novis laboret difficultatibus atque incommodis.

Caeterum cum fructu nunc conferri meretur egregium *Niemeyeri* (Viri summe venerabilis) programma Halense paschale 1824. (de Evangelistarum in narrando Iesu Christi in vitam reditu dissensione, variisque veterum ecclesiae doctorum in ea diiudicanda et componenda studiis.) — Brevis hic nobis exhibetur conspectus eorum, quae praestiterint in hac historia veteres ecclesiae doctores. At enimvero per tot saecula adeo parum ab illis doctoribus ecclesiasticis in hac resurrectionis I. C. historia praestitum esse, iustum nobis movet dolorem, quamvis in nonnullis saltem, v. c. Augustino, Theophylacto, Euthymio, quum defuissent vires, laudanda tamen sit voluntas et diligentia. Eo maiorem in laudem cedit aetati no-

strae, recentiores N. T. interpretes longe plus praestitisse in exponenda et illustranda hac historia et paucis quidem plagulis, quam veteres in tot operum suorum voluminibus, etsi per recentiora etiam studia nondum res omnis ad liquidum, uti decet, sit perducta. —

Commentatio *octava* (XV. p. 257 — 68.), eodem anno 1780, ad festum pentecostale conscripta, agit *de Spiritu Dei, quo abluti, sanctificati et iustificati dicuntur Corinthii*, 1. Cor. VI, 11. — Verus huius loci sensus ex oratione contexta et usu loquendi Paullino luculenter adeo adparet, ut miremur, non diu ante *Griesbachium* ab interpretibus verum hunc verborum sensum fuisse repertum. — Duo potissimum sunt h. l. explicanda: primum, quid sit *ablui*, *sanctificari* et *iustificari*; deinde quonam sensu Christianis haec beneficia contigisse perhibeantur *in nomine Domini Iesu et per Spiritum Dei nostri.* Sed in solvendis his quaestionibus nihil praestitisse antiquiores doctores ecclesiasticos, Auctor docet p. 257. sq. Recentiores autem interpretes post repurgata sacra, quorum sententiae diligenter collectae exhibentur p. 259 — 63., in partes abeunt plane diversas; alii enim tria, alii duo beneficia, alii

nonnisi unicum h. l. describi putant. Sed parum hi interpretes attenderunt in explicando hoc loco ad seriem orationis, quae p. 264. illustratur. Etenim, quum paulo ante Corinthios acriter vituperasset Apostolus, eorumque ἀδικιαν et *improbitatem* valde reprehendisset, facile inde intelligitur, de iustitia et sanctitate eorum *interna* h. l. sermonem esse non posse, sed de sola *externa* eorum, qua Christianorum, prae ethnicis, quales ipsi antea fuissent, praestantia. Ethnici enim Iudaeis audiebant ἁμαρτωλοι et ἀδικοι; quum autem hi Corinthii in coetum Christianum fuissent recepti, *externam* eos adeptos fuisse ἁγιωσυνην et δικαιοσυνην, contendit Apostolus, ideoque qua Christianos, abiecto gentilismo Deo probatos, christianam etiam eos debere virtutem sectari. Itaque *Griesbachius* p. 267. perquam apté atque ad orationem Paullinam accommodate hunc locum παραφραζει. Hanc autem praestantiam Corinthiorum externam, quam h. l. Apostolus laudat, iis contigisse ἐν ὀνοματι του κυριου Ἰησου, hoc est, per *confessionem religionis christianae*, atque ἐν τῳ πνευματι του θεου ἡμων, *adiuvante vi divina*, qua Corinthi coetus christianus fuisset collectus,

cum doctrina Paullina in aliis etiam locis exposita accurate convenire constat. —

Commentatio huius voluminis nona (XVI. p. 269—287.) ad indicenda sollemnia doctoralia *Io. Guilielm. Schmidii* a. 1784. scripta, *nexum inter virtutem et religionem* paucis illustrat. — In hac prolusione *Griesbachius* religionem christianam non tam defendit ab iis, qui frivole omne virtutis exercitium spernunt, quam potius ab eorum modo obiectionibus, qui virtutem ac religionem separantes sibi persuadent, virtutem absque religionis adminiculo animis hominum posse instillari; quorum duae classes pag. 271. sqq. enumerantur, earumque argumenta refutantur. Alii enim non omnem quidem vim religionis a virtutis exercitio secludunt, at religionem naturalem ad hoc negotium iam sufficere putant, nulla quidem desideriorum populi, ac praestantiae religionis christianae ratione habita; alii autem adversarii naturalem etiam religionem, quae et ipsa virtutis studia excitare et alere nequeat, contemnunt, nihil non educationi, exemplis, adsuetudini sapientique reipublicae administrationi tribuentes. — Nolumus vero argumentis Auctoris tam certis et invictis, quam claris et per-

spicuis hic immorari, ablegamus potius lectores ad egregiam hanc commentationem ipsam penitius cognoscendam.

Commentatio *decima* (XVII — XXI. pag. 288 — 357.) continet quinque particulas stricturarum *in locum de theopneustia librorum sacrorum*, 1784 — 88. Ienae celebrandis sollemnibus pentecostalibus scriptas. — Argumentum hoc dogmaticum idque longe difficillimum, multo, quam antea, accuratius et circumspectius ab Auctore celeberrimo in his stricturis tractatum fuisse, tam ampla Viri doctrinae copia et insigne ingenii acumen exspectare nos iubet, quam attentior huius commentationis lectio nos satis edocebit; modo attendamus tum temporis, quo scripta illa sit, rationem, tum moderatius Viri ingenium, idque ad componendas *lites* quam ad eas excitandas et alendas pronius. Nec hodie defuturos auguror permultos, qui in placitis Griesbachianis subsistere, quam ulterius progredi malint. — In *prima* huius commentationis particula Auctor ipse antiquiores theologos multorum arguit vitiorum in adornanda hac de theopneustia doctrina commissorum; recentiores contra laudat dogmaticos, qui post

Io. Clericum, rebus sacris accuratius cognitis, universum locum de sacra scriptura rectius constituissent. Attamen nondum omnia tum temporis (a. 1784.) ad liquidum fuisse perducta, recte monet Auctor. Multa enim ait a multis in doctrina de theopneustia ita esse exposita, ut adversarii, quod telis suis petant, facile inveniant: laudat quidem *Kiddelium*, Anglum, *Danovium*, et inprimis *Toelnerum*, qui permulta in hac doctrina in clariore luce collocassent, quorumque placitis, quae breviter in prima hac particula exponit, lubens accedit; sed facilius adhuc defendi posse putat Auctor dogma de theopneustia, si in declarando hoc argumento ulteriorem operam suam impendant viri docti. Quaenam autem ea sint, quae clariori luce collustrari queant, et qua ratione hoc fieri possit, in sequentibus particulis fusius docere sategit. — Nimirum in particula *secunda* (pag. 303. sqq.) disseruit Auctor de discrimine, quo *inspiratio*, quae *proprie* dicitur, a donis Spir. S. Pentecostes die in Apostolos collatis, aeque ac a revelationibus, quae iis postea obtigerunt, et a directione auctorum sacrorum per providentiam Dei ordinariam differat. Nam ex sententia Auctoris virtute Spi-

ritus Sancti, die Pentecostes Apostolis illapsi, his praeter donum linguarum et facultatem miracula patrandi obtigerunt dotes animi insignes et supernaturales, quibus ad tradendam doctrinam christianam *opus* esset ipsis, utpote hominibus *plebeiis*, indoctis et subtimidis, ut *doctrinae* coelestis summam tum multo, quam antea, plenius ac penitius cognoscerent, tum ad eam tradendam miraculisque confirmandam magis idonei redderentur. Itaque effusionem Spiritus Sancti, existimat Auctor, *uno quasi actu miraculoso* fuisse absolutam, quamquam eius effectus perduraverit; afflatum autem divinum, qui *theopneustiae* nomine insigniatur, saepius *repetitisque vicibus* (non minus ac efficaciam providentiae Numinis ordinariae) Apostolis obtigisse, atque ad eas spectasse veritatis divinae *partes*, quae certo quodam tempore et loco exponendae essent. Quaesivit igitur *Griesbachius* θεοπνευστιαν in *novis auxiliis divinis*, quae in ipso *scriptionis momento* praesto fuerint, ut hi libri sacri aut saltem quaedum eorum partes ad Deum ipsum, tanquam *auctorem*, recte referri possent; Paullum enim ipsam scripturam sacram appellare θεοπνευστον; unde pronum sit, haud sufficere ad θεοπνευ-

στιαν, ut scriptura aliqua profecta sit a viris θεοπνευστοις; sed accesserit necesse esse ad ipsam scriptionem adflatus aliquis divinus. — Quoties igitur, censet *Griesbachius*, (p. 311.) institutio Domini, qua olim usi fuerant Apostoli, vel insignia cognitionis augmenta, quae illo Pentecostes die accesserant, vel seria meditatio virorum, quorum naturales ingenii vires Spiritus Sanctus roboraverat et auxerat, vel providentia Numinis ordinaria cavendis lapsibus, qui caveri *debebant*, non sufficerent, *theopneustiam*, sive Spiritus Sancti auxilium ἀμεσον scribentibus succurrisse credere fas est. — Reiecit igitur vir acutissimus veterum theologorum theopneustiam *universalem*, eamque per omnes scripturas sacras diffusam; atque retinuit modo theopneustiam admodum *particularem*, arctisque ita circumscriptam limitibus, ut vix definiri possit, quid sacris in literis, inprimis N. T. propriae huic theopneustiae tribuendum sit; id quod luculentius adparet ex prolixiore sententiae Griesbachianae de aucta Apostolorum cognitione rerum divinarum expositione, in *particula quarta* (pag. 328. sqq.). Quam arctiorem theopneustiae notionem si concesseris *Griesbachio*, concedas Eidem ne-

cesse est, falso permulta N. T. loca a Theologis ad probandam theopneustiam referri, quibus insignes modo describuntur effectus ἐνεργειας Spir. S. per totam Apostolorum vitam duraturi. Quorsum primum pertinent loca Evangelii Ioannis, quibus Iesus Apostolis promisit ἀλλον παρακλητον. Quare haec accuratius examinantur ab Auctore in particula *secunda* (p. 312. sqq.), atque tam perspicue explanantur, ut non possim non plane accedere, solam si exceperis notionem του παρακλητου Apostolis a Iesu promissi, in qua efformanda Auctor, *I. A. Ernestium* et *I. D. Michaelem* sequutus, vim *doctoris* verbo subiecit, quum mihi cum *Moro* aliisque recentioribus interpretibus ex loco parallelo 1. Io. II, 1. notio *adiutoris* videatur esse praeferenda. — Simili ratione Auctor in particula *tertia* (p. 318. sqq.) reliqua recenset loca ex Evangeliis Matthaei, Marci et Lucae, nec non ex epistolis Apostolorum ad demonstrandam vulgarem theopneustiae rationem a veteribus Theologis petita, eaque accuratius examinat; unde sub finem recte colligit, verum horum locorum sensum longe abesse a vulgari theopneustiae notione, quam inde informare studuerunt veteres Theologi. — Prae-

terea in particula *quarta* (p. 328. sqq.) demonstrat, multa ab iis ad theopneustiam strictius sic dictam fuisse relata, quae sacris literis, quippe quae modum rei nusquam distincte declarent, neutiquam repugnantibus ab ordinaria Dei providentia derivari omnino posse, salva librorum apostolicorum auctoritate divina, videantur. Quam commentationem in particula *quinta* (pag. 344. sqq.) continuat Auctor, atque rationibus rite subductis, additisque (p. 356. sq.) nonnullis corollariis, quibus fines *inspirationis*, proprie sic dictae, curatius describantur, ad finem deproperat. —

Quibus a *Griesbachio* pro aetatis suae ratione ac ingenii sui modulo docte et egregie monitis nonnulla nunc de hac gravissima doctrina adiungere pro aetatis *nostrae* ratione ac indole, varia illa quidem et multiformi, haud abs re esse equidem putarim. — Si solam grammaticam, quam vocant, interpretandi rationem in formandis notionibus theologicis ita sequamur, ut verum locorum N. T. sensum historicum, modo rite et legitime sit erutus, pro norma fidei nostrae firmiter habeamus, vix, ac ne vix quidem, quicquam inveniamus, quo ingeniosam ac speciosis argumentis munitam

argumentationem *Griesbachii* de recte formanda et accurate definienda notione *inspirationis* S. S., proprie sic dictae, repellere valeamus. Rem suam potius vir ille perspicacissimus perquam egregie egisse censendus est, tum in recte explicandis singulis in hanc rem allatis N. T. locis, tum in refutando irrito antiquiorum theologorum ex variis S. S. locis vulgarem de universali theopneustia stricte sic dicta sententiam extorquendi conatu, salva tamen theopneustia ipsa et salvo auxilio miraculoso a Spiritu sancto Apostolis praestito, tum in die Pentecostes festo ipso, tum specialis revelationis divinae ope. Quanquam enim *Griesbachius* haud pauca N. T. loca, quae plerumque essent ad theopneustiam proprie sic dictam a Theologis relata, nova iis luce accensa ita collustrasset, ut omnis, quae inde peteretur, vis probandi evanesceret, atque tota fere vetus, a Judaeis ac nonnullis Patribus, quos vocant, ad nos translata et artificiose efficta, doctrina de universali theopneustia per universam sacram scripturam diffusa uno quasi ictu corrueret, speciem tamen tenendae ac defendendae orthodoxiae pro more suo in hac etiam doctrina servare studuit; haerendo in eventibus ex-

traordinariis ac miraculosis, quibus salva maneret auctoritas S. S. divina, tum in festo illo Pentecostes die, tum admissa etiam, etsi particulari aliqua ac non definienda, theopneustia speciali. Hanc enim non prorsus negat Auctor, sed tam arctis eam circumscribit limitibus, ut vix definiri possit, ignaris ipsis Apostolis, quid ex ea inter scribendum promanaverit (pag. 356.); nam tum demum putat locum habuisse, ubi reliquae dotes Apostolorum extraordinariae ac miraculosae ad cavendos errores haud suffecerint. Potiora autem auxilia divina in condendis libris N. T. derivat Auctor tum ab effusione illa Spiritus Sancti miraculosa in festo Pentecostes (Act. c. II.), tum a providentia Numinis ordinaria. — Sed hoc ipsum est, in quo haud pauci Theologi et interpretes valde haesitant. Permulta enim tribuit *Griesbachius* celebratae illi effusioni Spir. S., quae hodie alii, gravioribus quidem de caussis, valde addubitant. Ab hoc nempe eventu pentecostali extraordinario non modo derivat Auctor donum linguarum, quod vocant, h. e. facultatem Apostolis concessam Evangelium praedicandi in quibuslibet linguis exterorum, atque potestatem miracula patrandi, ve-

rum etiam insigniora cognitionis rerum divinarum augmenta atque miraculose amplificatas mentis, animique Apostolorum dotes, ut cuique negotio Apostolico feliciter et graviter gerendo pares redderentur atque idonei. — At enimvero tanta tamque enormia miracula, quae aegre admodum cum observationibus psychologicis conciliari queant, Apostolis festo illo Pentecostes die per πνευμα ἁγιον ipsis illapsum obtigisse, quamplurimis hodie theologis aut S. S. interpretibus, praesertim per Germaniam, vix persuaserit *Griesbachius*, inprimis iis, qui varios theologorum recentiorum his de rebus cogitandi easque ex antiqui orbis moribus et institutis aestimandi modos, variaque pericula exegetica in narrationem Lucae Actor. c. II. obviam de prodigiis illis pentecostalibus, non modo Apostolis, verum etiam aliis Christi adseclis, qui tum congregati essent, repente oblatis accuratius norint. Quam in rem conferri merentur, quae egregie commentati sunt, tum *Heinrichsius* in Commentario in *Acta Apostolorum* methodo Koppiana adornato, ad Cap. II. atque in Excurs. II. et IV. (Goetting. 1809. et 1812.), tum *Kuinoelius* in Commentario amplissimo in Acta Apostolorum (Lips. 1818.)

ad Cap. II. — Simulac autem haec prodigiosa explicatio narrationis Lucae (quam, quod miror, ut concessam et indubiam sumit Griesbachius,) corruit, corruit etiam tota argumentatio Griesbachiana eidem superstructa. — Paululum tamen in his *Stricturis* viri celeberrimi subsistere placuit, quum animadvertisse mihi viderer, plane incognitas eas recentissimis theologis mansisse, aut saltem prorsus intactas eos hac stricturas reliquisse. — Quicquid autem horum sit, salva tamen manet sartaque auctoritas literarum sacrarum divina, immo ipsa eorum θεοπνευστια, s. afflatus divinus, si eum ex usu loquendi illorum temporum metiaris nec merum Naturalismum, proprie sic dictum, sequaris. Auxilio enim divino Apostolos usos fuisse atque peculiaribus exornatos dotibus, historia testis est. Eadem semper est vis divina ubique se exserens; sed varia illius forma pro varietate rerum obiectarum, quarum curam numen supremum gerit pro virtutis cuique rei propriae modulo, ac varia consiliorum divinorum ratione atque efficaciae divinae necessitate, cuius aliqua *species* illa erat θεοπνευστια stricte sic dicta. — Si quis autem in solo eoque strenuo Supernaturalismo acqui-

escendum sibi esse, atque ab philosophando de religione prorsus abstinendum, solisque literis sacris credendum iisque firmiter inhaerendum existimat, is sane melius sibi consulet, ne cum ipsis literis sacris pugnare videatur, si in partes *Griesbachii* plane descendit, quam si ad opiniones veterum theologorum dudum decantatas atque explosas redierit. — Denique historiam doctrinae de *inspiratione* S. S. atque placita recentiorum theologorum, varia illa quidem, breviter delineata vide sis in *Wegscheideri*, viri summe venerandi, institutionibus theologiae christianae dogmaticae ed. IV. (Hal. 1824.) pag. 187. sqq. —

Commentatio *undecima* (XXII. pag. 358 — 425.) duo programmata pentecostalia (a. 1789. et 1790.) complectitur, quibus *Griesbachius Evangelium Marci totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse* demonstrare sategit. Prooemii loco brevem antiquiorum ecclesiae doctorum de origine Evangelii Marci sententiarum historiam praemisit. Primum a *Papia* inde invaluit sententia, Marcum, quae a *Petro* audivisset, literis mandasse; deinde vero primus statuit *Augustinus:* Marcum tanquam pedissequum et breviatorem subsequu-

tum esse Matthaeum. Ex eo tempore plerique viri docti utramque sententiam coniungere solebant. Recentiori autem tempore *Lardnerus*, Anglus ille celeberrimus, Matthaeum a Marco plane non lectum fuisse, multis argumentis vincere studuit, quibus b. *Koppius* in peculiari programmate Gottingensi plura eaque graviora adderet; b. *Storrius* contra evincere annitebatur, Marcum primum ante reliquos Evangelistas suos scripsisse commentarios, quibus usus fuisset Lucas, deinde Matthaeum e Marci Evangelio multa in suos transtulisse commentarios. Denique *Eichhornius*, vir celeberrimus, in libro: Allgemeine Bibliothek d. biblischen Literatur, Vol. V., posuit, extitisse primis iam religionis christianae temporibus Evangelium aliquod primitivum (Urevangelium) ebraico s. aramaeo sermone conscriptum, quod ea fere complexum sit, quae Evangeliis nostris sint communia. Ebraicum illud scriptum vario modo sibi persuasit a pluribus in graecum sermonem magis minusve accurate fuisse translatum; has autem libelli primaevi versiones saepius fuisse descriptas et ab interpretibus vel librariis, vel lectoribus passim variis additamentis auctas. Hu-

iusmodi igitur exemplaria trium primaevi Evangelii versionum diversimode interpolatarum, sumsit vir acutissimus, ad manus fuisse tribus nostris Evangelistis, qui e penu sua nova additamenta adiecerint. — Hanc vero hypothesin artificiosius efformatam minus esse probabilem statuit *Griesbachius* (pag. 362. not. ***.) propter angustius temporis interiecti spatium, quod sane non permisisset, ut tot archetypi recensiones novae et locupletiores, tot recensionum permixtiones, tot denique earum versiones se invicem tam cito exciperent; cui accedit status ecclesiarum christianarum illo tempore dissitarum necdum inter se arcte coniunctarum. — Itaque abiectis variis his opinionibus speciosis argumentis in hac commentatione evincere studet *Griesbachius: Marcum in conscribendo Evangelio suo ante oculos positum habuisse non solum Matthaeum, sed et Lucam, atque ex his decerpsisse, quicquid de rebus gestis, sermonibus et fatis Servatoris memoriae mandaret.* Quare hanc commentationem in tres Sectiones ita distribuit, ut primum sententiam suam distincte exponeret, deinde selectis argumentis eam confirmaret, denique consectaria ex hac hypothesi derivanda indica-

rèt. — Nec diffitendum est, ven. *Griesbachium* in exornanda hac hypothesi tanto usum fuisse ingenii acumine tantaque mentis sollertia, ut mirum plane non sit, inprimis si conferatur synopsis trium Evangeliorum a *Griesbachio* in hunc etiam usum adornata, tot viris doctis maxime arrisisse hanc viri sententiam ingeniośe adeo et copiose ab Eó defensam. At vero *Eichhornius*, vir sagacissimus, in libro egregio: Einleitung in das Neue Testament (Lips. 1804. sqq.) Vol. I. inprimis §. 93. sq. hanc opinionem tam firmis et argutis impugnavit argumentis, ut felicius multo hanc hypothesin Griesbachianam eiusque argumenta infregisse, quam suam ipsius sententiam corroborasse nobis videatur. Sed nostrum non est, tantas componere lites, nec capit praefaminis nostri tenuitas ampliorem atque accuratiorem harum difficultatum indagationem. Incidit enim quaestio múltis implicita nodis, utrum priora tria Evangelia Matthaeì, Marci et Lucae, quae ad verbum saepissime secum invicem consentiunt, ex communi aliquo fonte, et ex quonam, manaverint; an communi verborum usu a se invicem dependeant, et quinam hi sint, qui altero usi fuerint? — Quare non mirum est,

duas has opiniones supra breviter expositas sibique invicem e diametro oppositas duumvirorum celeberrimorum, *Griesbachii* et *Eichhornii*, virorum doctissimorum ita exercuisse ingenia, ut in varia quisque sententiarum divortia abirent, validisque argumentis undecunque conquisitis suam quisque sententiam suffulcire studerent. Occurrunt enim nobis in hoc campo viri nostri temporis doctissimi et acutissimi: *Michaelis*, *Haenlinus*, *Marshius*, Anglus isque nunc Episcopus, *Paulus*, *Hugius*, *Vogelius*, *Schmidtius*, *Zieglerus*, *Schützius*, *Bertholdius*, *Gratzius*, *Gieselerus*, aliique, quorum autem singulas sententias libellosque hac de re scriptos recensere, non est huius loci. Qui plura hac de gravi Criticorum controversia nosse cupit, adeat vel breviorem variarum sententiarum recensum in *Kuinoelii* commentario in Evangel. Matthaei, Prolegg. p. XI. sqq. (ed. 3. 1823.), aut in *Vogelii* commentatione über die Entstehung der drey ersten Evangelien (im Journal für auserlesene theologische Literatur B. 1. St. 1.), vel copiosiorem harum sententiarum inquisitionem in *Eichhornii* Einleitung in das N. T. Vol. I. aut in Herberti *Marsh* Abhandlung über die Entstehung und

Abfassung unserer ersten drey kanonischen Evangelien in eiusdem libro: Anmerkungen u. Zusätze zu A. D. Michaelis Einleitung in die Schriften des neuen Bundes, übersetzt von E. F. K. Rosenmüller Th. II. (Göttingen 1803. 4.), inprimis autem in b. *Bertholdi* Einleitung in die Schriften des A. u. N. B. Th. III. pag. 1091 sqq., atque in egregio libello Ven. *Gieseleri:* Historisch-kritischer Versuch über die Entstehung und d. frühesten Schicksale der schriftlichen Evangelien. (Lips. 1818. 8.), cui addi potest: Theologisch-exegetisches Conservatorium von *Paulus*, erste Lieferung. (Heidelberg 1822. 8.) — Alio forsan tempore, alioque loco opportuniori, si Deus vitam viresque concesserit, quid his de rebus ipse sentiam, qui hoc argumentum per longum vitae meae decursum toties mente volvissem, accuratius sum expositurus.

In commentatione huius voluminis *duodecima* (XXIII. pag. 426 — 455.), quae duo programmata (a. 1791. et 1792.), eaque ab Auctore recognita continet, agitur *de imaginibus iudaicis, quibus auctor epistolae ad Ebraeos in describenda Messiae provincia usus est.* — In hac commentatione adhuc lectu dignissima primum Auctor causas recte exponit, quare

auctor epistolae ad Ebraeos, quo praestantiam religionis christianae prae Mosaica doceret, Iesum Christum cum Mose, sacerdotibus Iudaeorum, inprimis pontificibus, eiusque mortem cum sacrificiis a Mose institutis comparaverit. Iudaei enim ad fidem christianam perducti tanto patriae religionis amore et desiderio tenebantur, ut sacra christiana, a caerimoniarum pompa alienissima, multis institutis, quibus Israelitica religio commendaretur, carere aegre ferrent. Inprimis inauditum, nedum absonum videbatur, religionem cultumque Numinis esse posse absque sacerdotibus, templis, altaribus, victimis, lustrationibus, aliisque huius generis ritibus, quibus religionis summam contineri plerique autumabant. Quare nec hac caerimoniarum rituumque pompa, sed multo perfectiori, eaque iam a piis vatibus Ebraeorum annunciata, carere religionem christianam, ingeniosus epistolae auctor, multis ex veteri oeconomia adhibitis imaginibus, artificiose ex Iudaico temporis illius more comprobare studet. At subsunt istis rerum spiritualium imaginibus verissimae descriptiones beneficiorum, quae Iesu Christo, Servatori optimo, debemus. Itaque res omnis eo redit, ut imagines istae recte explicentur atque

doctrinae sub his umbris latentes accurate describantur. Quae autem veritas his imaginum umbris subsit, certarunt S. S. interpretes. Quae lis ut facilius diiudicari aliique Novi Testamenti loci, in quibus eaedem res verbis magis propriis, aut sub aliis saltem imaginibus repraesentantur, rectius comparari et ad illustrandas formulas in hac epistola ad Ebraeos obvias adhiberi possint, id potissimum egit *Griesbachius* in egregia hac commentatione (p. 429. sq.), ut *primo* singulas figuras, e quibus allegorica illa pictura composita est, imo figurae cuiusque praecipuas velut lineas ex universa epistola colligeret, et commodo ordine ita lectorum oculis subiiceret, ut tabulam mire variegatam, in qua eaedem imagines saepius repetitae reperiuntur, uno quasi obtutu perlustrare queant; *deinde* allegoriae sensum declararet. Misso autem reliquo epistolae argumento iis tantum immoratus est, in quibus cardo rei vertitur, hoc est iis, quae ad comparationem Christi cum summo sacerdote, et ad vindicandam eius prae iudaicis pontificibus praestantiam pertinent. — Qua quidem imagines epistolae ad Ebraeos illustrandi provincia *Griesbachius* in hacce commentatione (p. 429 — 455.) tam docte, circumspecte et accurate

defunctus est, ut cuivis sensum epistolae ad Ebraeos perscrutaturo eamque accuratius interpretaturo non possim non attentam huius commentationis lectionem vehementer commendare, quacum conferri merentur, quae a ven. *Heinrichsio* bene observata legimus in excurs. III. et IV. commentario Eiusdem in epist. ad Ebraeos (ed. Koppianae Vol. VIII. Gotting. 1792.) addito. —

In commentatione huius voluminis *decima tertia* (XXIV. p. 456 — 470.), Ienae, ad natales I. C. pie celebrandos a. 1792. conscripta, disquiritur: *quid Ebr. III.* 7. — *IV.* 11. *καταπαυσεως θεου imagine adumbretur?* — Tota haec pericopa epistolae ad Ebraeos superstructa est verbis Psalmi nonagesimi quinti e versione Alexandrina: ὠμοσα ἐν τῃ ὀργῃ μου· εἰ εἰσελευσονται εἰς την καταπαυσιν μου, e quibus argute argumentatur auctor epistolae. Primum quaerunt interpretes, quid in hoc segmento significet καταπαυσις θεου? quietem, qua *deus ipse* fruitur (ut θεου sit genitivus subiecti), an quietem *a Deo* promissam sive concessam? Deinde, quum καταπαυσις θεου aliam notionem sibi adiunctam habere videatur, in altera parte huius pericopae, c. IV, 4 — 11., quam in priori c. III, 7. — IV, 3., quaeritur, si significetur quies hu-

mana quieti divinae *similis*, utrum quies Dei *proprie* sit intelligenda, an *felicitas* hac quietis Dei imagine adumbretur? Ex hac vocis dilogia variae huic pericopae nectuntur difficultates. Plerique quidem interpretes (vid. pag. 461.) *felicitatis* notionem hac quietis dei imagine expressam esse existimant; sed aliter videtur *Griesbachio*, quum auctor epistolae urgere videatur καταπαυσιν θεου ἀπο των ἐργων, quae, quum manifeste spectet ad Gen. II, 2. 3., *felicitatem* significare nequeat, quia omnia ista, quae leguntur inde a capitis quarti commate tertio medio, a verbis καιτοι των ἐργων usque ad comma undecimum rectius abfuisse Ei videntur, si auctor hanc modo interpretum sententiam exprimere voluisset. Quare aliam hoc segmentum interpretandi viam, a *Cramero*, *Semlero* et *Tellero* aliisque iam tentatam, sed a recentioribus fere omnibus interpretibus neglectam ac repudiatam, ineundam sibi et complanandam esse existimavit *Griesbachius*. — Nimirum καταπαυσεως nomine indicari etiam potuit *cessatio ab operibus mosaicae legis*, quies ac liberatio a iugo cervicibus Iudaeorum imposito. Quam ob rem brevissime et ad rem accommodatissime, ait Auctor (p. 464.), dicere licebit, καταπαυσιν esse δικαιωσιν δια πιστεως χωρις

ἐργων, quae scite ἀναπαυσις ἀπ' ἐργων, scilicet νομου, vocari potuit, ut alibi (Rom. IV, 4. 5.) Iudaizantes, fiduciam suam in sedula operum legis observatione collocantes, ἐργαζομενοι adpellantur. Denique optime, imo unice haec vocabuli ἐργα significatio convenit ultimis pericopae commatibus, contra vero, quamcunque aliam voci subesse statuas notionem, ieiuna et tantum non inepta, pergit Auctor, erit operum, a quibus credentes cessant, cum operibus, a quibus Deus requievit, comparatio comm. 10. Nam neque aerumnae, quibus mortales premuntur, nec recte facta (ἐργα καλα), a quibus nunquam desistere licet, neque impiorum facinora (ἐργα πονηρα) cum iis conferri possunt Dei operibus, a quibus ipse cessavit. Concedit quidem *Griesbachius*, hanc καταπαυσεως notionem ad priorem pericopae partem (c. III, 7.—IV, 2.) plane non posse accommodari; sed ab alia καταπαυσεως notione sc. *felicitatis* in priori parte transire auctorem epistolae statuit ad aliam sc. quietis ab operibus legis Mosaicae. Quare nexum sententiarum huius pericopae in hunc modum constituit (pag. 468. sq.). — „Postquam auctor epistolae cap. IV, 1. hortatus erat lectores, ne deserendo sacra christiana promissae sibi felicitatis expertes se

facerent, commate 2. addit a) nobis aeque ac priscis Israelitis promissam esse felicitatem, b) participes eius autem solos fieri πιστευοντας. Utrumque repetit comm. 3. ineunte, et confirmat verbis Psalmi iterum prolatis: εἰ εἰσελευσονται εἰς την καταπαυσιν μου. Atque *nunc demum* animum eius subiisse videtur cogitatio, καταπαυσιν μου esse καταπαυσιν θεου. Haec in memoriam eius revocabat locum Geneseos II, 4. laudatum: κατεπαυσεν ὁ θεος ἀπο των ἐργων αὐτου. Sic mente informavit notionem καταπαυσεως ἀπο των ἐργων. Et quum πιστεως, quae ἐργοις νομου opponi solet, in proxime antecedentibus aliquoties meminisset, facile eo delatus est, ut cogitando haec coniungeret, ac statueret, καταπαυσιν θεου, ad quam nos Christiani invitamur, esse καταπαυσιν ἀπ' ἐργων νόμου. Antequam vero hoc distinctius exponeret, pergit in demonstratione comm. 2. incepta, promissionem de καταπαυσει obtinenda omnino etiam ad nos spectare. Qua ad finem perducta, comm. 9. repetit thesin suam: ἀρα ἀπολειπεται σαββατισμος. Iam non καταπαυσιν adpellat, sed σαββατισμον, quia menti ipsius obversabatur καταπαυσις ἀπο των ἐργων. Hoc comm. 10. clarius eloquitur. Tandem comm. 11. dissertatiunculae finem imponit hac admonitione: De-

mus operam, ut ingrediamur εἰς ἐκεινην την καταπαυσιν (nimirum εἰς την καταπαυσιν ἀπ' ἐργων scil. νομου,) ne nos ipsos aeque reddamus infelices, ac Israelitae illi sese reddiderant sua obstinatione. Nam ἐξ ἐργων νομου οὐ δικαιωθησεται πασα σαρξ, Rom. III, 20., quare, quicunque ἐξ ἐργων νομου εἰσι, ii ὑπο καταραν εἰσι, Gal. III, 10. et eos χριστος οὐδεν ὠφελησει, Gal. V, 2.“ —

Utut autem haec sententiarum series docte et ingeniose a *Griesbachio* sit conformata, tamen non possum a me impetrare, ut hanc argumentandi subtilitatem ipsi auctori epistolae ad Ebraeos tribuam. Etenim si haec auctori in capite quarto sedisset sententia, eam profecto ad morem Paulli, Apostoli, in epist. ad Romanos et Galatas, luculentius exposuisset, nec, dum quietis ab operibus mentionem faceret, vocabulum princeps του νομου plane reticuisset. Totus potius huius periochae cap. III, 7. — IV, 11. contextus, recte monente novissimo huius epistolae interprete, ven. *Chr. Frid. Boehme*, viro doctissimo, in commentario perpetuo, eoque amplissimo (Lips. 1825. pag. 195.) artificiose illatae huic argumentationi, eique nusquam in universa hac epistola clare expressae adversatur. — Mihi potius, si quid iudi-

co, in utraque huius periochae parte *eadem* regnare videtur notio primaria quietis; nempe *felicitatis* symboli, quam in requie potissimum quaerere solent Orientales. Itaque indicatur in utraque segmenti parte quies Israelitarum quieti *Dei ipsius* similis, in priori quidem parte (cap. III.) in terra chanaanitica, in posteriori autem (cap. IV.), generatim, qua symbolum *felicitatis* omnino, inprimis Christianorum, qui beatos se sentirent requie a laboribus et aerumnis, et a laboriosa contentione omnino, illo veri nominis σαββατισμῳ. —

Commentatio *decima quarta* huius voluminis, eaque *ultima*, (XXV. pag. 471 — 486.) programma pentecostale a. 1793. continens, exhibet, *locorum Novi Testamenti ad ascensum Christi in coelum spectantium syllogen.* — Pergrata erit docta haec viri celeberimi dissertatio, novus isque locupletissimus animi laborum patientissimi, atque indefessi locos eiusdem generis colligendi inque suas classes rite digerendi studii testis, cuique lectori, qui omnes ac singulos ad hoc argumentum pertinentes N. T. locos sollicite inter se conferre cupiat, quo certum ac iustum hac de re difficili iudicium formare queat. — Primum recte observat *Griesbachius*, narrationem de visibili adscen-

su I. C. in coelos non deprehendi in Evangeliis Matthaei et Ioannis (Apostolorum), sed modo in commentariis Marci et Lucae (qui Apostoli *non* fuissent); atque in his authentiam ultimorum Evangelii *Marci* commatum admodum esse suspectam, ut adeo tota de hoc eventu mirabili narratio solo nitatur testimonio *Lucae*, tum in Evangelio, cap. XXIV, 51., tum in Actis Apostol. cap. I, 9—11. Sed in narratione Evang. (24, 51.) ipsa verba: και ἀνεφερετο εἰς τον οὐρανον, et: προσκυνησαντες αὐτον, valde sunt dubia, ut solus locus, Act. I, 9—11. remaneat ad confirmandam hanc rem mirabilem. Imo de ipso hoc loco unico dubitant nonnulli propter commemoratam angelorum adparitionem. Quae quum ita sint, operae pretium se facturum existimavit *Griesbachius*, si ex omnibus N. T. libris ea omnia, quae ad illum Servatoris discessum in coelum ullo modo spectare videntur, colligeret et in classes nonnullas ita dispesceret, ut cuncta facilius uno mentis obtutu perlustrari possent. — Primo loco huc refert sermones Christi in Matthaei, Marci et Lucae commentariis obvios. In his quidem plura loca occurrunt, quae de reditu Christi atque imperio in ecclesiam huiusque beatiore conditione agunt, sed nullum

iis inest indicium, Iesum visibili modo, qua corpus etiam, in coelum iri evectum. — Sed in sermonibus Christi a Ioanne in literas relatis plura ac luculentiora loca occurrunt, quae ad causam nostram propius accedere videntur. Praedixit enim Iesus, discessurum se e terrena hac vita, atque abiturum ad Patrem, et commoda suorum promoturum. Quonam autem *modo* ac tempore in coelum reversurus sit, nunquam, ne post resurrectionem quidem, clare elocutus est. — Tum progreditur Auctor (p. 479. sq.) ad Apostolorum sermones, qui in eorundem Actis a Luca conscriptis leguntur. Ex his quidem patet, Petrum et Paullum credidisse, Iesum in coelum adscendisse ibique ad dextram Patris consedisse; quanam autem ratione id factum sit, silent hi Apostoli. — Ita et inter epistolas *catholicas* in priori Petri Christus dicitur πορευθεις εἰς οὐρανον. — Denique *epistolae Paulli* multa quidem et luculenta continent testimonia de Iesu post resurrectionem vita perenni ac coelesti, corpore iam glorificato, summa eius gloria ac maiestate, immensa item auctoritate et potentia, et de reditu eius olim exspectando ad resuscitandos mortuos et exercendum iudicium; at de visibili illius adscensione in coelum nihil refertur. — Quos

igitur locos omnes e Nov. Test. libris collectos si studiose inter se comparamus, recte colligit *Griesbachius* (p. 484.), facile deprehendimus, historicam de Iesu in coelum adscensu narrationem *certo* non reperiri nisi apud Lucam; sed praedictiones Iesu ipsius de reditu suo ad Patrem coelestem, et Petri Paullique assertiones, „Iesum post resurrectionem morti obnoxium haud fuisse, sed e sepulcro rediisse in vitam aeternum duraturam, eundemque ex hac terra profectum esse in coelum ibique, summa gloria condecoratum, ad Patris dextram consedisse“, bene convenire cum Lucae narratione de Christi vivi raptu in coelum. Neque tamen Apostoli, pergit *Griesbachius*, historicas illius ἀναλήψεως circumstantias auditoribus vel lectoribus suis studiosius inculcare consueverant; id potius sedulo agere solebant, ut discipulis persuaderent, Christum obedientiae praemia reportasse longe maxima, summaque apud Deum frui felicitate, dominum eum esse hominum, pie ab iis colendum, ecclesiae suae caput eiusdemque rectorem, spiritualium bonorum largitorem munificentissimum, cultorumque suorum apud Patrem patronum indulgentissimum atque iudicem praemia suis cultoribus olim iustissime distributurum. — *In his,*

desinit Auctor, *substitere Apostoli; in his subsistere nec nobis nefas erit.* —

Quibus bene a *Griesbachio* observatis nonnulla tamen addere iuvat. Hodie non certatur inter theologos christianos de ἀναλήψει Iesu εἰς οὐρανον, si cum b. *Reinhardo* locum aliquem *augustum* intelligimus, ad quem Christus ex hoc orbe discedens sublimis abierit, quemve scriptura *coelum* adpellet. Nullus enim christianus negat, Iesum Christum ad beatas sedes abiisse, et aeternis nunc frui virtutis suae praemiis. Sed certant modo de fide historica narrationis Lucae de *visibili* adscensione Christi in coelum. Nec silentio praetereundum, Lucam non diserte effari, Iesum Christum *visibili modo* h. e. corpore ipso e sepulcro resuscitato in coelum fuisse sublatum; nam expresse narrat, nubem eum texisse eorumque oculis subripuisse (Act. I, 9. νεφελη ὑπελαβεν αὐτον ἀπο των ὀφθαλμων αὐτων). Ergo ipso Luca teste non *viderunt* Apostoli *corpoream* adscensionem I. C. in coelum, sed *concluserunt* potius ex rerum circumstantia. Cui accedit, corpus crassius, quo Christus, his in terris degens, etiam post resurrectionem usus esset, in coelum transvehi plane non potuisse, monente Paullo, Apostolo, 1. Cor. XV, 50. (ὅτι

σαρξ και αἱμα βασιλειαν θεου κληρονομησαι οὐ δυνανται.), eoque ipso docente, Iesum Christum corpore nunc frui πνευματικῳ et ἐπουρανιῳ (vv. anteced. 46—49.). Itaque *Augustinus* statuit (Retractat. I, 17.), Christum in hac ἀναλήψει habuisse *spirituale corpus.* Quare b. *Seilerus* (in progr. Erlang. 1803. scripto) coniecit: Christum hoc corpus *subtilius* induisse, abiectis crassioribus corporis terrestris partibus, eo tempore, quo nubes eum texisset; atque alius vir doctus (in *Süsskindii* Magazin für Dogmatik St. XVII.) sibi persuasit, hanc ipsam nubem, quae Christum texerit, constitisse vaporibus, in quos corpus Christi terrestre iam abiiciendum diffluxerit. — Sed altius descendere in veram huius narrationis Lucae, utrum vere historica sit, an mythica? rationem, atque fusius somnia nonnullorum, Bahrdtii, Venturini aliorumque diiudicare, non est huius loci, nec temporis; nam operae urgent, et festinat liber ad nundinas vernales. — Subsistamus igitur cum *Griesbachio* in iis, in quibus et substitere Apostoli. Qui autem plures theologorum hac de re opiniones nosse velit, conferat rogo *Chr. Guil. Flüggii* libellum de ascensu Christi in coelum (die Himmelfahrt Iesu) anno huius sae-

culi octavo scriptum; nec non ven. *Heinrichsii* Excurs. I. ad Commentarium in Acta Apostolorum (edit. Koppianae Vol. III.) — partic. II. pag. 289. sqq. — de Iesu Christo coelum sublato, ad Act. I, 1 — 11., atque S. V. *Kuinoelii* commentarium in Evangelia Marci et Lucae, ad Marc. XVI, 19. 20. (ed. 2. 1817. pag. 206 — 216). —

Itaque et praefandi finem facio. Caeterum ut notulas meas qualescunque opusculorum horum Griesbachianorum argumento in hoc praefamine, quam possem, brevissime recensito admistas, quibus accuratius sanctiorum literarum studium pro viribus adiuvare volui, lectores benevoli aequi bonique cōnsulant, humanissime oro rogoque. Et si quid humani in hac praefatione mihi acciderit, — humani autem nihil a me alienum esse puto — id tum imbecillitati humanae omnino, tum ingravescenti senectuti meae facile condonaturos esse Lectores spero atque confido. Scr. Ienae, d. XXI. m. Aprilis A. C. MDCCCXXV.

Io. Phil. Gabler.

VII.

Curarum in historiam textus graeci epistolarum Pauli specimen I.

Cuius partem priorem
Praeside
Ernesto Iacobo Danovio
pro summis in theologia honoribus rite impetrandis ad diem VII. Februarii a. s. r. MDCCLXXVII.
publice disceptandam proponit
Ioannes Iacobus Griesbach,
Theologiae Professor publ. ordinarius et societ. acad. princ. Hassiacae sodalis.
Ienae.

Conspectus.

Speciminis I. Sectio I. agit de historiae huius utilitate, difficultate, et fontibus, atque de recensionibus vetustis generatim, earundemque investigandarum ratione.

§. 1. Cur sacri textus historia accuratissima pervestigatione digna sit.

§. 2. Historiae huius, omnibus partibus perfectae, descriptio.

§. 3. Nisi facem haec nobis praefert, neque integritatem textus Novi Test. contra doctos adversarios rite defendere,

§. 4. neque de editionum hodiernarum indole et pretio iudicare valemus.

§. 5. Inprimis vero carere hoc adminiculo non possumus in iudicanda lectionum varietate, indagandisque lectionibus genuinis. Historia enim, tum corruptionum originem, tum instrumentorum, quibus criticus utitur, indolem atque usum docet, atque

§ 6. Reperiendarum lectionum genuinarum viam commonstrat, non solum usitata atque vulgari longe breviorem,

§. 7. Verum etiam tutiorem.

§. 8. Vulgaria enim artis criticae praecepta satis sunt imperfecta et lubrica. Posset quidem, praelucente historia textus, critices sacrae theoria adornari longe perfectior;

§. 9. Verum enim vero ipsa haec textus sacri historia nondum ita elaborata est, ut huic fini commodum inservire possit.

§. 10. Auctoris consilium de conscribenda accuratiore et pleniore textus graeci historia, cuius prodromum iam virorum doctorum iudicio submittit, ut sententias eorum exploret. Magnis difficultatibus obstructum esse hoc negotium fatetur, at multa tamen in clariori luce poni posse sperat.

§. 11. Describuntur fontes, e quibus historia illa haurienda est. Primus eorum continetur in codicibus graecis manuscriptis. Octo proferuntur momenta, quae in elicienda e talibus libris textus graeci historia probe observari debent.

§. 12. Fons secundus positus est in versionibus vetustis, de quarum usu tria observanda veniunt.

§. 13. Fontem tertium constituunt allegationes patrum; ubi notandum est, primo, qua ratione discerni possint allegationes accuratae et fideliter e codicibus vetustis transscriptae ab aliis memoriter et negligenter factis, et a vagis

ad scripturae sacrae loca provocationibus; deinde, quomodo iudicari queat, utrum allegatio quaedam incorrupta hodie supersit, an vero a librariis et editoribus depravata et ad iuniores libros reficta sit; denique, quasnam leges servare debeat, qui Patrum allegationes ita colligere velit, ut futuri historiographi commodis optime consulatur.

§. 14. Fons quartus et ultimus continetur disertis scriptorum antiquorum narrationibus de rebus ad textus sacri historiam spectantibus.

§. 15. Propter monumentorum testimoniorumque satis vetustorum penuriam, in historia antiquiore carere non possumus hypothesibus, quae certis ac indubiis observationibus superstruendae sunt.

§. 16. Transitus ad tractationem de vetustis recensionibus generatim spectatis.

§. 17. Quot modis novae libri cuiusdam recensiones oriri possint?

§. 18. Docetur, qua via perveniatur ad deprehendendas et dignoscendas recensiones diversas. Nempe diligentissime observandae sunt codicum, versionum et Patrum in lectionibus insignioribus et characteristicis dissensiones et consensiones.

§. 19. Codices omnes in classes quasdam atque *familias* distribui debent, quae res tamen cautiones nonnullas habet.

§. 20. Pleraeque recensiones vetustae, quas dudum deperditas esse putant viri docti, instaurari possunt atque in integrum restitui.

§. 21. Qua ratione quove artificio effici hoc possit, docetur.

§. 22. Quosnam fructus inde percipere possit graeci textus historia, paucis indicatur.

Sectio II. sistit historiae textus sacri antiquissimae, usque ad editi ἀποστολου tempus, lineas primas.

§. 1. Utrum autographa apostolorum idiographa fuerint,

disseritur. Ex autographis diversarum recensionum origo derivari nequit.

§. 2. De interna autographorum oeconomia.

§. 3. Ipsa autographorum dispositio transpositionibus nonnullis vetustissimis occasionem praebuisse videtur. Illustratur historia cap. XV. et XVI. epistolae ad Romanos.

§. 4. Autographa mature perierunt. Expenditur locus Ignatii in epist. ad Philadelphios.

§. 5. Tertullianus de praescript. haeret. cap. 36. neutiquam loquitur de autographis, sed de exemplaribus genuinis et incorruptis.

§. 6. Autographa non perierunt Diocletianae demum persecutionis tempore, sed Origenis aetate deperdita iam erant.

§. 7. Proferuntur causae duae, cur de conservandis archetypis apostolicis minus anxii fuerint veteres Christiani; quarum altera posita est in editione του ἀποστολικου.

§. 8. Altera vero in eo, quod de singulis textus sacri apicibus et syllabis parum fuerint solliciti, dummodo sensum integrum atque doctrinam apostolorum incorruptam esse cernerent. Plane ab ἀκριβεια critica abhorrebant illius seculi mores.

§. 9. Ante editum ἀποστολον non solum singulae epistolae saepius descriptae fuerunt, sed extabant etiam imperfectae quaedam epistolarum collectiones. Exemplarium ante editum ἀποστολον scriptorum conditio atque indoles. Passim interpolata iam erant.

§. 10. Quot et quasnam epistolas complexus sit ὁ ἀποστολος.

§. 11. Neque Paulus, neque ecclesia Romana, sed doctor quidam graecus aut orientalis quaedam ecclesia editionem του ἀποστολου procuravit.

§. 12. De tempore editi ἀποστολικου.

§. 13. De textu primigenio huius editionis. Genuinus

quidem erat, sed admixta tamen habuisse videtur glossemata nonnulla.

§. 14. Post editum ἀποστολικον, duo codicum genera per librarios propagabantur, alterum e priscis codicibus, alterum ex editione του ἀποστολου ductum erat. Illud adamabant occidentales christiani, hoc praeferebant orientales. Duarum recensionum antiquissimarum incunabula hic latent.

§. 15. Coniectura proponitur de recensionis utriusque indole et conditione.

Sectio III. fata textus epistolarum graeci ad quintum usque seculum strictim persequitur.

§. 1. Multa quae huc pertinent collegit Millius. Nos generaliora tantum attingemus.

§. 2. Ingens hoc tempore, immo tertio seculo ineunte, iam fuit codicum inter se discrepantia.

§. 3. Antiquissima illa lectionis varietas magna ex parte ortum suum debebat delicatulorum quorundam hominum sedulitati; id quod veteris latinae translationis exemplo confirmatur.

§. 4. Alia causa interpolati textus graeci posita erat in scholiis, margini codicum illitis; quae vel critica erant;

§. 5. Vel exegetica.

§. 6. Vetustis codicibus multa inerant scribendi compendia.

§. 7. Nova ratione illustratur locus Io. 1, 13. Nempe Tertullianus mala interdum fide egit, atque ex Irenaei allegationibus lectiones novas finxit, easque adversus genuinam lectionem mordicus defendit.

§. 8. Prisci doctores nimio plus suspicionibus suis, de corrupto per haereticos textu sacro, indulserunt, quia criticae artis rudes erant. De Marcione, codicum corruptore.

§. 9. Ex eadem criticarum rerum imperitia originem etiam traxit nimia in transscribendis codicibus mutandisque

verbis genuinis licentia, quae quinto circiter seculo variis de causis cessavit.

§. 10. Nonnulla de fatis recensionum vetustarum generatim notanda, proferuntur.

Specimen II.

I. Continebit accuratam descriptionem duarum recensionum omnium antiquissimarum, alexandrinae scilicet atque occidentalis. Indicabuntur codices versiones et Patres, qui alterutram exhibent. Utriusque classis codices in suas dispescentur familias. Ortus harum recensionum illustrabitur. Adiicientur denique nonnulla de recensionibus, quas secuti sunt Chrysostomus et Theodoretus, earumque originibus.

II. Tradetur nova Criseos sacrae theoria, historicis observationibus suffulta.

III. Ad theoriae huius leges atque regulas examinabuntur recensiones vetustae et comparabuntur tum inter se, tum cum textu hodierno. In primis vero sub examen revocabuntur codices graeco latini, aliique quos latinizantes vulgo appellant et iusto plus contemnunt.

Curarum in historiam textus graeci epistolarum Pauli specimen I.

Sectio I. De historiae huius utilitate, difficultate et fontibus, atque de recensionibus vetustis generatim earundemque investigandarum ratione.

§. 1. Textus librorum Novi Testamenti graecus si e limpidissimis autographorum fontibus in primas editiones typis excusas per librarios non minus fidos quam peritos tanta cura ac religione derivatus fuisset, quantam nonnulli, de hoc hominum genere praeclare sentientes, praedicare solent: vix esset, cur in historiam huius textus antiquiorem studiosius inquireremus. Minuta enim sphalmata, quae ne diligentissima quidem solertissimorum librariorum cura caveri possunt penitus, tanti non sunt, ut historia, absque μικρολογιας vitio in eorum enumeratione ac discussione, si vel maxime de origine et propagatione eorum exacte nobis constaret, versari queat. Nec criticis multum negotii tales a genuina lectione aberrationes facere possunt, ex vulgaribus artis criticae praeceptis facile diiudicandae atque emendandae. Verum enim vero longe aliter rem sese habere, tam certum

est, quam quae sunt certissima. Patet enim tum e disertis antiquiorum patrum testimoniis, tum etiam ex ipsis quae supersunt monumentis vetustis, membranis puto graecis et translationibus antiquissimis, eorumque et inter se et cum scriptorum ecclesiasticorum allegationibus comparatione: incredibilem et plane stupendam inde a tertio saltim et quarto seculo fuisse exemplarium codicis sacri discrepantiam; spectasse hanc non ad leviores tantum litterarum et vocabulorum permutationes, licet hae quoque non sint nullius interdum ad eruendum sensum verum momenti, sed etiam ad universum textus sacri habitum atque tenorem; profectam eam esse non tam e librariorum in transscribendo textu somnolentia et incuria, quam potius ex interpretum, criticorum et librariorum eruditulorum studio ac consilio; extitisse olim textus graeci recensiones, ab ea qua nos utimur in omnibus fere Novi Instrumenti segmentis et commatibus tantoperé dissonantes, ut fidem paene res exsuperaret, nisi superessent talium recensionum quaedam quasi rudera in codicibus nonnullis atque versionibus; tot fere fuisse textus sacri editiones sive recensiones inter se differentes, quot fuere orbis christiani provinciae maiores; labente tempore sepositas esse vetustas illas recensiones, earumque in locum successisse alias, ab hodierna nostra longe minus abhorrentes. Quae omnia cum ita sint, historiam harum vicissitudinum accuratissima investigatione dignissimam esse dubium, ut opinor, videbitur nemini, qui propinquam cognationem huius historiae cum crisi sacra, arctis-

simumque vinculum, quo crisis cum interpretatione litterarum sacrarum, adeoque cum ipso theologiae universae atque religionis revelatae fundamento coniuncta est, cognitam habet atque perspectam.

§. 2. Complecteretur enim historia sacri textus, quae omnibus omnino numeris absoluta esset, accuratam fideque dignam delineationem omnium textus sacri fatorum memorabilium, ita concinnatam, ut clare et certo ex ea perspici posset, quaenam fuerit quovis seculo, inde ab apostolorum tempore ad nostram usque aetatem, in maioribus tam occidentis quam orientis provinciis, graeci textus facies, quibusve obnoxius fuerit mutationibus. Nec solum vicissitudines ipsas ob oculos poneret, verum etiam earundem auctores, causas, modum atque effectus enarraret; codices omnes ac versiones in suas familias dispesceret; recensionum numerum, origines, aetatem, patriam, ambitum, discrimina, criteria, novas recognitiones atque permixtionem repraesentaret; ad aestimandum verum recensionis cuiusque pretium nos deduceret; ac, praeter palaeographiam, divisionumque et interpunctionum historiam, complecteretur quoque chronologiam, genealogiam atque geographiam criticam. Talis igitur historiae, hisce dotibus instructae, utilitatem summam, neminem in dubium vocaturum esse existimo, qui ea quae de fructibus inde sperandis, hoc est, de fine quem in tractando hoc argumento nobis proposuimus, breviter dicturi iam sumus, serio secum reputare velit.

§. 3. Primum intemerata textus Novi Testamenti integritas, nisi firmo historiae huius praesidio tegatur, contra adversariorum, vulgaribus Scripturae sacrae obtrectatoribus paullo doctiorum, calumnias defendi rite non potest. Dogmaticae enim ratiunculae, quibus ad vindicandam incorruptam textus puritatem utuntur nonnulli, praeter levem aliquam probabilitatem nihil efficiunt. Nec assertis suis fidem facere possunt, qui primaeve ecclesiae curam in conservanda librorum sacrorum integritate commentitiis laudibus ad coelum extollunt. Neque multum proficiunt, qui ad versiones vetustas provocant, easque non solum ipsa apostolorum tempora attingere, verum tam late etiam per universum terrarum orbem dispersas fuisse contendunt, ut nullis maleferiatorum hominum fraudibus libri sacri depravari potuerint. Nam translationes pleraeque recentiores sunt, quam ut de rebus, primis post Christum natum seculis gestis, testimonium dicere possint exceptione maius; latinam enim, omnium ut videtur vetustissimam, seculo secundo ad finem vergente antiquiorem esse, iustis argumentis confirmari haud potest; de syriaca autem nihil pro certo affirmare ausim, praeter quam quod seculo quarto extiterit ac inter Syros recepta fuerit. Accedit, tum ipsas hasce versiones antiquissimas mirum quantum esse interpolatas, tum incertam esse eorum opinionem, qui in tot apographa isto iam tempore diffusas eas fuisse arbitrantur, ut ne minima quidem corruptio, insciis christianis innumeris, tentari a quopiam potuisset. Aeque rem dicendo exag-

gerant, qui credere nos iubent, nullum fere vixisse seculo secundo christianum graecam linguam callentem, saltim plebis doctorem nullum, quin codicem Novi Testamenti graecum domi servarit; atque hinc efficere student, libros sacros, nisi tot christianorum ubivis terrarum dispersorum millibus in scelus hoc nefarium conspirantibus, depravari haud potuisse. Quae omnia cum docto et moroso adversario neutiquam omnes calumniandi ansas elabendive occasiones eripiant, sedulo circumspicienda sunt argumenta alia, istis validiora. Haec vero ultro se nobis offerunt, in historiam sacri textus studiose inquirentibus, quippe quae textus huius fata inde a secundi seculi exitu repetit, et scriptorum apostolicorum textum isto tempore nulla in re, e qua integritas eius pendeat, (neque enim, ut vulgus indoctum putat, e singulis vocabulis aut syllabis aestimanda est,) a textu hodierno dissensisse docet. Quid? quod rationes etiam suppeditat gravissimas, e quibus integritatem ante eam secundi seculi partem, ubi certa et indubia textus sacri historia incipit, perire non potuisse, summa cum probabilitate colligimus.

§. 4. Deinde absque iusta historiae huius notitia iudicare de hodiernarum Novi Testamenti editionum indole et pretio nemo potest. Cum enim nulla extet lex, publica auctoritate sancita, quae hac illave editione standum esse praecipiat, sed unicuique tantum assignandum sit pretium, quantum per editoris diligentiam, fidem reique criticae peritiam, et per subsidiorum, quibus in recensendo textu usus est, tum

copiam tum bonitatem, tribuere ei licet: facile patet, iudicium nostrum de editionis inter nostros receptae valore, firmum veritatique consentaneum esse non posse, nisi partim editionum principum origines caeterarumque genealogiam probe teneamus, partim antiquiorem textus graeci historiam cognitam habeamus, atque sciamus, tum quomodo se habuerit textus codicum, quos editores secuti sunt, ad textum secundo et tertio seculo usitatum, tum etiam, qui factum sit, ut antiquus ille textus sensim ita immutaretur, ut tandem inde enasceretur textus hic, quem editores typis excudi curaverunt.

§. 5. Denique, ut alios utilitatis fructus ex historia textus sacri decerpendos *) silentio iam praetereamus, iudicium nostrum in aestimanda lectionum varietate indagandisque lectionibus genuinis ita diri-

---

*) Inservit praeterea dignoscendis scriptis patrum spuriis, fraude nonnunquam patescente e lectionibus locorum scripturae sacrae vel post scriptoris, cui liber tribuitur, tempora demum ortis, vel ad aliam recensionem, quam qua uti solet auctor ille, pertinentibus; illustrat antiquiorem historiam artis interpretandi, ope glossematum et interpretamentorum textui admistorum, eumque ex antiquissimorum interpretum mente declarantium; revocat nos ab inepta in explicandis libris sacris sedulitate, quae syllabas ac litteras satis interdum incertas captat, mirasque inde exsculpit emphases; interpretationum, doctoribus quibusdam olim probatarum, causas, in lectionis discrepantia saepe latentes, patefacit, atque adeo ipsi etiam dogmatum et controversiarum inter veteres christianos agitatarum historiae lucis nonnihil affert.

gitur historiae illius beneficio, ut plerosque errores graviores, (a quibus, ut nunc est, ne peritissimus quidem ac diligentissimus criticus satis sibi cavere potest,) facili negotio evitare, iudiciique nostri veritatem, non probabilibus tantum coniectationibus, sed firmissimis et indubiis argumentis, commonstrare possimus. Qui enim corruptionis originem, propagationem, universamque historiam novit, veram emendationis rationem facillime inveniet, atque cur textus sic, nec aliter, corrigendus sit, perspicue docere poterit. Nec instrumentorum quibus critici utuntur (nimirum codicum manuscriptorum, versionum et allegationum in libris scriptorum vetustorum occurrentium) veram indolem, iustum pretium, legitimumque usum aliunde cognoscere licet, quam ex hac, de qua loquimur, sacri textus historia. Hac enim magistra discimus, ad quamnam familiam sive recensionem referendus v. c. sit codex quisque, de cuius lectione quaeritur? vetustane sit ea ad quam codex pertinet editio, an recentior? utrum purioribus accensenda sit, an interpolatis? quaenam praecipue sint huius recensionis virtutes, quove naevorum genere (omissionibus, additamentis, glossematibus etc.) potissimum depravata sit? quodnam pondus tribuendum sit testimonio consentienti universae familiae? num testes, qui hanc familiam constituunt, in ea de qua disputatur lectione amico consensu conspirent, an in diversas abeant partes? quaenam familiae pars, non numero tantum sed aetate etiam et bonitate auctoritateque, potior sit, eane quae lectio-

nem defendit, anne altera hanc impugnans? utrum unius tantum familiae praesidio firmetur lectio, an duarum, trium, pluriumve? reliqua. Hisce vero fundamentis cum crisin nostram superstruere debeamus, (quae enim internis probabilitatis indiciis potissimum, ne dicam unice, regitur, infirmo admodum talo nititur; parum saltim firmiore quam ea, quae codicum numero, inanissimo sane criticastrorum terriculamento, abripi se patitur:) abunde patet, quam insignem, in iudicandis quorumcunque locorum lectionibus, utilitatem afferat ea quam descripsimus sacri textus historia.

§. 6. Quod quidem clarius etiam elucescet, si cogitemus, quantum eius ope breviari possit improbus criticorum in eruendis vindicandisve genuinis textus sacri verbis labor. Quotus enim quisque laboris tam patiens est, ut sine taedio v. c. centum testes (scil. tot codices versiones et patres pro lectione quadam aut contra eam excitatos) *sigillatim* lustret atque examinet, et quantum *cuiusque* valeat testimonium distincte aestimet? Ac si hanc molestiam feliciter tandem superavit ferrea critici diligentia, restat ei tamen, si vulgarem methodum sequatur, maior difficiliorque negotii pars. Nempe tot testimoniorum pondera diversa *uno eodemque* mentis actu atque impetu librare, quid *cuncta in unam summam collecta* valeant diligentissime perpendere, quaenam testimoniorum summa, eane quae pro recepta lectione facit, an illa quae aliam lectionem defendit, alteram excedat dispicere, et tum demum *quaenam* praeferenda sit lectio, et *quantum* al-

teri praestet. pronunciare debet. Quantis vero difficultatibus universum hoc examen impeditum sit, dici vix potest. Cum enim pro lectione textus, aeque ac pro variante, non raro quinquaginta aut sexaginta testes laudentur, animus numero eorum ita distrahitur, ut in aestimando singulorum pondere, colligendaque ponderum summa, vix a confusione variisque erroribus cavere sibi possit. Nam si vel unicus testis aut negligatur penitus, aut plus ei minusve, quam par est, tribuatur, vitio non carebit quod de lectionis discrepantia fertur iudicium. Sed ex omnibus istis tricis feliciter expedire se poterit, qui diversas textus recensiones, facem praeferente historia, rite dignoscere didicit. Singulos enim codices ac testes anxie numerare et ponderare necesse non habet, sed ad classes tantum sive familias eorum animum advertit, et in hoc unice inquirit, quot et quaenam ex antiquioribus recensionibus utrique faveant lectioni; quo deprehenso, iudicium, quatenus e testium auctoritate pendet, erit facillimum. Quanti enim quaeque facienda sit recensio, et quid valeat uniuscuiusque vel dissensus a caeteris vel cum aliis consensio, id facile, ut suo loco deinceps videbimus, praelucente historia ita effici potest, ut nova aestimatione singulis in locis opus plerumque non sit.

§. 7. Haec vero genuinas lectiones indagandi via, ut brevior est minusque taediosa quam vulgaris, (numerosae enim testium copiae, utilissimo compendio, ad quinque aut sex classes rediguntur;) ita tutior quoque est et certius ad finem quo tendimus nos

deducit. *Primum* enim, omnes eiusdem familiae testes, cum ex eodem fonte hauserint, pro uno tantum habendi sunt. Hinc, qui singulorum censum ineundum esse existimant, recensionum familiarumque nulla aut exigua habita ratione, non possunt non ad errores permultos proni esse atque proclives. Cum enim ex antiquioribus et melioribus familiis pauci admodum testes hodie superstites sint, contra vero ex recentioribus, quae deteriores et interpolatae esse solent, praesto nobis sint quamplurimi; lectio, quo recentior est, eo pluribus nobis videbitur auctoritatibus niti. Ad paulinas v. c. epistolas triginta circiter apud Wetstenium laudantur codices, qui ad eandem familiam sive recensionem pertinent omnes, atque adeo *unius* testis auctoritatem haud exsuperant. Vanissima igitur esset, quae singulis hisce codicibus aliquid saltim ponderis attribueret, crisis. *Deinde* vulgaris methodus omnium, quotquot pro utraque lectione extant, testium *plenam* occupat enumerationem, qualem nusquam reperiri vel tirones norunt. Fac vero, notas tibi esse pro lectione quadam auctoritates duorum triumve codicum, versionis copticae, atque Origenis; sed ignorare te consentiens cum his testimonium versionis aethiopicae et armenicae, Clementis alex. Eusebii, Cyrilli, et nonnullorum forte aliorum patrum. Oppido spernes lectionem admodum exilibus, te iudice, auctoritatibus suffultam. Sed eandem non prorsus contemturus esses, nisi caeterorum testium, a Millio aut Wetstenio praetermissorum, te fugeret consensus. Quo vero saepius hoc

defectu laborant collectiones criticae, eo crebrioribus occasionem praebent lapsibus. *Immo vero*, etiamsi amplissima haberemus omnibusque numeris absoluta e scriptis patrum, quotquot supersunt, excerpta: tamen, si vulgaribus criticorum praeceptis adstringere nos vellemus, multa nobis deessent, quibus in stabiliendo textu genuino, absque insigni causae nostrae detrimento, carere non possemus. Nimirum patrum singulorum allegationes totidem codicum loco nobis sunt, patri, Scripturae verba e codice suo adferenti, aetate vel parium vel paullo etiam antiquiorum. Sed cum paucula tantum Novi Testamenti loca in plerorumque patrum scriptis excitata legantur, codices illos misere habemus laceros et longe maxima parte truncatos. Occurrunt sane apostolorum effata satis multa, in quorum lectionibus codices Msti et versiones inter se dissident; sed e patrum numero vix unus et alter qui ea excitaverit, invenitur. De hisce igitur locis quid quaeso fiet? Si enim codices, quibus usi olim fuere patres, receptam hodie lectionem exhibuisse dixeris, quo iure ita sentias, ex te quaeram. Sin lectionem a vulgari discrepantem in libris illis extitisse sumseris, cur ita tu arbitreris, rogabo. Sin vero, missis patrum suffragiis, e solis libris Mstis et versionibus rem conficiendam esse dixeris, lectionem a te defensam non extra omnem iustae dubitationis aleam positam esse contendam. Cum enim codicum hodie superstitum vix ullus sexto seculo antiquior videri possit, versiones autem vetustiores satis impurae sint et interpolatae: nullum habes testem exceptione

omni maiorem e quatuor aut quinque prioribus seculis, cuius auctoritate lectionem tuam tueri possis. Textum vero inde a sexto seculo, unde tu testium tuorum arcessis praestantissimos, in *plerisque* libris valde corruptum fuisse, negare non potes. Vides igitur, quantum firmitatis desit fundamento, cui crisin tuam superstruis. Fingas vero, patres illos antiquissimos, de quorum lectione ob documentorum inopiam iam dubitamus, habuisse in libris suis lectionem a te reiectam. Nonne, hoc posito, aliter de ea iudicaturus fuisses. Notissimo exemplo rem illustrare liceat. Matth. 6, 13. doxologia orationi dominicae subiecta non abest nisi a quinque codicibus Mstis, translatione latina atque saxonica et versionibus nonnullis arabicis et persicis. Similiter Luc. 11, 2 et 4. illud γενηϑητω το ϑελημα σου ὡς ἐν οὐρανῳ και ἐπι της γης, et ἀλλα ῥυσαι ἡμας ἀπο του πονηρου deest in tribus tantum aut quatuor codicibus et in versione armenica ac vulgata. Et nihilo tamen minus praestantissimi critici hisce omissionibus calculum suum (nec perperam, nostro quidem iudicio) adjecerunt, nixi potissimum disertis antiquissimorum patrum testimoniis. Sed si intercidissent ista testimonia, lectio genuina inveniri vindicarique vix potuisset. Hinc patet, non posse nos satis esse certos de eorum locorum lectione, de quibus nulla habemus antiquiorum patrum testimonia, nisi forte ex aliis indiciis, e textus sacri historia accuratiore petendis, quid patres illi legerint probabili coniectura colligi queat. *Idem* fere, quod de patrum allegatio-

nibus tenendum esse monstravimus, dicendum etiam est de codicibus manuscriptis. Paucissimi enim tanta cura excussi sunt; ut de universis eorum lectionibus certo constare nobis possit. Quid? quod in bibliothecis anglicanis, gallicanis, italicis, hispanicis etc. trecenti saltim aut quadringenti latent librorum Novi Test. codices a nemine adhuc collati, nec unquam fortasse excutiendi. Quid enim fiet crisi nostrae, si forte nonnulli ex antiquioribus et praestantioribus ignotorum istorum codicum faveant lectionibus, quas damnare vulgo solemus, quia iusto paucioribus niti nobis videntur auctoritatibus?

§. 8. Ex iis quae hactenus brevissime disputavimus, consequitur, satis longe a perfectionis culmine abesse vulgaria artis criticae praecepta. Atque rem ita se habere, tum sua quemque docere potest experientia, si secundum has leges criticam artem in constituendo Novi Test. textu exercere velit, tum etiam summorum criticorum de innumeris lectionibus mirum quantum inter se dissidentium exempla testantur. Triumviri illi, qui magnam vitae suae partem criseos sacrae studio consecrarunt, MILLIUS, BENGELIUS atque WETSTENIUS, sexcentis in locis inter se pugnant; neque magis consentire video viros nostra aetate de re critica bene meritos, e quibus triumviros iterum nominasse sufficiet in hoc litterarum genere versatissimos, ERNESTIUM, MICHAELEM et SEMLERUM. Toties inter se dissidere profecto non possent viri κριτικώτατοι, in quibus neque accuratam praeceptorum scientiam neque usum et exerci-

tationem quisquam desiderabit, nisi ipsa artis praecepta nimium essent vaga et lubrica. Si vero criticorum sive inconstantiam sive morosam pervicaciam accusandam esse autumas potius, quam regulas imperfectas, ipse periculum ut facias rogamus. Quantumvis enim bene praeparatus ad opus adgrediaris, abiectis opinionibus praeconceptis et cupiditate omni; tamen saepe numero dubius haerebis, nec quo te vertas aut quod sequaris invenies. Quin electa tandem post diuturnam deliberationem lectione e pluribus una, ultro tamen fateberis, latam a te esse sententiam pro virili tua et pro adiumentorum, quibus uti tibi licuit, modulo, sed salvo meliori iudicio. Neque dissimulant critici, in exercenda hac arte opus esse quasi gustu quodam; quod in se quidem verissimum est, et in hoc rerum genere aliter esse vix potest; sed regulas tamen imperfectas esse arguit, praesertim si saepicule palati istius quasi arbitrio res permittenda sit. Quae cum ita sint, res ipsa monere, nedum postulare, videtur, vt critices sacrae theoria adornetur, quae non solum magis sit ad usum accommodata, sed firmioribus etiam nitatur fundamentis, ab errandi periculo tutiores nos praestet, mero criticorum aut interpretum, studio partium saepe abreptorum, arbitrio nihil relinquat aut parum, et in aestimandis lectionibus iudicium nostrum ita dirigat, ut tum nosmet ipsi, sublata omni dubitatione, ad assensionem plane cogamur, tum aliorum quoque consensum, perspicua rationum ad faciendam fidem idonearum expositione, extor-

quere possimus. Nec abiicienda est excogitandae talis theoriae spes. Etsi enim critica ars iis disciplinis recte annumeratur, quae perfectam ἀπόδειξιν non admittunt; tanta tamen, quod ad crisin Novi Testamenti, subsidiorum copia abundamus, ut proxime, nisi nobis desimus ipsi, ad ἀπόδειξιν accedere plerumque possimus. Iam vero, cum universa illa quam animo concepimus criseos sacrae theoria (cuius primas lineas, quamvis rudi tantum penicillo depictas, lectorum examini in sequentibus subiiciemus) ex historia textus haurienda sit, et qua partem maximam ex observationibus historicis curiose inter se comparatis apteque coniunctis elici debeat; dubitari non potest, quin insignem utilitatem eandemque multiplicem (coll. §. 3. 4.) allatura esset textus sacri historia, ita conscripta, vt nihil in ea desiderari posset eorum, quae §. 2. ubi perfectae absolutaeque historiae imaginem delineavimus, commemorata a nobis sunt.

§. 9. Talem vero nondum extare, mecum fatebuntur omnes, qui virorum in hoc litterarum genere principum scripta perlustrarunt. Primus qui in illustranda hac historia magna cum laude versatus est, fuit RICHARDUS SIMONIUS. Utut vero in egregio illo *historiae criticae* opere quamplurima leguntur recte acuteque observata et magna diligentia e patrum commentariis ac codicibus Mstis collecta, quae partim ad formandum tironum de hoc rerum genere iudicium, partim ad concinnandam iustam textus graeci historiam utilissime adhiberi possunt; maior

tamen operis pars versatur circa historiam librorum sacrorum, (quae ab historia textus differt,) versionum et exegeseos; quae vero de textus graeci fatis traduntur, ea selectarum observationum potius quam historiae nomine insignienda esse videntur. Nec infitias ire licet, permulta hodie a nobis perspici tum plenius, tum etiam rectius atque melius, quam SIMONII tempore exspectari a quopiam poterat. SIMONII vestigia pressit, sed propius illo ad eam, quam de historia textus sacri animo concepimus, ideam accessit IOANNES MILLIUS, in doctissimis *prolegomenis* suae Novi Testamenti editioni praefixis, in quibus, ut ipse testatur, id egit ut „*sacri textus annales*“ pertexeret, et „textus statum et conditionem (quo modo nempe quovis seculo se habuerit; quas ab haereticis, orthodoxis, aliis, mutationes subierit; et huiusmodi porro alia) iam ab ipsis Novi Test. incunabulis, per omnia ecclesiae secula, ad hoc usque nostrum, ordinate describeret, ac μαλ' ἱστοϱικῶς.“ Utilissima sane quamplurima observavit MILLIUS, quibus multum lucis adfertur historiae codicum antiquissimorum, tam eorum quibus usi sunt translationum vetustarum auctores et patres graeci ac latini, quam illorum qui in bibliothecis adservantur. Sed unice fere in singulorum codicum ingenio declarando aestimandisque eorum lectionibus occupatus, in pervestigandis familiis diversisque recensionibus minus, quam par erat, elaborasse videtur. Utut igitur amplissimam materiam, quam tractare et in qua limanda exornandaque versari possit di-

ligentia nostra, incredibili labore congessit: iustam tamen historiam conscripsisse videri haud potest. IOANNES IACOB. WETSTENIUS vero, in *prolegomenis*, celeberrimae editioni ab ipso procuratae praemissis, MILLII quidem et aliorum παροραματα haud pauca feliciter correxit, de codicibus nonnullis et versionibus multa annotavit scitu longe dignissima, immo necessaria, et editionum praecipuarum historiam utiliter illustravit; sed ut generatim viri huius diligentiam quidem inusitatam admiror, ingenii vero acumen iudiciique ἀκριβειαν desidero; ita etiam de historia graeci textus rite informanda eum ne cogitasse quidem arbitror, certe MILLIO, quod ad hanc rem attinet, neutiquam aequiparandum esse censeo. Ipsa sane crisis Wetsteniana, textui sacro adspersa, hospitem eum in textus huius historia fuisse arguit. Nisi enim peculiares quaedam accederent causae, quibus permotus lectiones receptas curatius examinaret, vulgarium codicum numero nimium tribuit; quem errorem errare potest nemo, qui antiquiorem textus graeci historiam cognitam habet. Neque mirari non possum, viro in examinandis codicibus digerendisque eorum lectionibus tot annos occupato, nihil suboluisse de plurium recensionum vetustarum discriminibus. Palmam sine dubio omnibus, quos modo laudavi, praeripuit IOANNES ALBERTUS BENGELIUS, qui in *Apparatu* suo *critico* praeiudicatis opinionibus permultis mascule se opposuit, codicum, eorum praesertim qui epistolas paulinas continent, συζυγιας ac familias diligenter observavit, africanae

recensionis ab asiatica discrimen primus fere indigitavit, et alia passim attigit, quae, si colligantur in unum et apte inter se iungantur, quaedam quasi rudimenta historiae textus sacri continent. Attamen egregie affectum opus neutiquam perfecit vir sagacissimus; sed perfecisset forsitan, si decem aut quindecim annos WETSTENII volumina diligenti manu versare potuisset, et, novis his subsidiis adiutus, praeconceptas opiniones nonnullas exuisset, recensiones diversas, quae codices Novi Test. omnes in classes aliquot seiungunt, accuratius observasset, ac in primis ingens discrimen quod inter alexandrinam recensionem et occidentalem intercedit, perspexisset. Harum enim recensionum, omnium antiquissimarum et notatu dignissimarum, distinctionem, cum caeteris criticis, negligens BENGELIUS in ipso historiae limine offendit, et quo minus pedem tuto promovere posset saepenumero impeditus fuit. Tandem *)

---

*) Alios laude sua neutiquam frustandos, ne in ipso tractationis vestibulo diutius quam par est haerere videar, praetermitto, qui vel caussam hanc brevius tantum attigerunt, velut CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS *in dissertatione critica de genuinis librorum N. T. lectionibus;* b. CHRIST. BENED. MICHAELIS *in tractatione critica de variis lectionibus N. T. caute colligendis et diiudicandis;* Ill. IO. DAV. MICHAELIS *in der Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes*, tom. I. nonnullas historiae huius partes fusius pertractans; S. V. IO. AUG. ERNESTI *in Institutione interpretis Novi Test.* part. 2. cap. 1-6. vel versionibus illustrandis operam suam potissimum impenderunt, ut Ill.

laudandus mihi est S. Rev. IOANNES SALOMO SEMLERUS, qui tum aliis compluribus libellis, tum vero praecipue parte 3. et 4., libri patrio sermone exarati, quem inscripsit: *hermeneutische Vorbereitung*, longe quam alii luculentius recensionum discrimina demonstravit, vanas plerorumque de codicibus graecolatinis et aliis rebus ad crisin sacram pertinentibus persuasiones impugnavit, versionis latinae vetustioris indolem curiose pervestigavit, aliaque innumera fere incredibili diligentia coacervavit, quae ad illustrandam textus graeci historiam apprime faciunt. Cum vero Vir doctissimus id potissimum egerit, ut selectis nonnullis historiae et criseos sacrae capitibus lucem exquisitis observationibus afferret; caeteri autem, quos bene de textus graeci historia et crisi meritos esse diximus, vel eodem laborent defectu, vel ab aliis naevis immunes haud sint: provincia

---

MICHAELIS in *Curis in versionem syriacam Actuum apostolorum;* Clar. GOTTL. CHRIST. STORRIUS in *observationibus super Novi Test. versionibus syriacis*, et in Diss. *de Evangeliis arabicis;* Doctiss. RIDLEYUS in diss. *de syriacarum N. Foederis versionum indole atque usu;* S. Rev. FRANC. ANT. KNITTELIUS in *Ulphilae versione gothica nonnullorum capitum epistolae ad Romanos*, ubi multa etiam leguntur ad textum N. T. graecum spectantia; et viri docti qui de versione latina, praesertim de vetustissima illa ante Hieronymi tempora, disseruerunt; vel historiam editionum N. T. illustrandam sibi sumserunt, quorum pertinent libelli varii de editione Complutensi conscripti. Taceo alios.

haec nondum ita administrata esse videtur, ut alii a capessenda eadem ultro abstinere sese debeant.

§. 10. Haud inutiliter itaque operam meam collocaturum me esse spero, si accuratiori ac pleniori historiae textus N. T. graeci conscribendae eam impendam, et ea non solum quae ab aliis recte utiliterque dicta mihi videntur colligam, stabiliam, riteque disponam, verum eas etiam huius historiae partes, quae, neglectae adhuc, clariorem lucem desiderant, illustrandas mihi sumam. Ante vero quam huic labori me accingerem, in textu epistolarum paulinarum periculum facere, et primas quasi lineas historiae eius antiquioris rudi manu exaratas lectorum ante oculos hoc libello exponere decrevi; hoc potissimum consilio, ut doctorum virorum de ea, quam in hoc negotio sequendam esse opinor, ratione ac methodo sententias explorem. Quodsi rectam viam ingressum me esse pronunciabunt arbitri periti, strenue, si Deus annos et vires largietur, eadem pergam; sin vero secus ipsis videbitur, doctis eorum monitis lubentissime cedam. Nec desperandum esse puto, fore ut multa, quae densis tenebris obtecta sunt, in clariore luce collocari queant, dummodo antiquiorum patrum volumina curiosius excutiantur, ac diversarum recensionum fragmenta, in ipsis obvia, diligentius inter se comparentur. Notabiliores, quas textus Novi Test. graecus subiit, vicissitudines tantum non omnes satis accurate indagari posse, persuasum mihi est, quanquam earum auctores, causas, caeterasque ra-

ᾳισταοεις vix coniectando interdum assequi nos posse, ingenue fateor. Dudum perierunt pleraque antiquitatis monimenta, quae lucis aliquid afferre possent historiae primorum seculorum; quo tempore longe plures atque maiores quam postea mutationes perpessus est textus sacer. Recte enim BENGELIUS *Indroduct. in Crsin* §. 10. „tota prope, inquit, lectionis varietas longo orta est intervallo, ante *graecos codices* hodie superstites." Neque *versionum* ulla in manus nostras pervenit pura et intemerata; ac, si restitui etiam possent in pristinum statum nativamque integritatem, haberemus quidem totidem quasi imagines, textum sacrum ita, uti certo quodam loco ac tempore comparatus fuit, ob oculos nobis sistentes, multarumque depravationum patriam et aetatem indicantes; at mutationis tamen auctores, causae etc. intelligi hinc vix rarissime possent. Patrum vero *allegationes*, tametsi codicibus et versionibus in hoc negotio, quod ad antiquissimam attinet historiam, praeferri suo iure queant, tamen iisdem fere defectibus laborant, quos in translationibus vetustis modo notabamus. Tandem nec pauci illi *scriptorum ecclesiasticorum* loci, qui de rebus ad textus historiam spectantibus agunt, multum utilitatis afferunt historiographo. Neque enim res, quantumvis notabiles, aperte declarare solent auctores illi, sed innuunt eas tantum latenter. Ex his igitur fontibus cum haurienda sit sacri textus historia, nemo harum rerum peritus talem exspectabit faterum textus graeci enumerationem, qualem descri-

psimus §. 2. hoc est, nullis lacunis deformatam, et mutationes non solum omnes, sed singularum etiam περιστασεις plene declarantem. Sed si summam perfectionem assequi non licet, sedulo tamen faciendum est, ut, quantum per rei naturam fieri id potest, proxime ad eam accedamus.

§. 11. Ut de historiae huius *fontibus*, quos modo commemorabamus, eorumque usu paulo enucleatius ante disputemus, quam ad alia accedamus, instituti ratio postulare videtur. Itaque primo inter fontes loco numerantur codices graeci manuscripti, qui, si fideliter ex alio quodam exemplari transscripti sunt, statum atque conditionem textus graeci certo quodam tempore et loco nobis quasi praesentem ostendunt; sin vero criticis codicibus accensendi sunt, h. e. si textus, quem exhibent, e duobus pluribusve codicibus, pro arbitrio critici aut librarii cuiusdam, consarcinatus est, aut ex alio libro critico deductus; (id quod ex indiciis quibusdam facile plerumque indicatur;) factum, in historia textus sacri notatu haud indignum, ob oculos nobis ponunt. Codices publicis usibus dicati textum repraesentant eius temporis ac loci publicum; privatis vero usibus destinati, non inutiliter quidem ab illis, si fieri possit, seiunguntur in concinnanda textus sacri historia; at falluntur tamen viri docti permulti, qui generatim minoris in re critica ponderis ac pretii eos esse contendunt. Inde enim a multis retro seculis codices publici textum exhibebant recentiorem, ab antiquioribus illis et puriori-

bus recensionibus vehementer discrepantem; in privatis vero codicibus nonnullis textus vetustior et castior conservatus fuit. Ut vero ex hoc fonte, qui libros Mstos complectitur, sacri textus historia rite derivari possit, sequentia in primis observanda sunt.

1) *Aetas* codicis, si e criteriis haud fallacibus constare de ea nobis possit, insignes praestat in historia textus utilitates. Inde enim colligi potest, tum quonam circiter tempore lectiones nonnullae memorabiles ortae sint, tum quonam seculo ex ea recensione, quae antea exhibere eas solebat, evanescere coeperint. Hoc vero magni non solum momenti est in delineanda, secundum ordinem chronologicum, singularum recensionum historia, sed eo etiam mirifice conducit, ut lectiones cuiusque recensionis primigeniae discernantur ab illis, quae labente tempore in eam sensim irrepsere; quod discrimen supra quam dici potest in criseos sacrae exercitio nos adiuvat. Fateor quidem, maiorem utilitatis fructum, quod ad hanc rem, percipi e patrum, codices hodie superstites pleroque aetate longe superantium, collatione, quam e libris Mstis; sed spernenda tamen non sunt adminicula e codicum aetate repetenda.

2) Rectissime praeceperunt viri docti, externam codicis sive membranarum aetatem distinguendam esse ab interna textus ipsius, quem illae continent, aetate. Potest enim liber ante pauca secula scriptus exhibere textum antiquissimum, uti vicissim mem-

branae vetustate paene consumtae non raro textum perquam recentem continent. Mirum hoc videbitur nemini, qui secum reputaverit, sexto aut septimo seculo extitisse iam illam recensionem, quae in codicibus recentioribus plerisque habetur, et a textu vulgari typis excuso parum differt; inde vero a seculo octavo vix novam recensionem ullam procuratam fuisse, nec variantium lectionum numerum insigniter postea auctum esse, si sphalmata demas a librariis dormitantibus admissa, et glossas nonnullas e margine in textum temere translatas. Hinc intelligitur, antiquitatem textus cuiusdam aestimandam esse e seculorum numero non eorum, quibus a nostro tempore, sed illorum, quibus ab autographo aut primo apographo distat. Antiquissimo enim illo tempore seculum dimidium aequiparandum est tribus vel quatuor posterioris aevi seculis. Ut vero aetas textus, quem codex quisque exhibet, quantum fieri potest accuratissime, definiatur, conferendus est sedulo cum versionibus vetustis et inprimis cum patrum scriptis. Si per omnia fere consentientem eum deprehendimus cum scriptoribus et versionibus certi cuiusdam aevi, eidem tempori eum assignamus. Sic textus codicum Evangeliorum CL et Epistolarum AC ad ipsa tertii seculi primordia referendus est; admistae tamen ei sunt lectiones nonnullae quarti aut quinti seculi. Sin vero neque cum certa patrum familia, neque cum versione ulla aliisve libris notabiliter concinit codicis textus, pro mixto habendus, atque ope collationis illius definiendum

est, utrum basis eius sit vetusta, sed recentioribus additamentis seu interpolationibus deformata, an vero recens sit basis, at antiquis lectionibus, velut gemmis quibusdam, passim exornata.

3) E patriae, ubi scriptus fuit codex quisque, et locorum, ubi asservatus postea fuit et usibus vel publicis vel privatis inserviit, notatione, nonnihil lucis accipere potest geographia critica. Hinc enim, praesertim si alia indicia in subsidium vocentur, intelligitur, quam late recensionis cuiusque quolibet seculo patuerit usus, et quomodo recensio, in provincia quadam usitata, in alias sensim orbis christiani regiones immigraverit; quae res multiplicibus recensionum commixtionibus ansam dedit.

4) Emendationes, in plerisque codicibus obviae, partim ab ipsa librarii, qui codicem scripsit, partim ab alia correctoris cuiusdam manu profectae, negligi non debent. Attendendum est, tum, utrum liber aut saltim pars eius accurate sit recensitus ad fidem exemplaris, quo usus est διορθωτης, an vero hic ibi tantum appareant recognitionis quaedam vestigia; tum quoque, num unius an plurium correctorum manus emendatrices expertus sit codex, et cuinam seculo recognitio quaevis probabiliter assignanda esse videatur. Fallitur enim WETSTENIUS, prolegom. edit. hal. p. 23. incertum esse contendens, utrum ab eadem an iuniore manu profectae sint correctiones, aut quisnam hanc vel illam syllabam eraserit. Nos quidem, qui plus minus centum codices Mstos graecos in exteris bibliothecis

diligenter tractavimus, αὐτοψία edocti confirmare possumus, non solum correctorum numerum, sed aetatem etiam, ab homine in hoc rerum genere paululum exercitato, facile plerumque discerni posse, tam e litterarum varia forma atramentique diverso colore, quam ex aliis indiciis sat luculentis atque certis, v. c. e notis margini aut paginis vacuis, ab eadem manu, quae textum correxit, illitis. Talia igitur e descriptione codicum studiose colligi, itemque ab iis, qui libros Mstos vel nondum collatos posthac excutient, vel excussos denuo examinabunt, curiose observari velim. Dici enim vix potest, quantum utilitatis e minutis huiusmodi observatiunculis redeat ad eum, qui historiam graeci textus condere recensionumque permixtionem illustrare velit. Inde, verbi causa, quod codices plerique vel a librario ipso vel ab alio correctore collati denuo fuerunt sive cum ipso illo exemplari, e quo transscripti erant, sive alio huic simillimo, colligitur, futilem esse eorum opinionem, qui maximam lectionum variantium partem e socordia aut festinatione librariorum ortam esse autumant.

5) Orthographiae ratio, imo γραφικὰ etiam vitia, librarii et codicis aetatem atque patriam interdum produnt, ac textus sacri historiographum haud mediocriter iuvant.

6) In primis vero summa cura inquirendum est, quamnam recensionem sequatur codicis cuiusque textus; quod, qua ratione fieri debeat, postea ostendemus.

γ) Codices Msti paene innumeri latent in bibliothecis, nondum collati; nec dubitare fas est, multos eorum dignissimos esse, quorum lectiones a vulgaribus discrepantes colligantur et iuris fiant publici. Sed cum plerique procul omni dubio simillimi sint codicibus iunioribus, a textu edito parum discedentibus, et nulla prorsus auctoritate pollentibus, e quorum numero nimio plures collati iam sunt; dilectum librorum Mstorum posthac conferendorum habendum esse censeo. Eos tantum excerpere iuvat, qui a recensione vulgarium codicum graecorum, (cuius indolem ac lectiones satis superque iam habemus cognitas) discedunt, contra vero cum uno alterove e codicibus interpretibus aut patribus vetustioribus saepius conspirant, adeoque vel recensionem quandam antiquiorem repraesentant, vel fragmenta eius insigniora, quamvis iunioribus lectionibus saepe interpolata, exhibent, vel denique ob lectionum singularium aut rariorum sive numerum sive indolem notatu digni videntur. Caeteros, qui, vulgarium codicum grege vix unquam relicto, cum vetustioribus libris non concinunt, nisi forte ex ipsis gregariis codicibus decem aut plures consentiant; hos, inquam, blattae atque tineae ut corrodant tempusve edax rerum consumat, per me licet. Neque enim bene de re critica merere eos arbitror, qui corrasis e triobolari codice quocunque lectionibus, quas ex aliis libris sat multis dudum novimus, materiam, in qua versatur critici diligentia, inutiliter ita augent, ut futilium testium innu-

mera multitudo nos obruat iudiciumque nostrum pervertat potius quam dirigat. Extant quidem interdum in huiusmodi codicibus duae aut tres lectiones bonae, in paucissimis libris Mstis hodie superstites; sed hae efficere non possunt, ut mitius de illis sentiamus aut collatione dignos eos iudicemus. Cum enim omni pondere careat talium codicum testimonium, lectio, quamvis in se optima, nihil novi roboris eorum consensu accipere potest. Utrum vero in vulgarium, an in meliorum codicum numerum referendus sit liber nondum excussus, facile intelliges, si tria aut quatuor capita integra perlegere, praetereaque triginta circiter locos ob lectionum varietatem insignes evolvere, atque lectiones codicis tui cum apparatu Wetsteniano comparare velis. Ex sociis enim noscitur, cuius indoles comperta nobis nondum est. Sic e codicibus epistolarum vindobonensibus quinque, quorum lectiones ex epistola ad Romanos decerptas cum viris doctis nuper communicavit Cel. TRESCHOVIUS, solus Lambecii 34 accurata collatione mihi dignus esse videtur.

8) Quae de codicibus nondum excussis disputavimus, de iis quoque libris dicta esse cupimus, qui collati quidem, sed negligentius, quam par erat, collati sunt. Plerique tam exiguae sunt auctoritatis, ut qui novo examine subiicere eos vellet, vix operae pretium facturus esset; alii vero tam insigne habent ad rem criticam momentum, ut historia textus omnibus partibus perfecta conscribi vix

queat, nisi tanta cura denuo excutiantur, ut de omnibus ac singulis eorum lectionibus certe nobis constet.

§. 12. Progredimur ad alium fontem, e quo sacri textus historia hauritur, nimirum ad versiones vetustas, de quibus ea repetere nolumus, quae de codicum Mstorum usu modo diximus; facile ad translationes accommodanda. Paucula tantum addere iuvabit. *Primum* igitur optamus vehementer, ut viri docti linguarumque periti, quibus bibliothecas adire aliisve subsidiis uti licet, emaculandis istis versionibus operam dare velint. Plerasque enim mendis scatere innumeris, dubitari nullo modo potest. Syriaca v. c. epistolarum paulinarum translatio tot interpolata est lectionibus recentioribus, ut a vero non posset non longissime aberrare, qui, in delineanda textus graeci historia, ex hodierna vetustissimae huius versionis indole graeci textus, eo tempore, quo confecta fuit haec translatio, statum conditionemque elicere auderet. Quantum differunt codices graeci, octavo aut nono seculo scripti, ab iis, qui secundo aut tertio seculo christianorum manibus terebantur, tantum versio syriaca, prout in editis exemplaribus habetur, distat a primorum illorum seculorum textu, quo Novum Test. in syrorum linguam translatum esse ferunt. Neque vitiis tantum deformata est in translatione ipsa sensim enatis, sed ad textum graecum iuniorem sexcentis in locis reficta esse videtur. Quod si ita est, egregie falluntur, qui versionem syriacam typis excusam anti-

quissimis accensent translationibus, confundentes nimirum versionem syriacam hodiernam cum antiquissima illa, ab apostolorum temporibus, saltim e vulgari sententia, haud multum remota. Aethiopica et armenica translationes, quarum neutra alii ulli postponenda est, puriores quidem quam syriaca ad nos pervenerunt; attamen editorum fides non sine specie in dubium vocatur. Etsi vero firmiter mihi persuasum est, nimium suspicionibus suis indulgere eos, qui ad vulgatam translationem versiones has saepe correctas esse opinantur; id quod lectionum comparatio cum vetustissimis patribus graecis falsum esse arguit; tamen scrupulum hunc, ope vetustorum codicum, penitus nobis eximi velim. *Deinde*, nisi pleniora et accuratiora excerpta e versionibus, praesertim e coptica, aethiopica et armenica, procurentur, iusta sacri textus historia conscribi vix potest. Equidem aegerrime fero, praestantissimam illam versionem armenicam in lectionum variarum farragine, ad epistolarum textum spectante, admodum rare laudari. Imo ad latinam etiam versionem antiquam, vel post Sabatierii diligentiam, quamplurima e membranis vetustis et patrum latinorum scriptis colligi adhuc possunt, quibus carere non potest, qui translationis huius statum primaevum penitius perspicere, indeque graeci textus historiam illustrare vult. Singularum *denique* versionum origines, vicissitudines et fata si indagarentur studiosius, non solum earum indoles ac

pretium patesceret luculentius, sed ipsi etiam graeci textus historiae multum novae lucis adferri posset.

§. 13. Ad tertium accedimus historiae huius fontem, eundemque tum copiosissimum, tum omnium maxime necessarium, allegationes puta dictorum Novi Test. in scriptis patrum graecorum obvias; quarum ope nisi frui nobis liceret, abiiciendum esset profecto totum illud colligendae sacri textus historiae consilium. His enim si essemus destituti, neque antiquissimorum codicum variarumque recensionum aetas et patria rite definiri posset, neque certi quidquam haberemus, quod de conditione et vicissitudinibus textus graeci, primis post natum Christum seculis, proferremus. Quemadmodum vero nihil hactenus obfuit magis, quo minus historia textus rectius efformaretur, quam neglecta graecorum patrum accuratissima pervestigatio; ita etiam causa, cur de perfecta textus historia desperemus (§. 10.) in hoc potissimum posità est, quod pleraque patrum antiquiorum graeca scripta dudum interciderunt. Sed, quo plura temporis iniuria perdidimus, eo diligentius paucula illa, quae ex antiquissimis temporibus supersunt, tractare debemus. Quod qua ratione optime atque utilissime fieri possit, paucis exponam.

1) Radicitus ex animo evellenda est praeiudicata multorum opinio, qui e patrum allegationibus certo cognosci posse negant, quid in suis codicibus scriptores illi legerint nec ne. Etsi enim lubentissime concedo, scripturae sacrae loca a patribus saepe ex-

citari negligenter, nec codicibus inspectis, sed memoriter atque confuse: extant tamen criteria sat multa atque luculenta *), quorum ope discerni possunt allegationes fideliter e codicibus depromtae a vagis ad dicta Scripturae provocationibus, in quibus patres vel propter memoriae lapsum, vel ex oscitantia nimiaque festinatione, vel etiam de industria scriptorum sacrorum verba paullulum inflexerunt immutaruntque. Ac si vel maxime ad liquidum res non semper deduci possit, iudicari tamen ex istis criteriis potest, utrum absque erroris metu allegationem quandam pro certa et accurata habere, et in delineanda sacri textus historia tuto ea uti queamus, an vero in dubio res relinquenda sit; id quod consilio nostro abunde sufficit.

2) Longe maioribus premimur difficultatibus, si quaeritur, utrum allegatio quaedam incorrupte hodie supersit in commentariis patris cuiusdam typis excussis, an vero librariorum editorumve culpa immutata sit et ad textum codicum Novi Test. iuniorum reficta? Sed plerumque tamen scrupulus evelli nobis potest eorundem criteriorum, quae modo laudabamus, beneficio. Utilissime inprimis adhibetur aurea illa regula, quae fide dignas esse pronunciat allegationes consentientes cum codicibus ac patribus, qui in excitandis Scripturae locis cum eo patre, de cuius allegatione dubitatur, tantum non semper conspirant,

*) Explicatius de criteriis istis exposui in Diss. *de codicibus Evangeliorum Origenianis*, Halae 1771. p. 36-50.

eandemque textus sacri recensionem sequuntur. Conferendas praeterea esse in locis patrum suspectis editiones diversas, tum antiquiores, tum recentiores et lectionum variantium silva instructas, evolvendosque esse, si fieri id possit, codices manu scriptos, vix est quod moneamus.

3) Habemus quidem excerpta satis ampla ex allegationibus patrum in MILLII, BENGELII et WETSTENII collectionibus, sed ita comparata non sunt, ut accurata et plena textus graeci historia confici ex iis possit. Ante igitur, quam de tali historia accuratissime conscribenda cogitare liceat, denuo excutiendi sunt patres graeci, nisi omnes, profecto ex antiquioribus potiores, una cum conciliorum et martyrum actis. Ne vero immensus iste labor in cassum eat, sed historiographi commodis optime prospiciatur, sequentes leges iis scribendas esse censeo, qui in administranda negotiosà hac provincia, quam unus suscipere haud potest, auxiliatrices praebere velint manus. a) Non colligantur promiscue plurium patrum allegationes, sed quae in scriptore ecclesiastico quoque observantur huc pertinentia, notentur separatim. Commodissime fieri hoc poterit, si excerpendis singulorum patrum allegationibus singula destinentur Novi Test. exemplaria, eorumque margini omnia ad historiam textus sacri facientia, quae in patris huius operibus observantur, ita allinantur, ut uno quasi mentis oculorumque obtutu perlustrari queant. b) Omnia patris cuiusque scripta in optimis editionibus a capite ad calcem perlegantur. c) Discer-

nantur scripta eius genuina a spuriis, certa a dubiis. d) Seiungantur scripta graeca authentica a caeteris, quorum latina tantum superest translatio. e) Merae, quas vocant, allusiones non negligantur quidem, sed ita tamen notentur, ut a disertis allegationibus facile distingui possint. f) Notentur omnia, quaecunque allata esse reperiuntur Novi Test. loca, sive concinant cum textu recepto sive non; nec integra solum commata, sed singula etiam, quotquot e libris sacris excitata deprehenduntur, vocabula; tantaque id fiat cura, ut de quolibet textus sacri verbo possit excerpta haec consulenti liquido et certo constare, (α) utrum in patris huius voluminibus excitatum id legatur nec ne; (β) utrum lectio in allegatione obvia consentiens sit receptae, an vero ab hac differat. g) Ne ordinem quidem vocabulorum inversum, aut constructionem mutatam silentio praeterire liceat. Notetur vero, si forte allegatio obliqua mutatae constructionis causa fuisse videatur sola. h) Quoties locus Novi Test. quisque a patre hoc laudatus sit, indicetur, allegationumque saepius repetitarum sive consensio sive discrepantia distincte significetur. i) Si in iis ipsis scriptorum ecclesiasticorum locis, in quibus Scripturae dicta proferuntur, lectionis quaedam varietas occurrat; si v. c. comma quoddam Novi Test. aliter excitetur in textu Origenis edito, aliter in codicibus Origenis manuscriptis ab editore laudatis: utriusque lectionis mentio fiat in excerptis. k) Nota quadam insigniantur allegationes, in quibus lectiones reperiuntur cum auctoris consilio, adiecta interpretatione, orationisque συναφεια etc. pugnan-

tes, adeoque suspectae. l) Idem fiat in allegationibus, in quibus de consulto pater aliquid addidisse, omisisse, mutasse videtur. m) Iis etiam allegationibus nota quaedam apponatur, ubi contextus clare docet, locum laudatum certissime ita lectum et scriptum fuisse a patre, quomodo in libro, quem excerpis, iam extat. n) Cavendum, ne confundantur loca Novi Test. parallela, neve ad parallelorum alterum referantur, quae alteri peculiaria sunt.

§. 14. Fons historiae textus graeci ultimus continetur disertis scriptorum antiquorum testimoniis atque narrationibus, quibus varia de textus huius fatis, indole, lectionibus discrepantibus etc. tradiderunt. Nulli profecto alii postponendus is esset, dummodo saepius talium rerum mentionem iniecissent scriptores ecclesiastici, paulloque diligentius atque explicatius de hoc rerum genere exposuissent. Commemorant quidem codices Origenis, Pierii, Pamphili, Eusebii, eosque aliis praeferendos esse innuunt; nominant editiones Luciani atque Hesychii; narrant, tam Eusebium Constantini Magni iussu, quam Athanasium iubente Constante, multa procurasse Novi Instrumenti apographa; illa in constantinopolitanam potissimum dioecesin, haec in occidentales provincias deportata esse significant; laudant Euthalii editionem Actuum Apostolorum et epistolarum cum paulinarum tum catholicarum; queruntur cum [?*)] Marcione aliisque haereticis permultis, quos textum sacrum depravasse tradunt; librorum

*) forte: de legendum est. G.

suorum integritatem contra haereticos defendunt strenue; ingentem lectionis varietatem locum habuisse fatentur; unius eiusdemque loci lectiones discrepantes passim proferunt; latinorum lectiones cum graecorum libris subinde committunt; nonnulla denique alia commemorant, textus graeci historiam illustrantia. Verum enim vero tam rarae in patrum scriptis occurrunt hisce de rebus narrationes, atque tam breves plerumque sunt et obscurae, ut nihil fere, quod operae pretium sit, peti inde queat. Sola enim indicia, nude ac absque περιστασεων commemoratione posita, plura sciendi desiderium acuunt, non explent, neque sufficiunt ei, qui accuratam textus historiam quaerit. Interim tamen eo saltim nobis prosunt, quod innuunt res quasdam attentione nostra et curatiore pervestigatione dignas, de quibus ne cogitassemus quidem, nisi qualicunque hoc indicio admoniti ad eius indagationem excitati fuissemus. Caeterum non sine cautione severoque examine admittendae sunt istae patrum narrationes. Certe non temere, ubi de haereticorum depravationibus loquuntur, fides ipsis habenda est. Haereticis enim auctoribus saepe tribuunt lectiones, quas non solum catholicas sed genuinas etiam esse nemo hodie dubitat. Neque latinis, cum de graecorum lectionibus et codicibus verba faciunt, credere secure licet. Plerique enim de rebus plane sibi ignotis, quas ab aliis (de quorum fide certi esse non possumus) relatas referunt, satis confidenter loqui sententiamque ferre solent.

§. 15. Si fontes historiae hactenus enumeratos apte coniungimus, et ea, quae e quolibet fluunt, ingeniose et diligenter inter se comparamus; innumerae inde enascuntur observationes historico-criticae, quae, porro inter se curiose collatae, ad hypotheses nos deducunt probabiles, quibus ad supplendas lacunas, in historia textus sacri, in tanta monimentorum testimoniorumque vetustorum penuria, sat frequentes, commodum uti possumus. Sic diversas olim in ecclesiis catholicis receptas fuisse, hodieque in pluribus codicibus superesse graeci textus recensiones, ignoraremus penitus, nisi hac via atque methodo detectum id fuisset. Nec recensionum istarum origines alia ratione expiscari possumus, quam colligendo observationes varias, quaerendoque hypothesin, quae harum omnium rationem in se contineat maxime probabilem, et explicandis phaenomenis omnibus apta sit. Saepe e causis cognitis elici possunt effectus ob documentorum inopiam nondum satis perspecti; saepe etiam versa vice effectus obvii produnt causas latentes. Ex odio v. c. quo discipuli Origenis, una cum scriptis viri huius immortalis, apud catholicos plerosque inde a seculo quarto flagrabant, intelligitur, quamobrem textus, quem Origenis asseclae magistro suo acceptum referebant maximique faciebant, reiectus sensim fuerit et cum alia recensione permutatus. Vicissim e consensu omnium paene codicum post seculum septimum aut octavum scriptorum, si comparetur cum incredibili antiquiorum codicum inter se discrepantia, colligi-

mus, longe maiorem librariis et criticis concessam fuisse licentiam ante, quam post illa tempora; cuius rei causas facili negotio perspiciet, qui historiam istorum temporum ecclesiasticam et civitatis christianae statum antiquiorem memoria tenet. Tandem analogiae etiam ratio utilissime nonnunquam adhibetur, ubi tum patrum testimonia, tum documenta vetusta nos destituunt. Qui e. gr. codicem vidit e duobus aut tribus exemplaribus ita compilatum, ut librarius mox huius mox illius libri lectiones pro arbitrio suo eligeret, atque in apographum suum transferret, recensionum novarum, e plurium antiquiorum commixtione, ortum apte illustrare poterit.

§. 16. Cum recensionum sive editionum textus sacri diversarum mentio saepissime iniicienda sit, earumque iusta delineatio nobilissima aeque ac utilissima historiae, quam meditamur, pars sit: iustae methodi leges poscere videntur, ut, antequam ulterius progrediamur, nonnulla praemittamus, quae ad recensiones generatim spectant, atque eo inprimis facere possunt, ut intelligant lectores, unde petenda sint atque iudicanda, quae de earum numero, discrimine ac indole traduntur.

§. 17. Multis modis oriri possunt novae libri cuiusdam recensiones. Nam 1) auctores ipsi, novam editionem procuraturi, recognoscunt interdum libros a se conscriptos, posterioribusque curis non solum addunt aut resecant nonnulla, sed mutant etiam nonnunquam quae, nisi vitiose, obscure ta-

men aut ambigue dicta esse ipsis videntur. Fieri id solet praesertim ab iis, qui opuscula separatim antea in lucem protrusa colligere, unoque corpusculo complecti volunt. Potuisset igitur Paulus, epistolas a se scriptas iunctim editurus, denuo eas recensere, et φρασιν hic ibi paullo obscuriorem cum clariori permutare. 2) Libri, qui privatis potius certorum hominum aut societatis cuiusdam, quam publicis quorumcunque usibus destinati primitus erant, saepe et satis licenter describi ante potuerunt, quam, librario quodam ἐκδοσιν in se suscipiente, publice in lucem ederentur. Iam si duos fingas librarios, curandae editionis consilium simul capientes, quorum alter autographa ipsa aut apographa accurate transscripta religiose expresserit, alter vero vel correctiones nonnullas tentaverit ipse, vel exemplar nactus sit ab aliis iam interpolatum: duarum recensionum a se invicem diversarum et primae libri divulgationi aequaevarum originem clare perspicies. 3) Criticus, qui adhibitis codicibus pluribus aliisve subsidiis textum libri cuiusdam ita refingit, ut habitu universo a caeterorum codicum omnium textu differat, novam recensionem elaborasse censendus est. 4) Pone codices duo sibi simillimos, A et B. Ex codice B fit apographum c, ex hoc d, et sic porro usque ad z. Librarium qui transscripsit codicem c, decies finge discessisse a lectione του B. Interpolationes has non solum repetet librarius του d, sed etiam decem aliis eas augebit. Librariis itaque erroribus errores cumulantibus, codex z non poterit

non vehementer dissonare a codice A et curatis eius apographis. Fac vero hominem quendam, ab hoc studiorum genere non prorsus alienum et auctoritate apud suos pollentem, suasorem esse librariis, ut textum codicis z, a se probatum aliisque commendatum, forte etiam a sphalmatibus nimis apertis purgatum, describant saepius et quamplurima conficiant του z antigrapha, α, β, γ, etc. Novam hac ratione exortam esse recensionem nemo facile negaverit, licet neque a critico quoquam ex artis suae praeceptis, factoque optimarum lectionum undique conquisitarum dilectu, elucubrata sit, nec ab omnibus omnino codicibus, codice z antiquioribus, ita discrepet, ut textum exhibeat a caeterorum omnium textu, si habitum universum spectes, differentem. Satis enim propinqua cognatione attingit textum codicum y, x, u, etc. Sed si interciderint forte codices c, d, - - x, y, z, et supersit tantum codex A cum fidis suis apographis, nemini, ut opinor, dubium videbitur, aliam esse recensionem in A, aliam in α, β, γ *).

---

*) Quomodo differat recensio a διορθώσει, expositum et exemplis illustratum invenies in Dissertatione nostra *de codicibus Evangeliorum Origenianis* §. 4. Repetere tamen h. l. licebit, non qualicunque emendatione aut mutatione textus novam effici recensionem; alioqui tot paene numerandae essent recensiones, quot sunt codices. Potest codex quidam, epistolas paulinas continens, centum locis differre ab alio codice, neque tamen dissensus hic obstat, quo minus eandem recensionem utrumque exhibere existimemus,

§. 18. Ad deprehendendas dignoscendasque recensiones diversas qua via perveniatur, paucis declarandum est. Nimirum excutiendi sunt integri nonnulli Novi Test. libri ita, ut omnes, quotquot a Wetstenio, aliisque enumerantur, lectiones variantes perlustrentur, et testium tum consensiones, tum dissensiones quam diligentissime annotentur. Attendendum tamen est praecipue ad lectiones insigniores atque graviores, h. e. eas, quae vel sensum mutant, vel glossematibus constant exquisitis, vel e vulgaribus lectionum variantium causis (e. gr. litterarum aut soni similitudine etc.) derivari nequeunt, vel omittendo (nisi ὁμοιοτέλευτον omissioni occasionem praebuerit) addendove a lectione recepta discedunt. Minutiae enim illae, quae in omnibus libris Mstis sexcenties recurrunt, v. c. particulae omissae vel permutatae, negligendae quidem non sunt; nam e constanti codicum quorundam in talibus etiam nullius momenti rebus inter se consensu, eo validius pertinere eos colligimus ad eandem codicum familiam; at dissensio tamen in rebus tam levibus diversas recensiones evincere haud potest. Idem te-

---

dummodo insigniores huius recensionis lectiones Χαρακτηριστικαὶ in utroque codice reperiantur. Ut enim aliam recensionem inesse statuamus codici A, aliam codici B, necesse est non solum ut discrepantiae occurant satis frequentes, per textum universum diffusae, verum etiam, ut ratio discrepantiae universae reddi nequeat e librarii sive negligentia sive imperitia, aliisve vulgaribus lectionum dissonantium causis.

nendum est de manifestis librarii in transscribendo aberrationibus, nec non de lectionibus singularibus, quae luxuriantis aut ludentis scribae ingenium produnt. Huius enim modi lectiones ostendunt quidem, codicem, cui peculiares sunt, non esse aliorum librorum nobis cognitorum apographum; recensionem vero ab aliis diversam hoc libro contineri, neutiquam probant; nisi forte tam frequentes occurrant lectiones singulares, ut insolita earum multitudo recensionem singularem, in hoc solo codice conservatam, patefaciat. Etsi enim plures plerumque codices reperiuntur, qui unam eandemque recensionem exhibent; fieri tamen potest, ut de vetustiori quadam recensione non nisi unicus superstes sit codex. *Talis*, meo quidem iudicio, alexandrinus est in Evangeliis, atque Chrysostomi codex in epistolis. — Igitur labori huic intenti, lectionumque ac testium censum ineuntes, mox observabimus codices quosdam *) in omnibus fere lectionibus notabilioribus tam constanter consentientes, ut non facile unus eorum pro lectione quadam laudetur, quin caeteri etiam, nisi omnes, pleriqne tamen, simul excitentur. Hi itaque codices unam eandemque recensionem repraesentant, cuius aetatem

*) Codicum nomine brevitatis causa nunc eos etiam libros comprehendimus, quibus usi olim sunt tum translationum auctores, tum etiam patres ecclesiastici. Eadem enim, quod ad hoc negotium attinet, ratio est codicum Mstorum, versionum et allegationum.

ac patriam e codicum reliquis antiquiorum patria et aetate elicere poteris. Lectiones vero, codicibus his communes, procul omni dubio huic, quam ab aliis facile discernere iam possumus, recensioni attribuuntur. Nec intellectu difficile erit, quo affinitatis gradu codex quisque aliis eiusdem recensionis codicibus coniunctus sit. Quo enim rarius a caeteris discrepat in lectionibus insignibus, eo propinquior est eius cum his cognatio.

§. 19. Detecta iam recensione una, continuandum est illud, quod supra descripsimus codicum examen, donec nullus supersit notatu dignus, quin ad certam aliquam codicum classem relatus sit. Quot vero constitui possunt classes, tot numerari debent recensiones. Ne tamen praeter rem augeatur recensionum numerus, eo elaborandum est, ut codices omnes in quinque aut sex classes generaliores dispescantur, totidem recensiones insigniter inter se differentes et tempore locove a se invicem seiunctas, repraesentantes. Quo facto, classium singularum codices, si opus sit, in duas pluresve familias porro distribui poterunt, quarum quaeque codices propinquitate proximos complectatur. Saepe enim recensionis eiusdem plures et diversas ἐκδόσεις discernere licet, in lectionibus maxime χαρακτηριστικαῖς, quibus haec recensio ab aliis distinguitur, plerumque consonantes; sed multis tamen in locis ita inter se dissidentes, ut nova quadam distributione opus esse videatur. In epistolis v. c. codices D E F G, ut infra docebitur, eandem repraesentant recensio-

nem; sed in FG aliam cernere licet ἔκδοσιν quam in DE. Similiter AC. 17. 46. 47. ex eadem omnes recensione sunt; sed distinguenda tamen est familia 17. 46. 47. a familia AC. Classibus vero et familiis hac ratione generatim constitutis, facile de codice quolibet, cuius lectiones notae nobis sunt, pronunciari poterit, ad quamnam tam recensionem quam ἔκδοσιν referendus sit; ad eam scilicet, cuius lectiones χαρακτηριστικαι, ex aliis codicibus et patribus nobis iam cognitae, in ipso regnant. Observari tamen meretur, extare codices nonnullos e plurium recensionum fragmentis compositos; cuius rei exemplum luculentum suppeditare potest arabica Actuum versio ab Erpenio edita, quae e. gr. capite 10 consentit cum copta, cap. 11. et 12. graecum textum sequi fere videtur, cap. 13. cum syriaca concinit, cap. 14. copticae rursus se adiungit comitem, cap. 15. ad finem vergente in gratiam redit cum syro interprete etc. quae omnia egregie illustravit Ill. IO. DAV. MICHAELIS in *curis in versionem syriacam Actuum Apostolorum.* Quod vero translationi huic contigisse videmus, id in graecis quoque codicibus locum habere potuit. Nonnullos saltim Evangeliorum codices observasse mihi videor, mox hanc mox illam recensionem presse sequentes; plures fortasse detegentur posthac, si recensionum discrimina in clariori luce posita erunt. Quid? quod rei huius ratio reddi potest facillime. Saepe enim ternio aut quaternio excidit e codice, aliunde postea suppletus; cuius generis codices hodienum supersunt per-

multi, in quibus ipsa scripturae diversitas lacunam ab alio librario expletam prodit. Is vero qui folia deperdita restituit, exemplar interdum secutus est, plane discrepans ab eo, quod librarius, qui codicem ipsum scripsit, expresserat; velut videre est in codice Sangermanensi, qui vetustissimam translationem latinam, *Italae* nomine vulgo venientem, graeco textui adiunctam habet, praeter epistolam ad Timotheum priorem, quam alia manus e versione *vulgata* descripsit. Cum vero in apographis e talibus codicibus transscriptis, nullum lacunae aliunde suppletae indicium supersit in oculos incurrens, lector incautus fallitur facile, lectionesque, in particula recens adsuta occurrentes, eidem perperam adscribit recensioni, quam in caeteris libri partibus regnare videt. Caeterum, quod in alexandrino codice atque in Wetsteniano primo manifestissime apparet, aliam nimirum recensionem exhiberi in Evangeliis, aliam in epistolis, id in pluribus procul dubio libris Mstis, ac fortasse etiam in versionibus nonnullis et patrum commentariis, similiter observari potest. Sed in maioribus Novi Test. partibus error facilius cavetur, quam in minutis libelli cuiusdam particulis. Id vero probe notari velim, codices nonnullos, eandem recensionem per totum librum aliquem sequentes, alibi eam repraesentare puram, alibi vero iunioribus interpolationibus nonnihil depravatam. Quamobrem non nisi toto codice excusso, aut locis saltim permultis, et ex omnibus libri partibus dilectis,

curate examinatis, de recensione, quam continet, in universum iudicare licet.

§. 20. Codicibus in classes atque familias suas distributis, repertisque singularum recensionum characteribus, patria et aetate, id peragendum restat, quod, quamvis plane adhuc neglectum, certe tamen in toto hoc negotio praecipuum est. Nam quis est, quin tam ad illustrandam textus sacri historiam, quam ad constituendam rem criticam universam tuendamque sacri codicis integritatem, maximi momenti esse censeat, si codices in integrum restituamus, annis abhinc fortasse plus quam 1200 in cinerem versos? si oculis quasi usurpandos ipsi porrigamus codices omnibus quotquot supersunt, parisino regio rescripto, alexandrino, claromontano etc. aliquot seculis vetustiores? eos ipsos, inquam, codices, quibus olim usi sunt Clemens alexandrinus et Origenes, aut quos secutus est vetus interpres latinus? Atque hoc, etsi incredibile nonnullis videbitur, fieri posse contendo, imo praestare ipse ausim, nisi otio doctorumque virorum auxilio destituar. Id scilicet ago atque in primis agendum esse puto, ut vetustissimae illae textus graeci recensiones restituantur integrae, utque singularum membra, per tot codices, versiones et patres, disiecta atque dispersa, colligantur et coagmententur. Opus elaborari velim, hexaplari illi, quod immortalem Origeni gloriam peperit, haud absimile; in quo veteres recensiones distincte ac separatim iuxta se ita ponantur, ut textus graecus, prout e recensione quaque olim se ha-

buit, antequam interpolatores nativam recensionis faciem immutarent, perspicue repraesentetur, lectiones autem variantes, in editione seu recensione quavis sensim enatae, in margine collocentur seorsim a caeteris lectionibus discrepantibus, ad aliarum editionum textum spectantibus. Eximiam instituti huius utilitatem, non est quod multis praedicem. Nam si iunctis plurium virorum doctorum moliminibus eo tandem perventum erit, ut non solum recensiones sive editiones singulae separatim ante oculos expositae nobis sint, verum ut etiam nativae uniuscuiusquae recensionis lectiones, resectis omnibus serioribus interpolationibus aut corruptionibus, in unum quasi corpus collectae obtutui nostro pateant, et quotiescunque opus est, in promtu sint; admodum facilis erit recensionum inter se comparatio ac aestimatio, et criseos sacrae theoria confici poterit, inconcussis fundamentis innixa maximeque ad usum accommodata. Nihil itaque superest, quam ut qua ratione id, quod volumus atque optamus, perfici posse nobis videatur, monstremus. Si enim singula, quae eo requiruntur, praestari possunt, res ipsa possibilis sit, necesse est. Fateor equidem, e nonnullis recensionibus superesse tantum fragmenta quaedam, atque adeo has perfecte restitui non posse. At pleraeque tamen eaedemque antiquissimae (v. c. alexandrina), in totum, caeterae ex parte saltim instaurari queunt. Nec infitias ire velim, graecam phrasin, quae in editione quadam (v. c. occidentali,) primitus extiterat, in nonnullis Scripturae

locis deperditam esse ac irreparabilem; id quod in iis recensionibus vix non contingere non potest, quarum nativae lectiones e versionibus potissimum petendae sunt, quia pauci ex ea editione superstites sunt codices graeci, passim lectionibus recentioribus interpolati. Sed ne sic quidem primitivae lectionis *sensus* ignoratur. Denique hoc etiam lubens largior, ob documentorum satis vetustorum, quod ad unam alteramve editionem attinet, paucitatem, locorum quorundam restitutionem non prorsus esse certam, sed probabilem tantum; fierique posse, ut certo quidem sciamus, lectionem nobis propositam pertinere ad hanc illamve recensionem, dubii autem haereamus, utrum nativa sit editionis huius lectio, an vero serius irrepserit; verum nec hoc causae nostrae obest, dummodo indubia ab incertis segregentur. Nova etiam et accuratior patrum graecorum collatio multa reddet certa, quae dubia adhuc videntur.

§. 21. Age iam videamus qua via tentari debeat ea, de qua loquimur, editionum veterum et codicum dudum deperditorum restitutio.

1) E vasta illa atque incondita lectionum variantium farragine seligendae sunt omnes illae, quae pertinent ad eam recensionem, cui instaurandae operam nostram impendere decrevimus.

2) Ex omnibus istis lectionibus, partim a Wetstenio et aliis iam collectis, partim indefessa diligentia e patribus atque versionibus adhuc conquirendis, formetur textus quam fieri potest minime

interruptus aut hians lacunis. Si superstes sit ex hac recensione codex bonae notae, vel patris graeci commentarius textum integrum pure exhibens, fundamenti loco poni is potest. Sin praesto tales non sint, aut nimis interpolati videantur, textum vulgo receptum sumemus, eique velut basi cuidam caetera ita superstruemus, ut a) lectiones vulgaris textus retineamus, quoties easdem in monumentis huius recensionis haud suspectis manifeste deprehendimus; contra vero b) eas textus recepti lectiones eliminemus, quae in monumentis modo dictis nusquam reperiuntur, earumque in locum substituamus alias, in optimis documentis hanc recensionem repraesentantibus occurrentes. c) Ubi documenta haec prorsus silent, occupare neutiquam licet, lectionem editionum hodiernarum extitisse olim in recensionis, quam instaurari cupimus, codicibus; sed annotandum est ingenue et clare, non liquere hoc loco de recensionis huius lectione.

3) Saepe monumenta, ad eandem recensionem referenda, inter se dissident pluresque eiusdem loci lectiones secum invicem pugnantes continent. Ex his igitur seligatur et in textum recensionis restituendae admittatur ea lectio, quae omnium maxime genuina videtur; caeterae notentur in margine. Genuinam autem dicimus non simpliciter, sed comparate. Multae enim lectiones pro genuinis, hoc est nativis sive primitivis recensionis cuiusdam lectionibus habendae omnino sunt, quas a scriptoribus sacris ipsis profectas esse, nemo facile affirmaverit. Quin in locis

omnibus, ubi recensiones plures inde a primordiis suis inter se discreparunt, tot numerari debent eiusdem loci aut vocabuli lectiones genuinae, quot sunt recensiones inde ab ortu suo, quod ad hancce lectionem, inter se dissidentes. Nempe id tantum spectatur, quaenam e pluribus lectionibus, in recensionis eiusdem codicibus occurrentibus, extitisse olim videatur in eo codice, qui universam hanc classem duxerat totiusque recensionis fons fuerat atque principium. Iudicatur hoc ita, ut genuina ac nativa putetur a) quae extat in monumentis, reliquis antiquioribus. Alexandrinam v. c. recensionem purius exhibent Clemens alex. et Origenes, quam Cyrillus alex. aut Ioannes damascenus. Magis igitur genuinam existimamus lectionem Clementis, quam eam, quae apud Damascenum legitur; b) quae occurrit in plurimis eiusdem recensionis monumentis, nisi horum numero aliorum obstet antiquitas; c) quae repetitur in pluribus eiusdem recensionis editionibus sive classis eiusdem familiis, vetustioribus praesertim; d) quae invenitur in iis huius classis codicibus, qui purius quam alii, textu in universum spectato, recensionem quandam sistunt. Alexandrina e. gr. purior extat in AC quam in 17 aut 46, in quibus alexandrinis lectionibus alienae passim admistae sunt; e) quae haud immigrasse videtur ex alia in hanc editionem; f) quae genio huius recensionis, ex aliis documentis nobis iam cognito, consentanea est; g) quae quodam antiquitatis quasi colore prae caeteris

conspicua est, nec ex aliis in eadem recensione obviis lectionibus enata videtur.

§. 22. Haecce criteria, praesertim si ratio earum habeatur coniunctim, in restituendo recensionis cuiusdam textu certissime sufficiunt non solum dignoscendis lectionibus primigeniis, sed eo etiam nos deducunt, ut variantes lectiones, vel in hac ipsa recensione enatas, vel aliunde in eam illatas, secundum temporis ordinem in margine disponere possimus. Opus autem hac, quam diximus, ratione elaboratum, commentarii perpetui instar esset, historiam textus sacri luculentissime illustrantis; nec quidquam desiderandum relinqueretur, si tabulis, omnium recensionum et synopsin et vicissitudines, chronologice digestas, repraesentantibus, adderetur tum descriptio critica testium omnium atque monimentorum, e quibus historia haec hauritur, adiecta cognationis, quae inter eos intercedit, accurata designatione; tum narratio succincta de variis περιστάσεσι ad histotiam textus universi et recensionum singularum spectantibus, quae vel e disertis scriptorum veterum testimoniis nobis innotuerunt, vel e diligenti et recensionum et testium singulorum inter se comparatione, variisque observationibus criticis et historicis inde enascentibus, colligi possunt.

Sectio II. historiae textus sacri antiquissimae usque ad editi ἀποστολου tempus lineae primae.

---

§. 1. Sacri textus, ab ipsis velut incunabulis eius, historiam repetiturus, ad autographa usque apostolorum recurrere, atque hinc narrationem suam ordiri debet. Nihil equidem ad causam, quam nos iam agimus, referre puto, utrum ἀρχετυπα exemplaria librorum sacrorum Romanis, Corinthiis etc. transmissa, ἰδιογραφα fuerint ipsorumque apostolorum manibus exarata, an vero ab amanuensibus, apostolo vel dictante vel αὐτογραφον (rudibus litterarum ductibus exaratum) librario describendum tradente, conscripta. Neque enim incertum fideque minus dignum videri potest archetypum exemplar epistolae ad Romanos, a Paulo approbatum, manus suae subscriptione confirmatum, et apostoli iussu Romanis traditum, licet non ab ipso Paulo sed ab amanuensi, fido sine dubio et cauto quamquam non θεοπνευστῳ, exaratum sit. Errores enim a tali scriba vel admissi fuerunt nulli, (quod in libello tam exiguae molis incredibile non est,) vel ab ipso postea expurgati, vel ab apostolo exemplar relegente correcti, vel a lectore quovis facile detecti atque emendati. Fuerunt quidem vel nostra adhuc aetate viri

docti, V. C. FERDINANDUS STOSCHIUS in *commentatione de epistolis apostolorum idiographis*, qui ἰδιοχείρον Pauli scripturam mordicus non solum defenderent, sed etiam eousque progrederentur, ut sententiam huic contrariam admodum periculosam esse, ipsumque christianae religionis praecipuum fundamentum labefactare contenderent. Ingenue equidem fateor, facile refutanda mihi videri argumenta omnia pro idiographis epistolis allata, longeque meo quidem iudicio potiorem esse eorum rationem, qui apostolos, Paulum saltim, in conscribendis epistolis suis amanuensium sive scribarum ministerio usos esse pronunciant. Ipsae, nisi egregie fallor, Pauli epistolae impressa quasi habent quaedam auctoris dictantis indicia; parentheses puta admodum crebras easdemque inusitate verbosas, periodos imperfectas s. ἀνανταπόδοτα, ὑπερβατα, et huius generis alia, Paulo valde familiaria; quae omnia, teste experientia quotidiana, iis saepe excidere solent, qui animi sui cogitata notario s. ταχυγράφῳ dictant. Non repugno quidem, orta esse haec stili paulini ἰδιώματα ex ingenii, quo praeditus erat apostolus, ubertate, alacritate et fervore; sed morari et temperare solet animi istum fervorem quantumvis magnum, tardior stilus, ita ut rarius ἀνανταπόδοτα admittat, qui sua manu animi sui sensa litteris consignet, frequentius vero, qui ταχυγράφου stilo utatur. Sed utcumque se habent ista, prima lectionum variantium origo ex archetypo, Romanis, Corinthiis etc. tradito, derivari nequit. Hoc enim, sive apostoli

MILLIUM sibi cavisse, iure nostro miramur. Satis enim secure ad Io. 19, 14, compendia scripturae apostolis ipsis tribuenda esse negat, „quoniam apostolorum erat codices sacros aperte, clare, accuratissime scriptos tradere." Idem ad Marc. 15, 25: „credi omnino, inquit, par est, apostolorum autographa quoad singulas quasque vocum litteras integre, clare, accuratissime fuisse scripta; quod idem de apographis sub id aevum exaratis dictum velim." Haec ille. Nos vero haec non solum precario sumta esse arbitramur, verum etiam praeiudicatas tales opinationes valde impedire scimus, quominus studium sacri textus historiae impensum, incrementa capere possit. Iure quidem meritoque ita scripta fuisse censemus archetypa, ut ab istius aevi hominibus, saltim coetuum christianorum rectoribus, absque multa haesitatione legi possent atque intelligi. Verum multa istis hominibus plana et perspicua sine dubio erant, quae hodie doctissimis viris, prisco illi scripturae et characterum generi non adsuetis, obscura essent aut ambigua viderentur. Stupent v. c. hodie plerique ad libros absque interpunctionis signis, immo absque vocum distinctione ita scriptos, ut vocabulum vocabulo arcte cohaereat, et versus sive στιχος quivis uno tantum vocabulo constare videatur. Olim vero, cum haec scribendi ratio usitata esset, promte sine dubio legebantur codices hoc modo exarati.

§. 3. Quaeri praeterea potest, num ipsa forte exemplarium archetyporum dispositio occasionem

praebuerit transpositionibus quarundam textus sacri particularum perquam vetustis? quae primo iam seculo locum habere potuissent facillime, si folia quaedam exemplaris autographi a reliquo corpusculo seiuncta extarent, vel serius ab auctore addita, vel casu separatim a caeteris scripta. Hinc fortasse illustrari potest historia duorum postremorum epistolae ad Romanos capitum, alioquin valde obscura. Nempe finita fuit epistola capite 14, comm. 23. desinente ea in verba: *παν δε ὁ ουκ ἐκ πιστεως, ἁμαρτια ἐστιν.* Mox tamen adiecit apostolus tria illa commata, quae in vulgaribus editionibus perperam ad calcem capitis 16 exhibentur, huc omnino pertinentia: *τῳ δε δυναμενῳ* usque ad: *ᾧ ἡ δοξα εἰς τους αιωνας, ἀμην.* Addita autem haec fuisse coniicio in separata quadam schedula, indeque varias commatum horum transpositiones ortas esse arbitror. Nam si certum ac stabilem locum verba ista antiquitus habuissent, causa fuisset nulla, cur sede sua pellerentur. Qui enim ideo ad capitis 16. finem reiecta esse tradunt, quoniam sermonem capite 14 coeptum et cap. 15 continuatum turbare, contra vero commodissimum locum in ultimi capitis fine invenire viderentur; nae, illi miram nobis narrant veterum christianorum in refingendis ob levissimas causas libris sacris licentiam. Quidni epiphonema nostro simillimum Eph. 3, 20. 21. pariter ad calcem epistolae ad Ephesios reiectum fuit? Alia schedula, ab epistolae corpore itidem seiuncta, continebat nomina amicorum quorundam, qui suo nomine Romanos salutari cupie-

bant; cap. 16, 21. 22. 23 ἀσπαζονται ὑμας usque ad κουαρτος. Denique in una alterave harum schedarum Paulus sua manu, pro more suo, adiecit votum illud solenne: ἡ χαρις του κυριου ἡμων Ἰησου χριστου μετα παντων ὑμων, ἀμην. cap. 16, 24. quod alii codices anteponunt epiphonemati: τῳ δε δυναμενῳ κ. τ. λ. alii autem eidem postponunt. Cum vero, epistola iam finita, nondum praesto esset tabellarius, qui Romam eam perferret, resumsit apostolus orationis filum, tantum non praecipitanter (forte ob deficientem membranam, aut tabellarium mox exspectatum) capite 14. abruptum, eaque perscripsit, quae capite 15. toto legimus, una cum clausula huius appendicis: ὁ Θεος της εἰρηνης μετα παντων ὑμων, ἀμην. vs. 33. Tandem accessit alia scheda, quae complectebatur ea, quae habentur capite 16, 1—20. Seorsim in separata quadam charta scripta haec fuisse, dubitari, ut equidem opinor, nullo modo potest, propter repetitum votum illud solenne: ἡ χαρις του κυριου Ἰησου χριστου μεθ ὑμων, com. 20. Cum enim verba haec, in omnium paulinarum epistolarum clausulis occurrentia, non nisi ad calcem epistolarum suarum apponere, suaque manu exarare consueverit apostolus, ut ex ἰδιοχειρῳ hac scriptura cognoscerent lectores, vere a Paulo missam esse epistolam; (conf. 2 Thess. 3, 17. 18. coll. 1 Cor. 16, 21-24. Gal, 6. 11 et 18. Col. 4, 18. 19.) quis quaeso sibi persuadeat, eodem in capite, paucis tantum interiectis verbis, (vs. 20 et 24.) bis a Paulo epistolae eidem adiectam esse clausulam tam solen-

nem *). Hoc argumentum, quod nescio quo casu plane neglectum fuit a viris doctis, nuper de capitis huius vera indole ac ratione inter se disputantibus, controversiam hanc, qua partem saltim maximam, dirimit. Nam 1) docet: commata capitis 16, 21. 22. 23. Romanis fuisse destinata. Si enim vel maxime viginti priora capitis commata ad Corinthios aliosve data esse statuere velimus, (quam causam hic non attingimus,) clausula tamen commati 20 adiecta ab antecedentibus manifeste distrahit sequentia. Atque hoc convenientissimum quoque est argumento trium istorum commatum, praesertim commati 22. 2) Viginti istis commatibus, separatum quoddam epistolium absolvitur, quod uti a sequentibus seiungitur per clausulam commati 20 adiectam; ita ab antecedentibus separatur per votum apostolo solenne, in quod caput 15 (appendicem epistolae exhibens, a reliquo eius corpore seiunctam) desinit. Hanc enim formulam nusquam in apostoli scriptis

*) Omittunt quidem clausulam hanc commate 20 codices graeco latini quatuor; commate vero 24 deest in libris et versionibus nonnullis ad alexandrinam recensionem pertinentibus. Cum vero eorundem verborum repetitio facile librarios quosdam permovere potuerit, ut semel ea omitterent; nulla apparente causa, cur apostolus eadem bis scripserit; nihil delendum esse censemus. Occasionem etiam omissioni commatis 24 praebere potuit, epiphonematis illius τῳ δε δυναμενῳ in hunc locum reiectio. Cum enim in solennissimas preces iam desineret epistola, voto illo ἡ χαρις κ. τ. λ. non opus esse videbatur.

legere me memini, praeterquam in epistolarum clausulis. 3) Intelligitur iam, quid sit, quod non solum a codice Marcionis, teste Rufino, sed etiam ab aliis libris, quos commemorat Hieronymus ad Eph. 3. 5. ut et a codicibus F et G, ac Vindobonensibus quinque, quos docte nuper descripsit Cel. TRESCHOVIUS, abfuerint tria ista commata *τῳ δε δυναμενῳ κ. τ. λ.* Apparet etiam liquido, quam ob causam Marcion cuncta, quae in nostris exemplaribus capite 15. et 16. leguntur, dissecuerit; nec obscurum esse potest, cur in codice quodam latino, (a Wetstenio ad h. l. laudato,) qui capitula epistolae ad Romanos recenset 51, desinant haec capitula in capite 14. Nam si in separatis schedis scripta erant haec omnia, facile in codicibus nonnullis, ex autographo transscriptis, vel omittebantur penitus, quasi ad epistolam hanc non pertinerent, vel transponebantur varie atque dissecabantur.

§. 4. Autographa, quod nomen latius accipimus de archetypo quocunque, mature interiisse, fatentur omnes. Quonam autem seculo aut anno, et quo casu perierint, ignoratur. Ignatii tempore superstites fuisse in ecclesiarum tabulariis autographos apostolorum codices, multis persuasum est, ob locum IGNATII celebratissimum in *epist. ad Philadelphenos* cap. 8. *παρακαλω δε ὑμας μηδεν κατ' ἐριθειαν πρασσειν, ἀλλα κατα χριστομαθιαν. Ἐπει ἠκουσα τινων λεγοντων, ὁτι ἐαν μη ἐν τοις ἀρχειοις εὑρω, ἐν τῳ εὐαγγελιῳ οὐ πιστευω· και λεγοντος μου αὐτοις, ὁτι γεγραπται· ἀπεκριθησαν μοι, ὁτι προκει-*

ται. Ἐμοι δε ἀρχεια ἐστιν ἰησους χριστος· τα ἀθικτα ἀρχεια ὁ σταυρος αὐτου, και ὁ θανατος, και ἡ ἀναστασις αὐτου, και ἡ πιστις ἡ δι αὐτου κ. τ. λ. Verum enim vero, ut incertam harum epistolarum rationem iam non urgeam, 1) non solum graecus quidam codex pro ἀρχεια (archiva) legit ἀρχαια scil. βιβλια sive γραμματα (vetusta scil. exemplaria, i. e. libri Veteris Test.) sed huic lectioni patrocinatur etiam vetus interpres latinus, tam in breviori quam in copiosiori et interpolata epistolae editione. 2) Ex antecedentibus fit probabile, committi hic inter se Veteris Novique Testamenti libros. Dixerat enim: „Confugio ad Evangelium tanquam ad carnem Christi et ad apostolos (apostolorum scripta) velut ad ecclesiae presbyterium. Sed et prophetas (libros V. T.) diligamus, propterea quod et ipsi Evangelium annunciaverint etc. Si quis autem Iudaismum vobis exponat, (Evangelistarum et Apostolorum auctoritatem parvi pendens) ne audiatis ipsum etc. Fugite malas artes et insidias principis seculi huius.“ Tum paucis interiectis, ut nos quidem verba illa interpretamur, pergit: Audivi iudaizantes quosdam dicentes: His, quae in Novi Test. libris tradita esse tu contendis, fidem non habemus, nisi ex Veteri Instrumento eorum veritatem evincas; cumque ego quaedam Novi Test. loca proferrem, reposuerunt illi oracula (cum istis ut videbatur pugnantia) e Veteris Test. libris depromta.“ *)

---

*) Hunc sensum esse coniicio verborum a criticis ae-

3) Proxime sequentia explicationem nostram mirifice confirmant. Pergit enim: „Boni sunt sacerdotes, (Veteris Test.) sed praestantior eis est summus sacerdos (Christus,) cui soli secreta Dei sunt tradita. — Omnia haec ad unitatem Dei; at Evangelium tamen eximium quiddam habet. — *Prophetae* annunciarunt eum; *Evangelium* vero perfectio est incorruptionis. Omnia in universum bona sunt (lex, prophetae, apostoli; addit interpolator) modo in charitate credideritis.“ Haud igitur licet Evangelio opponere obscuriora quaedam Veteris Test. loca! 4) Si vel maxime de archivis sive tabulariis ecclesiarum, et autographis in his asservatis, intelligendus esset Ignatius, tamen colligi ex hoc loco non posset, superstites illo tempore fuisse autographos apostolorum codices. Neque enim Ignatius tabularia Iudaizantibus opponit, aut eos eo ablegat; sed ipsi

---

que ac interpretibus misere vexatorum. Facilitate sane haec interpretatio caeteras vincere videtur. Προκειται idem est ac γεγραπται. Sic το κειμενον sive προκειμενον sunt verba textus; quae commentator explicat, immo omne id, de quo deliberatio aut disputatio quaedam instituitur. Nec multum ab hac significatione abludit altera illa, qua leges promulgatae ac publicatae προκεισθαι et κεισθαι dicuntur. Plana essent omnia, si Ignatio placuisset, utrumque scripturae locum, tum illum, ad quem ipse provocaverat, tum eum, quem adversarius ipsi occinebat, diserte excitare. Neque tamen causa cadimus, tametsi vertas: Cum ad quaedam scripturae oracula provocarem, illi sacrorum librorum exemplaria praesto esse respondebant.

potius adversarii archiva crepant, et Ignatium tam acriter urgent, ut, quo se vertat, vix inveniat.

§. 5. Celebris est TERTULLIANI locus in libro *de praescript. haeret.* c. 36. „Percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesidentur, *apud quas* (ipsae) *authenticae litterae eorum recitantur*, sonantes vocem, repraesentantes faciem. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. — Si Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est statuta." Authenticas litteras alii interpretantur de autographis, alii de graecis exemplaribus. Neutra vero explicatio mihi arridet, licet vocabulum *authenticus* in se spectatum utramque admittat. Quid enim? Achaicos christianos, graece loquentes, Corinthum adire oportuit, si *graeca* epistolae ad Corinthios exemplaria inspicere vellent? quanam igitur lingua conscripta fuisse putas exemplaria, quibus Achaiae incolae vulgo utebantur? Sed de *autographis* non magis quam de graecis exemplaribus locus accipiendus esse videtur. Nihil sane in universa oratione contexta occurrit, quod hanc interpretationem necessariam reddat. Contra vero obstat ei silentium Tertulliani *libro adv. Marcion.* 5. cap. 13. 14. ubi Marcionem in epistola ad Romanos ingentes foveas fecisse et quaecunque voluerit abstulisse conqueritur. Quodsi enim Tertullianus, quem Romae aliquamdiu haesisse tradunt, autographum Pauli in hac urbe superesse sive rescivisset, sive, famam incertam, ut nonnullis videtur, secutus, putasset; vix potuisset

quin huius exemplaris auctoritatem Marcioni, quem ipse Romae vixisse narrat, obiiceret. Accedit perpetuum Tertulliani de autographis silentium, innumeris illis in locis, ubi vel haereticos vitiatae scripturae accusat, vel de lectionis varietate fusius disputat. Quis credat, Tertullianum unico hoc loco, ubi nulla autographos codices commemorandi causa erat, ad ea provocasse; eundemque alibi, cum silentio hanc rem praeterire vix posset, tantum non studiose eam celasse? Tandem Origenès, curiosissimus et diligentissimus codicum biblicorum pervestigator, qui mox post Tertulliani tempora inclaruit, Romae, Ephesi aliisque in urbibus celeberrimis permultis aliquamdiu commoratus est, neque tamen uspiam autographum quoddam vidit, vel de tali libro quidquam fando inaudivit. Si vero Origenis tempore certissime perierant archetypa, quis Tertulliani aetate superfuisse ea sibi persuadeat? Quamobrem authenticas illas apud Tertullianum litteras, de *genuinis et a nullo haeretico depravatis exemplaribus* interpretandas esse censemus; id quod universo argumento libelli de praescriptionibus omnium maxime consentaneum est.

Nempe docet Tertullianus cap. 15. non admittendos esse haereticos ad illam de scripturis disputationem; sed dispici debere, cui competat possessio scripturarum. Cap. 16. 17. Nihil proficit congressio scripturarum. 'Haereticus non recipit quasdam scripturas; et, si quas recipit, *adiectionibus et detractionibus* ad dispositionem instituti sui *inter-*

vertit. His nituntur haeretici, quae ex falso composuerunt. Cap. 19. non provocandum est ad scripturas, sed hoc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa? *cuius sint scripturae?* Ubi apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei, illic erit *veritas scripturarum* et expositionum. Cap. 21. Quid apostoli praedicaverint non aliter probari debet, nisi *per eas ecclesias*, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam viva voce quam *per epistolas* postea. Doctrina cum *illis ecclesiis* conspirans veritati deputanda; reliqua omnis de mendacio praeiudicanda est. Cap. 22. seqq. obiectiones nonnullae contra hanc praescriptionem refelluntur, eiusque indoles atque ratio uberius declaratur. Cap. 35. provocat haereticos, ut proferant, si possint, aliquas eiusmodi praescriptiones adversus disciplinam catholicorum, quemadmodum cap. 32. postulaverat, ut ederent *ecclesiarum suarum origines.* Tum pergit cap. 36. Age iam, qui velis curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, *percurre ecclesias apostolicas apud quas (ipsae) authenticae litterae apostolorum recitantur.* etc. Videamus quid *dixerit*, quid *docuerit* apostolus? Unum Deum novit etc. (enumerat dogmata catholicorum, Marcionis erroribus opposita.) Cap. 37. Si haec ita se habent, ut veritas *nobis* adiudicetur, qui *in hac regula* incedimus, constat ratio propositi nostri, definientis: non esse admittendos haereticos ad ineundam *de scripturis* provocationem. Quo iure, Marcion, sylvam meam caedis? (i. e. libros, ad me pertinentes, corrumpis?)

qua licentia, Valentine, fontes meos (litteras sacras) transvertis? *Mea* est possessio, olim possideo. *Ego* sum haeres apostolorum. Cap. 36. Illic et *scripturarum* et expositionum *adulteratio*, ubi diversitas invenitur doctrinae. Quibus propositum fuit aliter docendi, eos necessitas coegit *aliter disponendi instrumenta doctrinae* (i. e. libros N. T.) Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae sine *corruptela instrumentorum* eius, ita et nobis integritas doctrinae non competisset, sine *integritate eorum* (librorum s. instrumentorum) per quae doctrina tractatur. Addit denique Tertullianus, nullam adfuisse causam, quamobrem scripturam s. depravarent catholici; optime enim consentire catholicorum, inde ab initio, doctrinam cum scripturae argumento. Tandem queritur cum Marcione, quod machaera non stilo usus sit, et ad materiam suam *scripturarum caedem* confecerit. Iam si verba, de quibus disputamus, in hac orationis serie considerentur, et universa argumentationis Tertullianeae ratio attendatur, patet, non de autographis, sed *de genuinis exemplaribus* accipiendum esse hunc Tertulliani locum. Nam

1) non provocat ad ecclesias apostolicas eo consilio, ut autographorum ibi superstitum auctoritate refellat haereticos, doctrinaeque catholicae veritatem demonstret; sed eam ob rem ad ecclesias apostolicas, quas solas audiendas esse supra monuerat, nos ablegat, ut *ex doctrina*, quam hi coetus tenent, (quam ipsi apostoli olim ipsis tradiderant, quam-

que apostolorum successores intemeratam propagarant,) intelligamus, tum, veram esse doctrinam catholicorum, utpote cum doctrina horum coetuum convenientem, tum etiam, *ea scripturae exemplaria esse genuina* fideque digna, quae cum hac ecclesiarum apostolicarum doctrina exacte consentiant. Postquam enim ecclesiarum apostolicarum, apud quas authenticae scripturae recitantur, mentionem iniecisset, mox cap. 37. hac utitur argumentatione: „*si* veritas *nobis* adiudicatur, *qui in ea regula incedimus*, quam ecclesia (Romana, Ephesina) ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit: *constat*, non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem," h. e. ad disputationem, utrum Marcionis exemplaria an vero catholicorum, Romanorum, Ephesinorum etc. antigrapha genuina sint fideque digna. Qua collectione (etiam cap. 19. occurrente) commodum supersedere poterat Tertullianus, si autographa in tabulariis ecclesiarum asservari existimasset. Tum enim non opus erat, exemplarium fidem indicare e consensu cum doctrina, sed doctrinae potius veritas existimanda erat ad autographorum istorum amussin. Nec inventu difficilia videri poterant Tertulliano argumenta, quibus doceret, vera re apostolorum manibus scripta esse autographa illa. Nam, ut alia taceam, non poterat non in mentem ei venire argumentum illud, toties ab eo ad probandam doctrinae catholicae veritatem repetitum; successio scilicet episcoporum.

2) Cap. 15. et 19. cardinem totius causae in hoc unice verti contendit, ut definiatur, *cuius* sint scripturae? *cui* competat possessio scripturarum? Si superessent autographa, facillime lis haec dirimi poterat. Illius enim profecto sunt scripturae, qui autographa earum inde ab initio possederat, et e possessione hac nunquam exturbatus fuerat. Hoc igitur praecipue urgere decebat Tertullianum. Sed ea de re in toto libello nec vola apparet nec vestigium. Ad consensum cum doctrina ecclesiarum apostolicarum unice se recipit; authenticas non nisi uno verbo, in transcursu tantum et aliud agens, attingit.

3) Egregie interpretationem nostram roborat locus Tertulliani alius, nostro perquam similis, et a LARDNERO iam observatus in *the Credibility of the Gospel History*, part. 2. vol. 2. pag. 577. Nempe *advers. Marcionem* lib. 4. cap. 4. de *genuino* Evangelii Lucae exemplari disputat. „Ego, inquit, meum dico verum, (i. e. *authenticum*) Marcion suum. Ego Marcionis affirmo *adulteratum*, Marcion meum.“ Litem hanc eadem prorsus ratione dirimendam esse contendit, qua nostro in loco haereticos convellere conatur. Provocat scilicet ad ecclesias apostolicas, atque illam Evangelii Lucae editionem authenticam esse pronunciat, quae ab his ecclesiis probetur. „In summa, ait cap. 5., si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, ab initio quod ab apostolis: pariter utique constabit, id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacro-

sanctum. Videamus, quod lac a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galatae sint recorrecti; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. — Dico itaque apud illas — *id Evangelium Lucae* ab initio editionis suae stare, quod (nos catholici) cum maxime *tuemur*; Marcionis vero (corruptum exemplar) plerisque nec notum etc." Non magis Tertullianus eo loco, de quo disputamus, ad autographa apostolorum provocavit, quam hoc adv. Marcionem loco autographa Lucae in omnibus, quas enumerat, ecclesiis extare statuit.

4) Non obstat interpretationi nostrae, formula Tertulliani: *ipsas* authenticas recitari. Primum enim vocabulum *ipsae* abest ab editione Beati Rhenani 1539 et novissima Halensi. Inseri sane potuit facillime, ob verba praecedentia: *apud quas ipsae* adhuc cathedrae etc. Hinc versu proxime sequente, eadem recurrente verborum structura, repetiit librarius quidam: *apud quas ipsae* authenticae. Deinde, licet genuinum sit, tamen morosius premi non debet. Quis obsecro ferret interpretem, e formula antecedente: *ipsae* apostolorum cathedrae Romae adhuc praesidentur; hunc sensum elicientem: episcopus, qui hodie Romanae ecclesiae praesidet, in illa ipsa sella sedet, qua olim, cum Romae degeret, uti solebat Petrus aut Paulus? Cur igitur simillima his verba interpretemur: exemplaria,

quae hodie Romae recitantur, sunt illa ipsa archetypa, quae sua manu olim scripserat Paulus! Priorum verborum sensus est: Romanam ecclesiam fundarunt apostoli ipsi, Petrus et Paulus; his successerunt postea alii, ab apostolis ipsis edocti atque probati, qui doctrinam eorum penitus imbiberant, eamque fidelissime conservarunt et διαδόχοις suis porro propagandam tradiderunt. Atque haec praesidum vere apostolicorum successio ordine non interrupto ad nostra usque tempora perduravit, ita ut hodienum Petrus et Paulus Romae vivere ac ecclesiae praesidere videri quodammodo possint, episcopo faciem eorum quasi repraesentante. — Quidni formulam posteriorem huic simillimam eadem ratione explicamus? Nempe epistolae, ad ecclesias apostolicas olim ab apostolis scriptae, ab iis, quos apostoli regimini horum coetuum ipsi praefecerunt, horumque successoribus, viris vere apostolicis, purissime conservatae sunt. (Quam enim ob causam apostolorum scripta immutassent, qui sinceram apostolorum doctrinam retinebant? Conf. cap. 38.). Quare si libri illi in hisce coetibus hodie recitantur, ipsum apostolum docentem audimus, lectoris voce apostolum quasi sonante.

§. 6. Caeterum ex iis, quae de archetypis, Origenis aetate certissime iam deperditis, supra commemoravimus, erroris quoque convincuntur, qui tempore demum Diocletianae persecutionis, cum ad tradendos codices suos christiani cogerentur, pleraque autographa interiisse suspicantur. No-

tari praeterea meretur, extra africanas ecclesias, quae profecto autographa possidebant nulla, perpaucos extitisse videri codicum sacrorum traditores, et celeberrimam illam controversiam super traditoribus exortam, totam ad solas spectasse africanas ecclesias. Si vero ob tradita hostibus apographa tantae excitatae fuerunt tragoediae, quanti tumultus moti fuissent, si quis ipsa apostolorum autographa igne comburenda tradidisset? Neque Eusebius, qui incipiente persecutione triginta ad minimum annos natus iam erat, et de rebus huius temporis fuse agit eamque ipsam legem, quae codices sacros flammis addicebat, commemorat, immo divinarum scripturarum libros in medio foro concrematos esse oculis suis vidisse se testatur; neque auctor libri de mortibus persecutorum; neque traditores africani, licet eorum exemplo, qui autographa ipsa tradidissent, crimen suum emollire quodammodo potuissent; neque alii scriptores seculi quarti, de codicibus combustis passim loquentes, archetyporum direptorum mentionem fecere. Sed si de re tam memorabili quidquam ad aures eorum fando pervenisset, vix silentio id praeterire potuissent. Cum praeterea ante Diocletiani tempora persecutores libris sacris inhiasse aut codices christianis extorsisse nusquam legantur, ne illis quidem assentiri possum, qui hostium saevitiae tribuendum esse putant, quod autographa citius perierint.

§. 7. Ego vero duabus de causis factum esse

arbitror, ut de archetypis epistolarum *) conservandis minus solliciti essent veteres christiani; nam si summa qua poterant cura et diligentia asservare ea voluissent, contingere vix potuisset, ut sub tertii seculi initia ex tot libellorum archetypis ne unicum quidem superstes esset. Nimirum postquam edita esset omnium epistolarum apostolicarum collectio, ἀποστολος dicta, haec ad usus tam publicos quam privatos plerisque (vide infra §. 14.) longe videbatur accommodatior, quam exemplaria, quae singulas tantum epistolas continebant. Quare, cum publicae lectiones ex ἀποστολῳ iam recitarentur, et hoc etiam doctores plebis privatim uterentur, evenit, ut singularium epistolarum exemplaria, ne autographis quidem exceptis, oblivioni sensim darentur, nec studiose conservarentur. Intellexerant enim antistites, τον ἀποστολον non differre ab autographis codicibus, sed perinde esse, utrum hos legerent an illum. Praeferendus autem videbatur ὁ ἀποστολος, non solum quia plura complecteretur, verum fortasse etiam, quoniam archetypum exemplar lectu esset difficilius, vel quod diuturno usu detritum iam esset, vel quod litterae ab apostolo aut amanuensi eius non nimis eleganter essent pictae.

*) Quod ad Evangeliorum libellos attinet, dubitari posset, utrum quisquam mortalium archetypa eorum viderit, praeter eum, cui procurandae editionis negotium ab auctore sacro demandatum fuerat.

Deinde propterea etiam de conservandis autographis priscos Christianos minus anxios fuisse crediderim, quod de singulis textus sacri apicibus ac syllabis parum solliciti essent istius aevi homines, dummodo sensum integrum atque doctrinam apostolorum incorruptam esse cernerent. Huius rei multa extant atque luculenta indicia, de quibus deinceps nonnulla monenda venient. Neque tamen hanc ob causam socordiae aut impiae cuiusdam negligentiae accusandos eos esse censeo. Nam doctores illorum temporum, si a philosophis nonnullis discedas, homines erant ad scholae leges haud edocti, nec grammaticorum et criticorum disciplinae et ἀκρίβεια adsueti. Quales se praebuerunt in explicando sacrarum litterarum sensu, hoc est, satis securos et negligentes et qualicumque rerum ipsarum declaratione contentos, grammaticam vero interpretationem susque deque habentes; tales etiam in rebus ad criticam disciplinam pertinentibus eos fuisse, mirum videri potest nemini. Quin interpretandi illud genus, cui soli adsueti erant, critica ἀκρίβεια prorsus carere poterat. Nisi enim ita deformatus erat textus, ut sensus inde existeret plane ineptus aut impius, commodum procedebat interpretatio, nec erat, cur vocabula quaedam addita aut omissa aut cum aliis eiusdem fere significationis permutata, morarentur. Ut primum vero grammaticorum ἀκρίβειαν in explicando sacro codice imitati sunt Christiani nonnulli, crisis sacra exerceri coepit. Origenes enim, uti grammaticae interpretationis auctor

fuit, ita etiam criseos sacrae parens exstitit. Huius vestigia postea presserunt quidem nonnulli, criseos exercitium cum iustae ac grammaticae interpretationis studio coniungentes; at plerique tamen, praesertim inter latinos, priscum illud interpretandi genus, ad alendam pietatem magis quam ad indagandum et stabiliendum sacrarum litterarum sensum adaptatum, vel post Origenem retinuerunt; unde factum est, ut crisin, qua supersedere possunt huiusmodi interpretes, penitus negligerent, et codices sibi oblatos quoscunque secure et nullo praevio examine sequerentur, nisi forte fama percrebuisset, hunc illumve locum ab haereticis esse corruptum. Sed obiicient mihi fortasse nonnulli, tales de haereticorum depravationibus controversias diu ante Origenis tempora agitatas esse, atque hinc effici posse, ne secundo quidem seculo defuisse viros doctos, qui critica facultate pollerent et comparandis examinandisque codicibus sacris operam darent. Verum facillime nodus hic solvi potest. Depravationes enim, ab istis seculi secundi haereticis tentatae, tam apertae erant atque manifestae, ut vel imperitissimo cuique ultro incurrerent in oculos. Patres vero, qui corruptos ab haereticis locos censoria virgula notarunt, ita in hoc negotio versati sunt, ut criticarum rerum rudes atque ignaros eos fuisse, planissime pateat; qua de re deinceps plura dicemus. Hoc loco illud tantum addere licebit, praeter eam, quam hactenus explicuimus, aliam etiam indicari posse causam, cur antiquissimi illi christianorum

doctores in observandis codicum discrepantiis et examinandis ponderandisque variantibus lectionibus minus, quam nobis quidem par esse videtur, curiosi fuerint. Etenim nobis aliunde, quam e sacris litteris christianae religionis notitiam certam atque veram haurire, et controversias super fide christiana exortas diiudicare haud licet; eamque ob causam omni cogitatione et cura in id incumbere nos decet, ut textum sacrum habeamus nullis omnino, quamvis levioribus, mendis deformatum. Contra vero illi homines apostolis aut viris apostolicis usi erant magistris, atque ex horum sermonibus coram institutis doctrinae christianae praecepta ante imbiberant, quam ad librorum sacrorum lectionem adgrederentur. Dogmata christiana, ipsis iam cognita, non eruebant e sacrarum litterarum oraculis, sed scriptura utebantur tantum ad confirmanda ea, quae ex magistrorum suorum institutione didicerant. Auditoribus ac discipulis suis ea dogmata propinabant paene sola, quae ad ipsum consequendae salutis ordinem spectant; in quibus tradendis et inculcandis uti solebant paucis quibusdam atque selectis scripturae locis, quae maxime perspicua ipsis viderentur; caetera vero eiusdem argumenti dicta negligebant et vix unquam proferebant. Si qui erant, qui in rerum ad religionem pertinentium causas et indolem studiosius inquirerent, ii philosophorum placita consulebant potius, quam scriptorum sacrorum oracula. Controversias, de fidei christianae dogmatibus exortas, optime componi posse existimabant aucto-

ritate atque testimonio ecclesiarum apostolicarum, aut eorum doctorum, qui apostolorum aut virorum apostolicorum discipuli fuerant. Traditioni tam exegeticae quam dogmaticae mirum quantum tribuebant. Quid plura? Haec enim, quae brevissime attigimus, intento animo considerare qui velit, mirari desinet, quid sit, quod antiquissimi christianorum doctores parum fuerint solliciti de accurata sacrarum litterarum interpretatione, ponderanda lectionis varietate, examinandis et conferendis inter se codicibus, atque asservandis apostolorum autographis.

§. 9. Ante editam epistolarum apostolicarum collectionem, *singulae epistolae* saepius procul dubio descriptae et ad alias etiam ecclesias, quam quibus proxime destinatae erant, delatae iam fuerunt. Probabile hoc non solum est in se, quoniam non nisi post secundi seculi initia collectarum epistolarum corpusculum illud prodiisse videtur, sed clare etiam innuitur a Petro, 2 Ep. 3, 16. paulinas epistolas laudante easque ταις λοιπαις γραφαις haud obscure aequiparante. Fortasse huc etiam pertinet admonitio apostoli 2 Thess. 2, 2. ne decipi se patiantur Thessalonicenses per epistolas tanquam a Paulo scriptas; si quidem fictas epistolas intelligas non Thessalonicensibus sed aliis inscriptas, et ad Thessalonicenses ab impostoribus delatas. Nec extitisse dubitamus, *quasdam epistolarum collectiones*, tametsi imperfectas, mox plures mox pauciores epistolas complectentes, antequam plenius illud corpusculum

quod του ἀποστολου s. ἀποστολικου nomine venire solebat, in publicum esset protrusum. Petrus certe l. c. πασων των ἐπιστολων Pauli mentionem iniicit, adeoque plures se vidisse testatur. Veri etiam admodum simile est, ecclesias communicasse epistolas ad se datas cum aliis ecclesiis finitimis, (Coloss. 4. 16.) et cum iis coetibus, qui apostolicarum illarum ecclesiarum ministerio nuper collecti erant atque fundati. Atque cum primi Evangelii praecones plerique non in eodem semper loco haeserint, sed varia ad amplificandos civitatis christianae fines itinera susceperint, (Euseb. 3, 37.) haud difficulter intelligitur, quo modo ad alias etiam ecclesias perferri potuerint apographa epistolarum ad dissitas ecclesias datarum. Ephesii v. c. habebant procul dubio apographa epistolarum ad Timotheum, Ephesi degentem, et ad Colossenses atque Galatas datarum. Corinthii facili negotio nanciscebantur exemplaria epistolarum ad Thessalonicenses et Philippenses. Corinthii atque Ephesii secum invicem communicabant epistolas, quas tum hi tum illi collegerant. Per Corinthiacos autem doctores Romam proficiscentes, corinthiacum hoc corpusculum mature Romanis innotuit, qui vicissim Corinthiis epistolam ad Romanos scriptam impertiti sunt. Igitur primo iam seculo tam singularum epistolarum quam collectiuncularum quarundam, diversis in locis a variis auctoribus factarum, *exemplaria satis multiplicata fuisse* videntur. Horum igitur exemplarium, ante canonem constitutum ex archetypis aut ex eorum

apographis desumtorum, descriptio, proximum post autographorum historiam locum sibi vindicat. Etsi enim nihil quidquam de talium codicum conditione memoriae tradiderunt scriptores antiqui, possumus tamen, ni fallor, indolem eorum coniectura satis probabili utcunque assequi. Cum enim credibile sit, apographorum horum pleraque non descripta esse a librariis exercitatis atque peritis, sed ab ipsis illis hominibus piis, qui talium exemplarium desiderio flagrabant, suspicari licet 1) non nimis venuste exarata atque variis scripturae compendiis, minus vulgo usitatis referta ea fuisse; id quod multiplicibus erroribus postea, cum e talibus libris alia antigrapha conficerentur, occasionem praebuit. — Praeterea nova illa phraseologia, qua notiones christianae antea incognitae exprimebantur, multis sine dubio, qui paganorum sacris antehac addicti fuerant, obscura videbatur. Quamquam enim haud repugnamus, apostolorum scripta intellectu satis facilia fuisse iis, qui versionem *των ό* diligenti manu dudum versaverant, et Iudaeorum graece loquentium formulas de rebus ad religionem pertinentibus cognitas habebant atque perspectas; aliter tamen sentiendum est de hominibus paganis, qui christianorum coetibus nuper sese adiunxerant. Augebatur haec intelligendi difficultas apud eos, qui unam tantum et alteram Pauli epistolam nacti erant, et parallelismi beneficio destituebantur. Quod si ita est, prona ad fidem est coniectura, 2) interpretamenta et additiones non omnino abfuisse ab istis

primi et secundi seculi codicibus. Ac si vel maxime in margine tantum posita ea primum fuisse concedamus, facile tamen in textum ipsum postea admissa fuerunt, ab iis praesertim hominibus, qui describendis libris assueti non erant. Interpretamenta sane ultro quasi se offerebant iis, qui vel apostolum ipsum de iisdem rebus, quae in epistolis tractantur, coram atque distinctius loquentem audiverant, vel a discipulis et familiaribus eius, authenticam formularum subobscurarum explicationem acceperant. Clarissime praeterea ex Irenaei, Tertulliani aliorumque allegationibus apparet, secundo iam seculo glossemata et additamenta haud pauca in multorum exemplarium textum fuisse recepta. Atqui eosdem illos patres usos esse non exemplaribus *του ἀποστολου*, sed codicibus priscis, ante editum *ἀποστολον* scriptis, alibi ostendemus. Quin vetustissima etiam illa translatio latina, ex id generis codicibus confecta, et variis additamentis et glossis abundans, coniecturam nostram extra omnem fere ponit dubitationem. Haud diffiteor tamen, epistolarum codices minus fuisse hoc modo interpolatos, quam Evangeliorum exemplaria. Sed rei huius ratio reddi potest facillime. Qui enim unum tantum vel duo possidebat Evangelia, animum inducebat facile, ut e caeterorum Evangelistarum commentariis, quae in manus ei forte inciderant, nonnulla decerperet suoque codici adiiceret. Amplam praeterea evangelicos codices interpolandi variisque additamentis locupletandi materiam suppeditabant tum

evangelia apocrypha, in quibus procul dubio vera nonnulla ac nostris Evangeliis consona falsis et incertis admista erant; tum etiam multorum hominum, fide non prorsus indignorum, de rebus gestis et sermonibus Iesu Christi narrationes. Plures itaque interpolandi illecebrae aderant in Evangeliis, quam in epistolis. Adde, rarius has descriptas esse, quam illa.

§. 10. Pergimus ad editionem του ἀποστολικου, qui epistolas ὁμολογουμενας, hoc est Pauli tredecim, Petri priorem, et Ioannis primam complectebatur. Tredecim paulinas infuisse huic corpusculo, inde colligitur, quod hae omnes a cunctis catholicis inde ab antiquissimis temporibus absque ulla dubitatione receptae ac pro genuinis habitae fuerunt. Qui unam earum admittebat, caeteras etiam omnes recipiebat; id quod contingere vix potuisset, nisi omnes simul in publicum editae unoque volumine comprehensae fuissent. Contra vero epistolam ad Hebraeos, Iacobi, Iudae, Petri posteriorem, atque Ioannis secundam et tertiam ab ἀποστολῳ abfuisse opinamur. Hae enim epistolae a multis catholicis olim in dubium vocatae, immo reiectae fuerunt. Quodsi vero una cum tredecim paulinis, eodemque modo ac eidem volumini inclusae, in christianorum manus pervenissent, aeque ac illae fuissent receptae. Quoniam autem non extabant in collectione epistolarum apostolicarum indubie genuinarum, scrupulus iniectus est eis, quibus aliunde

de authentia earum nondum constabat. Duas vero Ioannis et Petri epistolas Paulinis in τῳ ἀποστολικῳ adiunctas fuisse, pluribus de causis statuimus. Primum enim tam exiguae molis epistolae vix omnibus christianis inde a secundo seculo innotuissent, nisi ὁ ἀποστολος complexus eas fuisset. Deinde nemo, qui paulinas recipiebat, has non admittebat. Utramque a Papia receptam fuisse, docet Eusebius H. E. 3, 39. Eaedem, praeter paulinas, solae occurrunt in epist. Polycarpi, in epist. ad Diognetum, et in epist. martyrum Lugdunensium. Immo Irenaeus, sexcenties excitans loca ex Evangeliis, 13 paulinis epistolis, priori Petri et prima Ioannis (et Apocalypsi), caeteras epistolas, quas ab ἀποστολῳ abfuisse contendimus, nunquam clare (excepta secunda Ioannis) excitavit. Similiter Clemens alex. et Tertullianus priorem Petri et primam Ioannis (et Iudae epistolam) laudant, sed Iacobi epistolam, Petri secundam et Ioannis duas posteriores nunquam excitant; licet Clemens praeter primam Ioannis aliam eiusdem auctoris epistolam novisse videatur. Praeterea auctores, quorum epistolae continebantur in τῳ ἀποστολικῳ, a scriptoribus vetustissimis nonnunquam in plurali numero laudabantur οἱ ἀποστολοι. Sic Ignatius epist. ad Philadelphios cap. 5. commemorat το ευαγγελιον, τους ἀποστολους et τους προφητας; et auctor epistolae ad Diognetum, quae perperam quidem Iustino Martyri tribuitur, at secundo tamen seculo scripta esse a viris doctis iudicatur, libros sacros universos cap. 11. hoc modo

recenset: ὁ νομος, οἱ προφηται, τα εὐαγγελια, οἱ ἀποστολοι. Denique translatio syriaca simplex utramque hanc epistolam complectitur, caeteras autem (excepta tamen epist. ad Hebr. et Iacobi) omittit.

§. 11. Quisnam του ἀποστολικου editionem procuraverit, ignoratur. Existimarunt quidem nonnulli, Paulum ipsum collectionis huius auctorem esse, quemadmodum Plinius aliique epistolas a se scriptas ipsi et collegerunt et edi curarunt. Sed causas habeo sat multas et, ut opinor, graves, cur in hac sententia esse non possim. Nam 1) nullus scriptor vetustus huius rei, quae profecto notatu fuisset dignissima, meminit. Tertullianus v c. opposuisset procul dubio Marcioni, epistolas ad Timotheum et Titum respuenti, apostoli auctoritatem, si Paulum ipsum epistolas has caeteris adiunxisse existimasset. 2) Dubitatio de epistola ad Hebraeos oriri non potuisset, si Paulus ipse epistolas suas collegisset ac edidisset. Quis enim caeteris eam adiicere aut adiectam retinere atque defendere ausus esset, si Paulus eam seponendam esse iudicasset? Aut quis libellum resecare sustinuisset, quem apostolus epistolarum suarum corpusculo ipse adiunxisset? 3) Quo iure Paulus suarum epistolarum editioni Ioannis ac Petri epistolas, vivis adhuc earum auctoribus, adiicere potuerit, haud facile dixeris. Ac si priorem Petri adiunxit, quidni posteriorem quoque? Utilissime sane testimonium Petri (cap. 3, 15. 16. si tamen Petri est,) adhibere potuisset ad repellendam iudaizantium calumniam, qui velut Pseudapostoli

illi Galatis insidiantes, Petrum a Paulo dissentire mentiebantur. Cum igitur Paulo editio του ἀποστολικου tribui nequeat, nec ulla appareat causa, cur alii cuidam apostolo epistolarum illarum collectionem acceptam referamus, superest, ut vel discipulum aliquem apostolorum vel nobilem quandam ecclesiam epistolas, in unum fasciculum congestas, evulgasse existimemus. MILLIUS quidem *proleg.* §. 196. Romanae ecclesiae του ἀποστολικου adscribendum esse autumabat, partim, quia epistolam ad Romanos primum in hac collectione locum occupare videbat; (id quod aliis de causis factum esse putamus;) partim, quoniam ab iis canonem hunc epistolicum profectum esse opinabatur, qui prae aliis tres illos Apostolos, quorum solorum epistolae primitus in eum relatae erant, in maxima habuissent veneratione, iisque singulari quadam consuetudine iuncti fuissent. Sed admodum infirmam esse hanc argumentationem largientur mihi lectorum plerique. Nititur sane incertissima, ne dicam fabulosa, narratione de Ioanne Romae commorante et in dolium ferventis olei demerso, cuius auctor est Tertullianus, homo perquam credulus. Ego vero graecum potius hominem in graecorum suorum civium gratiam graecae huius editionis curam in se suscepisse existimaverim. Nam primo quidem seculo plerique sub occidentem solem, qui Christo nomen dabant, graece sciebant; secundo autem seculo, cum altiores radices in Italia, Africa etc. egisset religio christiana, et multi indigenae amplexi

eam essent, christianorum graece loquentium numerus (comparate saltem) sensim decrescebat. Longe plures profecto erant in Graecia, Asia, Aegypto etc. qui graeca librorum sacrorum exemplaria desiderabant, quam in Italia. Quod si ita est, quidni in istis potius regionibus editionem του ἀποστολου prodiisse statuimus, ubi maius erat eius desiderium, maiorque necessitas? Occidentalium vero christianorum utilitatibus eodem circiter tempore, quo ἀποστολου editum esse suspicamur, latina librorum sacrorum translatione prospectum fuit. Praeterea, si a vero non abhorrent, quae postea de alexandrinae atque occidentalis recensionis originibus disputabuntur, apparebit, veri longe similius esse, του ἀποστολου editum esse a doctore quodam graeco, aut ab orientali quadam ecclesia.

§. 12. Tempus editi ἀποστολικου incertum quidem est, sed veri tamen speciem prae se ferre videtur eorum coniectura, qui tum e locis Ignatii et auctoris epistolae ad Diognetum, §. antecedente laudatis, tum e Marcionis instituto, qui aeque ac catholici ἀποστολικῳ quodam (licet a catholicorum ἀποστολῳ diverso) utebatur, effici posse existimant, editum fuisse ἀποστολου aliquamdiu ante medium seculum secundum praeterlapsum. Sed fateor non omnes deesse dubitandi causas. Ignatianarum enim epistolarum ratio dubia est, et auctoris ad Diognetum aetas accurate definiri nequit; Marcion vero imitatus fortasse est antiquiorem quandam epistolarum collectionem (§. 8.) non catholicorum ἀπο-

στολον. Quid? si Marcionis mutilam editionem occasionem praebuisse coniiciamus catholicis, ut de curanda meliore ac pleniore epistolarum apostolicarum editione cogitarent? Equidem nihil certi affirmare ausim, praeterquam quod ante Irenaei, Tertulliani atque Clementis tempora in lucem iam prodierit *ὁ ἀποστολος*. Quo minus autem sub ipsa seculi secundi initia divulgatum eum fuisse existimem, obstat potissimum Iustini Martyris auctoritas. Hic enim Evangelia quidem excitat saepissime atque clare, verum ad epistolas non nisi perquam raro atque latenter alludit. Hae igitur minus quam illa notae atque familiares ei fuisse videntur; quod mirum esset in homine, qui plures orientales et occidentales ecclesias visitasse fertur, si *ἀποστολος* inde a seculi primordiis in lucem publicam fuisset protrusus. Mirifice suspicionem meam confirmat celeberrimus Iustini locus apolog. I. cap. 67. ubi in publicis christianorum conventibus praelegi testatur *τα ἀπομνημονευματα των ἀποστολων ἡ τα συγγραμματα των προφητων*, hoc est, Evangelistarum commentaria et prophetarum (i e. Veteris Test.) scripta. Nam *ἀπομνημονευματα των ἀποστολων* saepissime vocat Evangelia, et capite proxime antecedente diserte scribit: *οἱ ἀποστολοι ἐν τοις γενομενοις ὑπ' αὐτων ἀπομνημονευμασιν, ἁ καλειται εὐαγγελια*, sacrae coenae institutionem ita enarrant etc. Sola igitur Evangelia publice tunc christianis praelecta fuisse videntur, saltim in ecclesiis permultis; *ὁ ἀποστολος* autem, vel nondum vel ante paucos

annos editus, publici iuris vix factus erat, et doctorum potissimum usibus inserviebat.

§. 13. Utrum textus, quem exhibebat ὁ ἀπόστολος, ex archetypis ipsis, an vero ex apographis vel epistolarum singularium vel collectionum quarundam specialium, manaverit, pro certo definiri non potest. Unam alteramve epistolam ex ipso autographo transscripsisse editorem, facile nobis persuaderi patimur; omnes autem ex archetypis desumtas esse, vero vix simile est. Sufficit nobis, textum του ἀποστολικου satis fuisse genuinum, nec talibus lectionibus deformatum, quae vel sensum notabiliter immutarent, vel apostolorum doctrinam corrumperent atque depravarent. Cum enim omnium ecclesiarum catholicarum calculo comprobatus fuerit ὁ ἀποστολος, ne iis quidem exceptis, ad quas apostoli olim epistolas suas direxerant, nostro iure hinc colligimus, editorem nemini suspectum fuisse de mutato aut interpolato epistolarum textu, sed consensisse hanc editionem cum eis exemplaribus, quae ex archetypis ipsis descripta, multorum doctorum manibus iam ante evulgatum ἀποστολον terebantur. Quod tamen ita accipiendum non est, ac si quoad singulas omnino litteras et syllabas accuratissime autographa expresserit. Primum enim incertum, immo improbabile esse modo diximus, archetypa omnia inspecta atque collata fuisse ab editore; deinde summa illa ἀκρίβεια, quae voculas singulas anxie ponderat, aevi istius moribus repugnat, (§. 8.) nec nimis erat ne-

cessaria, quamdiu viverent doctores, qui fidei christianae formulam vel ab apostolis ipsis vel a discipulis eorum, summa auctoritate apud christianos pollentibus, accepissent. Multae denique occurrebant in libris sacris voces atque phrases, quae graecis lectoribus, hebraismi penitus ignaris, non poterant non obscurae esse, litterarumque sacrarum intelligentiam impedire. Salvo sensu, salvaque librorum sacrorum integritate permutari haec poterant cum aliis formulis intellectu facilioribus. Quis enim tam ineptus est, ut eversam esse textus sacri integritatem clamitet, si quis v. c. Matth. 6, 1. pro δικαιοσυνη scribat ἐλεημοσυνη? Aut quis iustis vindicet argumentis, exemplaria epistolarum ab editore adhibita, nulla omnino glossa, nullo interpretamento fuisse interpolata? (§. 9.) Ego quidem, ut ingenue mentem meam eloquar, suspicor omnino, glossas nonnullas textui του ἀποστολικου primitus fuisse admistas, salva tamen librorum sacrorum integritate. Hoc enim, quod nec in se ἀδυνατον nec improbabile est, posito atque concesso, permultae historiae nostrae partes in clarissima luce collocari possunt, quae repudiata hypothesi nostra (conf. Sect. 1. §. 15.) cimmeriis tenebris involuta manent. Planum hoc fiet e sequentibus commentationis nostrae sectionibus, in quibus non solum, huius hypotheseos ope, duarum recensionum antiquissimarum origines declarare studebimus, qua de re paucula hoc loco praelibare placet; verum etiam primitivas utriusque recensionis lectiones sub examen

vocabimus, atque eam, quae ex ἀποστολῳ fluxit, ineunte seculo tertio interpretamentis scatuisse demonstrabimus.

§. 14. Edito iam τῳ ἀποστολικῳ, exemplaria codicis epistolici brevi tempore admodum sine dubio multiplicata sunt. Qui hoc codice adhuc carnerant, facile nunc nancisci eum poterant. Qui manca collectione, paucas tantum epistolas complectente, (§. 9.) usi antea erant, codicibus suis eas iam addebant, quas in pleniore hac editione laetabundi reperiebant. Neque tamen credibile est, antiquiores illos codices, ante divulgatum ἀποστολου scriptos, a possessoribus suis nunc fuisse abiectos aut combustos. Nam magni isto tempore constabant libri manuscripti, nec ullam habet veri speciem, abiecisse quemquam codicem suum, cui inde a multis annis adsuetus fuerat, et quem vel difficulter sibi comparaverat, vel ab antecessoribus, parentibus, amicis, apostolorum aut apostolicorum virorum discipulis, martyribus, confessoribus etc. acceperat. Neque criticorum more libros suos cum nova hac editione contulisse crediderim antiquiorum codicum possessores. (§. 8.) Sed retinebat quisque codicem suum, eique adiiciebat tantum epistolas eas, quas abesse a libro suo iam intelligebat. Qui vero postea novos describebant codices, ii vel exemplaria novae editionis sequebantur, vel priscos illos codices (suppletos ex ἀποστολῳ) exprimebant, adhibito tamen plerumque eo epistolarum ordine, quem editor του ἀποστολου praeive-

rat. Antiquiores enim libri nullum certum ordinem servasse videntur, sed ea procul dubio serie excipiebant se epistolae, qua collectori, exemplaria quae transscriberet conquirenti, sese obtulerant. *Duplex* igitur inde ab hoc tempore *codicum genus* per librarios propagabatur, quorum alterum e priscis illis codicibus, alterum e novae editionis exemplaribus manabat. Deprehendimus igitur, nisi nos fallunt omnia, *duarum recensionum diversarum incunabula!* *Latini* priscorum codicum, ex ἀποστολικῳ auctorum, tenaciores erant; graeci contra praeferebant antigrapha *του ἀποςτολου*. Inter *latinos* enim christianos cum rari fere essent graecorum exemplarium emtores, librarii in talibus conficiendis, nisi poscerentur, vix desudabant, ne forte operam suam perderent. Quin librarii christiani, qui graecos codices exarare possent, fortasse non nimis multi in occidentalibus regionibus reperiebantur. Pagani autem librarii operam suam christianis locare in transscribendis sacris eorum libris vel nolebant, vel christianis suspecti esse poterant; praesertim inde ab eo tempore, quo tum paganorum μυστηρια imitari, et sacrorum suorum rationem studiose profanis hominibus celare coeperunt christiani, tum fama de codicibus ab haereticis corruptis percrebuit. Plerique igitur, qui graeci sacrorum librorum codicis desiderio tenebantur, ipsi apographa sibi confecisse videntur. Quodnam vero codicum, quos describerent genus elegisse, et unde eos petiisse putabimus pios hosce homines? Nimirum priscos illos

codices adamabant, quos in amicorum suorum aut presbyterorum scriniis dudum asservatos fuisse, nec ab haereticis corrumpi potuisse sciebant. Accedebat latinae translationis, ex priscis illis exemplaribus, ut suo loco videbimus, confectae, auctoritas, quae hoc codicum genus occidentalibus christianis valde commendabat. Contra vero *graeci*, orientalium incolae provinciarum, obsoletos hos codices sensim seponebant. Cum enim multa sacrorum librorum exemplaria quotidie hisce in regionibus quaererentur, librarii procurandis eis facile operam suam impendebant. Nec deerant profecto inter graecos librarii christianis sacris addicti sat multi, qui tum apographa conficerent rogati, tum non lucri tantum spe, sed promovendae etiam religionis christianae desiderio permoti, facerent sedulo, ut quaedam sacrarum litterarum exemplaria nunquam non in tabernis suis prostarent. Si vero librariorum potissimum ministerio textus sacer inter graecos propagatus fuit, dubitare vix licet, quin horum plerique pleniorem ac recentiorem του ἀποστολικου editionem transscribere maluerint, quam priscos illos atque imperfectos codices, ante editum ἀποστολον exaratos. Si porro ὁ ἀποστολος in oriente primum in publicam exiit lucem, apud orientales sine dubio christianos in Graecia, Aegypto etc. maior eius fuit auctoritas, quam apud Italos aliosque, quibus editor minus erat notus. Si denique textus του ἀποστολου a hebraismis nonnullis atque formulis, auribus graecis insolitis, purgatus fuit ab editore,

(§. 13) hominibus graece loquentibus placere potuit magis, quam durior illa occidentalium recensio, quae formulas illas diutius retinebat. Quamquam enim in hanc quoque mature irrepserunt glossae permultae, magis tamen ad sensum quam ad dictionem graecam spectasse videntur.

§. 15. Ex his, quae de ortu atque diverso modo, quo propagata fuit recensio utraque, observavimus, coniecturam facere possumus de recensionis utriusque indole et conditione. Si autem duas codicum antiquissimorum classes extare deinceps demonstravero, in quas aptissime quadrent omnia, quae de ambarum recensionum indole, ex mea de ortu earum hypothesi, *coniectando iam eliciam*; fatebuntur, ut spero, periti harum rerum arbitri, inanes haud fuisse, quas de recensionum illarum initiis proposui, suspiciones. Igitur

1) occidentalium codices graeci *), nisi mea me fallit coniectura, a) non omnes eodem ordine exhibebant libros sacros (§. 14.). b) Scatebant glossis, declarando sensui inservientibus, et additamentis. Nam ducti erant non solum e libris, in quibus multa textui admista erant interpretamenta, (§. 9. nr. 2.) sed nova etiam indies accedebant glossemata, quoniam causae, ob quas olim insertae fuerant glos-

*) Quae hic disputantur, valent non solum de epistolarum verum etiam de Evangeliorum codicibus; immo nonnulla criteriorum hic allatorum magis conspicua sunt in his quam in illis.

sae, (ibid.) magna ex parte nondum cessaverant. c) Additamenta illa horrebant locutionibus parum graecis, utpote a semigraecis hominibus profecta, procul a Graecia degentibus. d) Mirabiles passim occurrebant lectiones, quarum ortus explicari vix potest, enatae ex inusitatis scripturae compendiis et insolitis litterarum imperite pictarum ductibus. (§. 9. nr. 1.) e) Permutabantur interdum vocabula, quae a librario graeco, talibus codicibus describendis adsueto, confundi vix potuissent. f) Formulae insolentiores, soloecismi et id genus alia reperiebantur iis in locis, ubi alii codices lectiones exhibebant puriores, elegantiores, clariores, quae venustulorum graecorum librariorum, lectorum et commentatorum debebantur sedulitati. g) Vitia contra grammaticorum graecorum praecepta admissa passim deprehendebantur, inprimis latinismi, qua orthographiam, vocabulorum terminationes, nominum genera etc.

2) Graecorum sive orientalium codices a) in hisce rebus, quas modo enumerabamus, omnibus, dissimiles erant occidentalium christianorum libris. Saltim quae crebro occurrebant in his, vix rarissime deprehendebantur in illis. Inprimis vero b) raro in ipsis inveniebantur errores graviores, ex inscitia scribae exorti. Contra vero c) frequentiora erant sphalmata eius generis, quod caveri vix potest, si saepius liber aliquis transscribatur, v. c. omissiones ob ὁμοιοτέλευτον. Cum enim longe plura Novi Test. graeci exemplaria conficerentur inter orientales quam inter occidentales, facile contingere po-

tuit, ut codex β anno 300 exaratus, sine alius codicis interventu transscriberetur e codice α, anno 150 scripto. At inter codicem orientalem z, eodem anno 300 exaratum, et codicem a, anno 150 scriptum (e quo, intervenientibus tamen aliis nonnullis, textus τοῦ a*) manavit) viginti forte aut plures intercalandi sunt codices. Quare, cum in unoquoque intercalarium illorum codicum nova quaedam sphalmata a librario oscitante et festinante admitterentur, atque in caeteris, post hunc scriptis, repeterentur, codex z non potuit non sphalmatibus abundare levioribus, tot librariorum, mercede conductorum, concurrente negligentia sensim cumulatis. d) Glossae, quae irrepserant, ad illustrandas res et sententias minus spectabant, quam ad declarandas locutiones, graecis auribus insolentiores. e) Dictio universa, si totum textus habitum spectes, ad graecam puritatem ac elegentiam propius accedebat.

*) Ni fallor loco a e contectu z legendum est. G.

VIII.

Curarum in historiam textus graeci epistolarum Pauli specimen I.

Cuius partem posteriorem

pro loco in Theolog. ordine rite obtinendo ad diem XIII. *Februarii a. s. r.* MDCCLXXVII.

publice disceptandam proponit

Ioannes Iacobus Griesbach,

Theologiae doctor eiusdemque professor publ. ordin. et soc. acad. princ. Hass. sodalis.

Jenae.

Sectio III. Observationes super fatis textus epistolarum graeci inde ab edito ἀποστολῳ ad quintum usque seculum.

§. I. Textus epistolarum paulinarum graeci fata, inde ab edito ἀποστολῳ usque ad Euthalianam editionem Sec. V. strictim tantum persequemur. Egregia multa, quae huc pertinent, collegit diligentissimus MILLIUS *in prolegomenis* suae Novi Test.

editioni praefixis, praesertim §. 265 et 281-996. de variis haereticorum adversus sacri textus integritatem molitionibus, irritis quidem illis, sed memoria tamen dignis; de codicibus Valentini, Marcionis, Heracleonis, Ptolemaei, Tatiani, Theodoti, Luciani, Hesychii, Manichaeorum etc. nec non de indole atque conditione eorum codicum, quibus usi sunt scriptores catholici, et veteris latinae versionis interpretes; de exemplaribus Adamantii et Pierii, de antigraphis ab Eusebio et Athanasio, iussu imperatorum, procuratis etc. Haberemus quidem non solum satis multa, quae addere possemus Millianis, sed non deessent quoque in his emendanda atque corrigenda; verum, cum primas tantum historiae lineas describere hoc libello constitutum nobis sit, in aliud tempus (Sect. I. §. 10.) *pleniorem* harum rerum expositionem reservamus. Interim proferre tamen hic placet observationes nonnullas, e quibus de historia illorum temporum, generatim spectata, praesertim vero de statu textus graeci seculo secundo et tertio, utcunque iudicium ferre licebit; exempla vero adiiciemus aut nulla aut pauca, ne nimia nobis succrescat dicendi materia.

§. 2. Ingens iam fuit hoc tempore, immo tertio seculo incunte, codicum inter se discrepantia, et incredibilis paene lectionum variarum numerus. Nam vix ulla in codicibus hodie superstitibus occurrit alicuius momenti lectio, quin apud patres Euthalio antiquiores eadem deprehendatur, tametsi a Wetstenio caeterisque variarum lectionum colle-

ctoribus nulla patrum cum codicibus consentientium mentio facta sit. Post Theodoreti sane tempora longe pauciores quam antea enatae sunt, si aperta librariorum sphalmata demas, lectiones discrepantes. Quae enim recentiores codices plerosque occupant, tantum non omnes apud Theodoretum iam habentur; quae vero in antiquioribus libris et versionibus reperiuntur, eae profecto illis iuniores non sunt. Igitur universa fere lectionum variantium messis, quam Millius et Wetstenius in horrea sua condiderunt, secundo, tertio et quarto seculo in herba iam erat. (conf. Sect I. §. 11: nr. 2.) Quin longe plures, quam nobis quidem innotuerunt, lectiones variantes invaserant aevi istius codices. Colligitur hoc ex eo, quod a) in multis patrum allegationibus, quae fideliter e codicibus istius temporis transscriptae esse videntur, occurrunt lectiones, in nullo codice hodie superstites; b) quod saepe lectiones quasdam in multis, immo in plerisque codicibus extare disertis verbis testantur, quae vel in nullo vel in unico tantum codice hodie apparent; uti etiam e contrario lectiones interdum laudant, tanquam in paucis tantum codicibus occurrentes, quae universam librorum Mstorum nunc superstitum turbam invaserunt; unde codicum, quibus illi usi sunt, a nostris incredibilem fere differentiam perspicimus; c) quod multae in codicibus omnium vetustissimis, praesertim occidentalibus, atque in versionibus antiquis extant lectiones, quae ortae esse non possunt nisi ex aliis lectionibus, nu-

piam hodie obviis; d) quod genuina locorum quorundam lectio, in nullo codice iam superest, sed e pluribus libris inter se collatis elici debet, velut Rom. 6, 12. ubi verba a latinis quibusdam omissa *αὐτῃ ἐν ταις ἐπιϑυμιαις αὐτου* procul dubio delenda sunt, licet nullus codex graecus penitus ea omittat. Ab aliis libris abest quidem *αὐτῃ ἐν*, ab aliis vero *ἐν ταις ἐπιϑυμιαις αὐτου*, sed utrumque expungendum est. Praeter luculenta haec indicia militant etiam pro sententia nostra scriptorum veterum diserta testimonia. Sunt vero haec duplicis potissimum generis. Primum enim auctores ecclesiastici v. c. Origenes, aliique aetate huic vel aequales vel suppares, proferunt nonnunquam uniuseiusdemque loci lectiones duas aut tres, easque in codicibus repertas a se esse discrte narrant. Sic ad Matth. 8, 28. Origenes commemorat lectiones tres, *γεϱασηνων*, (quae lectio, Origènis aevo, plerorumque erat codicum, hodie vero in unico tantum deprehenditur) *γαδαϱηνων*, et *γεϱγεσηνων*; ad Hebr. 2, 9. duas, *χαϱιτι* et *χωϱις*, quarum posterior non nisi in laceris unius codicis fragmentis iam legitur; et sic alibi saepe. Deinde clarissimis verbis de ingenti codicum inter se discrepantia loquuntur auctores antiquissimi, v. c. ORIGENES *ad Matth.* 19, 19. *δηλον ὁτι πολλη γεγονεν ἡ των ἀντιγϱαφων διαφοϱα, εἰτε ἀπο ϱαϑυμιας τινων γϱαφεων, εἰτε ἀπο τολμης τινων μοχϑηϱας της διοϱϑωσεως των γϱαφομενων, εἰτε και ἀπο των τα ἑαυτοις δοκουντα ἐν τῃ διοϱϑωσει πϱοστιϑεντων ἠ ἀφαιϱουντων.* Mitto

alia aliorum testimonia cum hoc consententia, et hoc solum addo, tantam et adeo notam atque apud omnes pervulgatam fuisse hanc codicum inter se dissonantiam, ut hanc excusationem suae coniecturas proferendi libidini publice atque audacter praetendere possent atque solerent, qui coniectando textum refingere vellent.

§. 3. Antiquissima illa lectionis varietas magna ex parte ortum suum debebat delicatulorum quorundam hominum sedulitati, qui locos difficiles, obscuros, ambiguos, apparenter inter se pugnantes, a graecae linguae puritate et elegantia abhorrentes, emendare, et locutiones duriores aut graecis insolentes cum aliis facilioribus, planioribus et purioribus commutare ausi sunt. Testantur hoc, praeter Origenem l. c. permulta patrum antiquiorum loca, in quibus notantur homines, suis sacri textus interpolationibus διορθωσεως causam interponentes, et την της φρασεως του αποστολου συνταξιν (ut Eusebii de Tatiano verbis H. E. 4, 29. utar) emendare ac emaculare conantes. Conf. WETSTENII *libellos criticos* edit. halens. pag. 49. seqq. Fidem habendam esse hisce testimoniis, nec haereticos solos, sed orthodoxos etiam talem tentasse διορθωσιν, res ipsa loquitur. Quo enim codex quisque vetustior est, eo pluribus abundat lectionibus duris, difficilibus atque obscuris; quo contra est recentior, eo pauciores exhibet huius generis lectiones. Hinc quoque factum est, ut in locis admodum difficilibus e. gr. quinque aut sex lectiones diversae sensim

excogitarentur ab iis, qui διοϱθωϱεῖ sua textui succurrere vellent. Recte etiam WETSTENIUS l. c. p. 27. „lectiones, inquit, variantes tantum non „omnes studio et ingenio et coniecturis librariorum „(et criticorum atque interpretum) debentur; quae „enim ex negligentia et incuria (ex oculorum aut „aurium errore) sunt ortae, vix centesimam earum „partem constituunt." Illustrari hoc potest luculento veteris translationis latinae exemplo, quae, soloecismis et barbarismis innumeris primitus scatens, variis multorum studiis postea magis et magis expolita fuit. Nec est, cur latinos solos sibi tantum indulsisse, graecos autem religiosius codices suos tractasse existimemus. Scimus enim priscos latinos plerosque suis codicibus latinis tantum tribuisse, ut graecos libros oppido spernerent, et suas lectiones contra graecorum omnium auctoritatem praefracte et mordicus defenderent, immo graecorum exemplaria depravata esse clamitarent. Locupletem pervicaciae huius testem producere possum Hieronymum, quem diris conviciis proscindere atque impietatis adeo accusare non dubitarunt latini, quod, adversus auctoritatem veterum codicum latinorum, vetustam illam translationem, sub romani pontificis auspiciis, ad graecorum exemplarium fidem emendasset. Ipsemet quidem deprehendi, codices nonnullos, veterem latinam tranlationem exhibentes, recensitos et passim correctos esse ad libros graecos alios et iuniores, quam erant illi, e quibus primum versio haec facta fuerat. Brixianus certe co-

dex apud BLANCHINIUM ad librum graecum iuniorem refictus est. Sed *plerique* librarii ac patres latini pertinaciter inhaerebant vetusti interpretis vestigiis, nec graecos codices conferre, aut suos ex his emendare curabant. Quin consensus codicum quorundam latinorum cum graecis, in locis nonnullis, ubi caeteri latini a graeco textu discedunt, aliunde commode explicari potest, nec opus est, ut ad novam codicum horum cum textu graeco collationem statim confugiamus. Potuerunt enim lectiones hae, graeco textui consonae, in codices latinos irrepere, vel e scriptis auctorum graecorum e. gr. Origenis, in sermonem latinum translatis, vel e vulgata Hieronymi versione, vel ex aliarum translationum latinarum inter se commixtione. Videntur enim inde a secundo et tertio seculo plures extitisse translationes latinae, a diversis auctoribus e diversis codicibus graecis confectae. Harum unam in codicibus Blanchinianis, veronensi, vercellensi etc. regnare quidem arbitror, sed ex aliis, qua partem maximam deperditis, saepissime interpolatam esse existimo. Pleraque igitur discrepantias, in vetustis illis codicibus latinis obvias, in ipsis his codicibus ortas et latinorum hominum sedulitati tribuendas esse statuo; id quod ipsa etiam discrepantiarum harum natura atque indoles testatur. Quod si ita est, possumus omnino antiquissimam codicum graecorum interpolationem luculentissime e librariorum latinorum in perpolienda versione latina sedulitate illustrare; quod adminiculum eo maioris facien-

dum est, quia ex antiquissimo illo tempore plures supersunt latini codices, quam graeci. Evolve itaque, si obscuram hanc partem historiae textus graeci penitus pernoscere cupis, BLANCHINII et SABATIERII volumina, aut saltim S. Rev. SEMLERI appendicem ad WETSTENII *prolegomena*, et quod in latina translatione factum esse invenies, id graeco etiam textui similiter accidisse scito; nisi quod latina versio, utpote multo magis quam graecus textus barbara atque obscura, saepius ab interpolatoribus tentata et longe pluribus in locis limata fuit. Exempla quaedam addere iuvabit, verum nec multa nec admodum selecta, sed quae ultro se mihi offerunt, versionem illam evolventi; neque enim exquisitissimis hic nobis opus est. Igitur Matth. 1, 20. alii habent *quod in ea natum est;* al. *quod in ea natum fuerit;* al. *quod in ea nascetur;* al. *quod ex ea nascetur.* Matth. 3, 17. *in quo bene sensi*, al. *in quo bene placui*, s. *complacui;* al. *in quo bene mihi complacuit.* Luc. 15, 1. *erant appliciti illi;* al. *erant appropiantes;* al. *erant appropinquantes;* al. *erant accedentes ad eum.* Comm. 13. *et ibi substantiam finivit;* al. *subst. consumsit;* al. *subst. disparsit;* al. *subst. dissipavit.* Luc. 17, 33. *animam suam vivificare;* al. *animam liberare;* al. *salvam facere.* Luc. 8, 16. *Nemo lucernam accendit et ponit sub modio;* al. *nemo lucernam accensam ponit sub modium aut sub lectum;* al. *nemo lucernam accensam operiet illam vase* (al. *vasso*) *aut subtus lectum ponit;* al. *nemo lucernam accendens operit eam vase aut subtus lectum ponit.* Luc. 17, 24. *Sicut fulgur coruscans, sic erit*

filius hominis; (al. *filius hominis in die sua;* al. *ita erit et adventus filii hominis;*) al. *sicut fulgur coruscans de sub coelo, ita;* al. *sicut fulgur, coruscans in his quae sub coelo sunt, fulget, ita;* al. *sicut fulgur, fulgurans de coelo, lucet in his* (al. *lucet his*) *quae sub coelo sunt, ita;* al. *sicut fulgur, coruscans de sub coelo in ea quae sub coelo sunt, fulget, ita.* Luc. 14, 28. *Quis ex vestrum* (al. *quis ex vobis;* al. *quis enim ex vobis*) *volens turrem aedificare, non prius* (al. *nonne prius*) *sedens computavit impendia,* (al. *computat sumtus qui necessarii sunt,*) *si habet ad consummandum?* (al. *si habeat quae opus sunt ad consummandam eam;* al. *si habet quae opus sunt ad perficiendum*) *ne posito fundamento non valuerit consummare* (al. *ne posteaquam posuerit fundamentum et non potuerit consummare,* al. *explicare,* al. *perficere*) *omnes qui vident* (al. *videbant,* al. *viderint*) *dicent* etc. al. *incipiant irridere illum s. illudere ei, dicentes* etc. Accipe etiam additionum quaedam exempla. Luc. 8, 5. *Exiit qui seminat seminare;* al. *exiit qui seminat seminare agrum suum;* al. *exiit qui sem. seminare semen suum;* al. *exiit seminator seminare semen suum.* Comm. 12. *qui audiunt;* al. *qui audiunt verbum;* al. *qui audiunt verbum Dei.*

§. 4. Alia causa interpolati saepissime textus graeci posita fuit in glossis atque scholiis, codicum marginibus illitis, quae postea in ipsam contextam orationem immigrarunt. Scholiis instructa iam fuisse isto, de quo agimus, tempore exemplaria librorum Novi Testamenti, non est quod dubitemus. Hexaplorum certe marginem scholiis Origenianis fuisse

onustum, docuerunt MONTEFALCONIUS *in praelimin. in Hexapla Origenis*, cap. I. §. 7. et S. Rev. ERNESTI in Dissert. *de Origene, interpretationis librorum S. S. grammaticae auctore*, §. 23. et 24. quam in *Opusculis suis philologicis criticis* recudi curavit Vir celeberrimus. Manifestum eius rei indicium habemus in subscriptione codicis Marechalliani apud MONTEFALCONIUM l. c. §. 5. Quod igitur in Veteri Test. factum est, id in Novo Test. omissum non fuisse, perquam est credibile. Vestigia talium scholiorum, in ipsis Origenianis codicibus a me deprehensa, indicavi in mea de hisce codicibus Commentatione, §. 7. Confirmatur suspicio nostra per ea, quae Sect. II. §. 9. med. attulimus. Ac, si codices antiquissimos intento animo perlustramus, in quibus frequentes occurrunt lectiones, quae vix aliunde quam e margine in textum venisse videntur; ipsam quoque veterum scholiorum rationem ac indolem facili negotio perspicere possumus. Alia nimirum erant critica, alia exegetica. In *criticis* proponebantur tum coniecturae nonnullae, tum lectiones variae, ex aliis codicibus excerptae. A *coniecturis* non abhorruisse priscos illos christianorum doctores, tam e luculento Origenis exemplo, quam ex aliorum patrum locis, a WETSTENIO *in libellis criticis* p. 28. seqq. prolatis, patet. Quidni itaque emendationes eiusmodi coniecturales in latere codicis sui, scholiis instructi, indicasse putamus possessorem, cui haec coniectura probabilis videbatur? Equidem crediderim discipulos Origenis diligenter

in codicum suorum oris notasse coniecturas, a praeceptore suo in medium prolatas. Atque occurrunt etiam in libris Mstis omnium antiquissimis, alexandrino, claromontano et aliis, lectiones haud paucae, quae mere esse videntur criticorum coniecturae. Has a librariis istis (qui saepe numero ne intelligebant quidem ea, quae scriberent) excogitatas esse, vero neutiquam est simile. Sed si extabant in ora codicis, quem describebat librarius, facillime in textum ipsum transponebantur. Deinde, extitisse quoque in exemplarium quorundam margine *lectiones variantes* ex aliis codicibus decerptas, colligitur non solum e locis illis, ubi duae lectiones in ipso orationis contextu inepte coniunctae leguntur, quarum alterutra tantum scribi debuerat; verum clarissime idem etiam constat e textu codicis cantabrigiensis Math. 26, 60. quem locum egregie illustravit Ven. SEMLERUS in *der hermeneutischen Vorbereitung, Stück* 3. *pag.* 108. seqq. Nempe in margine codicis cuiusdam, e quo postea descriptus fuit cantabrigiensis, notata erat lectio duplex, quam in codicibus diversis repererat scholii huius marginalis auctor. Altera sic habebat: *ὥπως αὐτον θανατωσωσι· και οὐχ εὗρον. ὕστερον δε* etc. omissis scilicet post *εὗρον* verbis: *και πολλων ψευδομαρτυρων προσελθοντων.* Altera lectio erat haec: *θανατωσωσι· και πολλοι προσηλθον ψευδομαρτυρες, και οὐχ εὗρον. ὕστερον δε* etc. Hoc in margine deperditi illius codicis ita expressum fuisse videtur a scholiaste: *θανατωσωσι, και οὐχ εὗρον. το ἑξης -- και πολ-*

λοι προσηλθον ψευδομαρτυρες, και ουχ ευρον. το εξης. Illud: το εξης, aequipollet nostro *etc.* sive *seqq.* sive *rel.* atque indicat, post verbum ευρον in codicibus illis, a scholiaste collatis, sequi porro υστερον δε, eodem modo, quo haec verba legantur in hoc ipso codice, cuius margini scholion hoc illinebatur. Hoc igitur scholion a librario, qui codicem cantabrigiensem exaravit, ex ora in contextum ipsum illatum est, ne excepto quidem duplici illo το εξης. Ita enim codex cantabrigiensis: θανατωσωσι και ουχ ευρον το εξης και πολλοι προσηλθον ψευδομαρτυρες, και ουχ ευρον το εξης. υστερον δε etc. Haud puto fore quemquam, qui scholion criticum in textum h. l. insertum esse negare audeat. Quam vero mature factum id sit, antiquissimus docet codex vercellensis. Hic enim cum legat: *non invenerunt exitum rei*; satis clare demonstrat, diu ante scriptum hunc codicem in graecorum nonnullorum exemplarium textum scholion hoc intrusum iam fuisse *).

---

*) Versio latina codici cantabrigiensi adiecta, habet: *et non invenerunt sequentia* (id est: *seqq.*) *et multi accesserunt falsi testes, et non invenerunt rei sequentia.* Equidem coniicio, pro *rei* legendum esse *reum.* Alii enim codices latini legunt: *et non invenerunt culpam, s. non invenerunt quidquam in eo.* Alii vero latini, qui obscuri illius *sequentia* sensum non assequebantur, mutarunt illud, pro more suo §. 3. in *exitum,* quod clarius ipsis videbatur. Habent enim nonnulli: *et non invenerunt exitum.* Alii denique, qui viderant codices, mendosum illud *rei sequentia* exhiben-

§. 5. Quod ad *exegetica* attinet scholia, quibus codicum margines referti olim erant, ingens eorum copia in plerorumque codicum textu reperitur. Morem autem hunc, difficilioribus locis brevissimam adiungendi in latere codicis explicationem, primis iam seculis obtinuisse autumo. Eo nimirum tempore non laicis tantum, sed ipsis etiam clericis, maxime necessarium fuisse videtur hoc ad intelligendam scripturam subsidium, quo non solum pauca aut nulla existerent in libros sacros commentaria, verum etiam docendi muneri non raro praeponerentur νεοφυτοι, qui apostolorum usum loquendi nondum callerent, neque proprio Marte sacras litteras interpretari possent. Qui enim inde ab unguiculis libros sacros versaverant, vel publice praelegi audiverant, eorumque argumentum praecipuum ac dogmata christiana satis familiaria sibi reddiderant, hi facilius adminiculo hoc carere poterant. Solebant autem secundo iam seculo scripturae interpretationem aliis praeire presbyteri, qui e traditione apostolica sensum oraculorum apostolicorum optime intelligere putabantur. Pertinet huc locus Irenaei, *libr.* 4. cap. 26. „Eis qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt; reliquos vero qui absistunt a principali

---

tes posuerunt pro *exitum*, ne exemplaribus suis aliquid deesset, *exitum rei*, sic: *et non invenerunt exitum rei.*

successione, suspectos habere. — Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem. — Hi enim — *scripturas sine periculo* (erroris aut haereseos) *nobis exponunt.*" Et cap. 32. „Omnis sermo (Vet. et Novi Test.) ei constabit, si *scripturas diligenter legerit apud eos, qui in ecclesia sunt presbyteri*, apud quos est apostolica doctrina." Haec igitur expositio presbyterorum, quam maximi facere iubebantur christiani, multa scholia marginalia secundo et tertio seculo iam peperisse videtur. Quam vero proni fuerint librarii veteres ad transferenda in textum scholia, apparet ex HIERONYMI ea de re querela, in *Epist. ad Suniam et Fretelam*; ubi „miror, inquit, quomodo e latere annotationem nostram nescio quis temerarius scribendam in corpore putaverit, quam nos pro eruditione legentis scripsimus. — Si quid pio studio ex latere additum est, non debet poni in corpore." Praeterea ex eadem epistola videre est, quam brevi temporis spatio a scribis interpolarentur librorum, qui ante paucos demum annos in publicam lucem editi fuerant, exemplaria.

§. 6. Antiquitus multa codicibus Novi Test. inerant scribendi compendia, non solum notissima illa, in omnibus libris Mstis nunc superstitibus sexcenties recurrentia, v. c. $\overline{\vartheta\varsigma}$. pro ϑεος, $\overline{\iota\varsigma}$ pro ἰησους, $\overline{\alpha\nu o\varsigma}$ pro ἀνϑρωπος; sed alia etiam, minus obvia et explicatu difficiliora, e quibus iam inde a secundo et tertio seculo multae enatae sunt textus sacri depravationes. Numeros quidem saepe lit-

terarum notis olim expressos fuisse ex IRENAEI L. 5. cap. 30. et aliis scriptorum vetustissimorum locis bene commonstravit WETSTENIUS *in prolegom.* mox ab initio. Verum aliorum quoque minus tritorum scribendi compendiorum usum antiquissimum prodit TERTULLIANUS, qui *de pudicitia* cap. 20. locum Hebr. 6, 5. ita affert, ut pro δυναμεις τε μελλοντος αιωνος excitet: *occidente iam aevo.* Viderunt iam alii viri docti, ortam esse latinam hanc lectionem e graeco scribendi compendio perperam intellecto.*) Inciderat nempe Tertullianus, aut si mavis auctor translationis latinae, qua utebatur Tertullianus, in codicem, ubi scriptum erat: ΔΥΝΑΙCΤΕΜΕΛΛΟΝΤΟC, quod temere interpretabatur δυναι ετι μελλοντος *occidente iam.* Visum etiam est viris doctis nonnullis, falsam lectionem loci Io. I, 13. quam TERTULLIANUS *de carne Christi* cap. 19 non solum affert, verum etiam pertinacissime contra genuinam nostram defendit, similiter ex compendio quodam scribendi ortam esse. Codices quidem graeci omnes habent: *οἱ οὐκ ἐξ αἱματων· ἀλλ' ἐκ Θεου ἐγεννηθησαν.* Recte omnino; loquitur enim Ioannes de τοις πιστευουσι εἰς το ὀνομα αὐτου. Ter-

---

*) MILLII *prolegomena* §. 626. WETSTENII *prolegom.* edit. hal. in appendice p. 587. TERTULLIANI *opera* edit. hal. vol. 5 pag. 253. ubi simillimus librarii error ex HARDUINI *collect. Concil.* vol. 5. p. 1187. profertur, mutata scilicet formula ὑπερ δυναμιν (quam latinus interpres recte vertit: *supra vires*) in ὑπερ δυσιν.

tullianus autem falsam esse hanc lectionem contendit, eamque excogitatam esse vult a Valentinianis, haereticis pessimis, qui pluralem numerum ideo loco singularis ausu temerario posuerint, ut haberent, unde errori suo de arcano semine hominum spiritualium et electorum fidem facerent. Contra vero legendum esse praecipit Tertullianus: *qui non ex sanguine sed ex Deo natus est*; *) intelligenda enim esse haec verba de Iesu Christo Domino nostro, qui prae aliis hominibus omnibus hac gavisus sit praerogativa, ut non ex sanguine, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nasceretur. Haud diffiteor, potuisse Tertullianum bona fide errare atque decipi compendio scribendi: QUI·NATIST (nati sunt) quod confundi facile poterat cum: QUI·NATEST. (natus est.) Attamen monstri aliquid hic subesse mihi omnino videtur. Quae res, cum ad illustrandam antiquissimam textus sacri historiam conducat, atque planum faciat, quam religiose, scilicet, sanctissimi illi patres codices sacros tractaverint, enucleatius hic exponenda est.

§. 7. Igitur Tertullianum mala fide egisse, aut si honestiori vocabulo scelus velare fas est, pia fraude usum esse, ac contra codicis sui fidem et auctoritatem commentitiae huius lectionis patroci-

*) Editiones fere omnes, etiam halensis novissima, h. l. corruptae sunt. Universus orationis contextus abunde docet, lectionem *natus est* defendi a Tertulliano; alteram vero *nati sunt* Valentinianorum corruptioni tribui.

nium in se suscepisse, aio atque confirmo. Nempe hausit eam unice ex Irenaeo, huiusque hominis auctoritatem omnibus latinis et graecis codicibus longe anteposuit, quoniam Irenaeano hoc lectionis figmento haereticos, in quos capitale conceperat odium, non refutare solum, verum etiam invidiam eis, velut sacrarum litterarum adulteratoribus, conflare se posse sperabat. Nec est cur dubitemus, Tertullianum oblitterasse lectionem genuinam in suo codice, eiusque in locum substituisse alteram illam, quam unice veram esse audacter pronunciaverat. E Tertullianaeo codice propagata postea est in alia exemplaria nonnulla, velut in veronensem librum, indeque etiam Ambrosio, Augustino, et aliis scriptoribus latinis innotuit. Sed age proferamus in medium accusationis nostrae causas atque rationes. Irenaeus carmine isto Ioanneo: *ex Deo natus est*, ter usus est, atque de Salvatore nostro optimo id usurpavit; Libr. 3. cap. 16. §. 2. cap. 19. §. 2. et cap. 21. §. 5. Tota orationis series docet, non Irenaei latinum interpretem, sed Irenaeum ipsum lectionis huius auctorem esse. Neque tamen crediderim, in codice Evangeliorum graeco, quo usus est Irenaeus, lectum fuisse: ὃς οὐκ ἐξ αἱματων· ἀλλ' ἐκ Θεου ἐγεννηθη. Nam a) in nullo codice graeco, nec in ullo patre graeco, lectionis huius vestigium apparet. Quod enim codex cantabrigiensis graecus et vercellensis latinus omittunt *οἱ* in commatis initio, id ad caussam nostram non pertinere arbitror; sed excidit illud *οἱ* propter duplex ου, antecedens et

consequens: ΑΥΤΟΥΟΙΟΥΚΕΣ. Si vero in graeco Irenaei codice evangelico extitisset ὅς ἐγεννήθη, quod profecto e sola librarii incuria non facile potuit cum οἱ ἐγεννήθησαν commutari; adscribenda esset haec lectio piae fraudi h. e. nefariae temeritati catholici cuiusdam, qui haereticis opinatum hoc dogmatis sui praesidium eripere voluisset. Ego vero Irenaei codicem cum caeteris omnibus consensisse libris graecis statuere malim. Nam b) nunquam Irenaeus locum Ioannis diserte atque plene excitat, sed alludit tantum ad dictum apostoli, cuius verbis in suam rem, et ut *sui animi cogitata* exprimat, utitur. Sciens atque volens, ea, quae de filiis Dei generatim dicta erant, ad Christum transfert. Quod ut clarius patescat, ipsa Irenaei verba adiiciam. Cap. 16. „Potuerat dicere Matthaeus: *Iesu* vero generatio sic erat, sed praevidens spiritus S. depravatores — per Matthaeum ait: *Christi* autem generatio sic erat *); et: quoniam hic est Emmanuel; ne forte tantum eum hominem putaremus (non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed *ex voluntate Dei Verbum caro factum est*,) neque alium quidem Iesum, alterum autem Christum suspicaremur fuisse, sed unum et eundem sciremus esse.“ C. 19. „Generationem eius quis enarrabit? — Cognoscit autem illum is, cui Pater,

---

*) Nempe Matth. 1, 18. Irenaeus non legebat: του δε ἰησου χριστου, sed simpliciter: του δε χριστου, uti Itala, Vulgata, et patres nonnulli tam graeci quam latini.

spiritus (al, filius) non de vulva carnem participaturus descendit in vulvam, cur descendit in vulvam?" Simillime Irenaeus cap. 22. §. 2. „Supervacua est in Mariam descensio eius. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere (ἔμελλε ληψεσθαι) ab ea?"

7) Praecedit apud Tertullianum cap. 17. comparatio inter Mariam virginem et Evam, ut et inter terram virginem, e qua primus Adam factus fuit, et Mariam virginem, e qua natus est secundus Adam. Utraque haec comparatio habetur etiam apud Irenaeum, eodem illo capite 19, quo locus Ioannis tertio allatus est, et capite proxime sequenti 20. — Ego quidem in tanto Tertulliani cum Irenaeo consensu dubitare non possum, quin illud: *qui ex Deo natus est*, aeque ex Irenaeo desumtum sit, quam reliqua, quae notavimus, omnia. Viderint iam Lectores, quid sentire deceat virum prudentem verique amantem de istis hominibus, qui lectiones comminiscuntur ipsi, genuinas autem impiis haereticorum fraudibus audacter attribuunt. Neque hoc unico tantum in loco excitandis iudicandisque lectionibus Tertullianus sequi videtur Irenaeum. Duo proferam loca, quae in eadem orationis serie, in qua Ioanneum illud dictum legitur, apud Irenaeum habentur. Capite 16. saepe laudato §. 8. Irenaeus locum 1 Io. 4, 3. sic excitat: *Omnis spiritus, qui solvit Iesum, non est ex Deo.* Tertullianus *contr. Psychicos* cap. I. „Recusantur Montanus et Priscilla et Maximilla, non quod alium Deum praedicent, nec quod *Iesum Christum solvant*, sed etc. Ex Ire-

saco hoc omnino desumtum videtur, qui, nescio quo inusitatiori scribendi compendio (Sect. 2. §. 15. nr. 1. d. coll. §. 9. nr. 1.) deceptus, legit: ὁ λυει. Tertullianum enim in latino suo codice habuisse crediderim: *qui negat*, quomodò legunt Cyprianus, Ambrosius, Ambrosiaster, alii. Hinc *contr. Marc.* Libr. 5. cap. 16. utramque lectionem, eam, quam in suo codice deprehendebat, atque illam, quam apud Irenaeum legerat, coniungit; *negantes Christum in carne venisse, et solventes Iesum.* E Tertulliano haec lectio deinceps ad caeteros pervenit latinos. Alter, de quo diximus, locus occurrit apud Irenaeum libro eodem, cap. 13. ubi dictum paulinum Gal. 2, 5. absque negatione adducitur: *ad horam cessimus subiectioni*; quam lectionem (non omnino spernendam) magno conatu Tertullianus *contr. Marc.* libr. 5. cap. 3. defendit. Profert quidem (dubium, utrum e Marcionis codice, anne potius e suo exemplari) locum, addita negatione: *nec ad horam cessimus*; sed mox addit: „intendamus et sensui ipsi, et causae eius, et apparebit *vitiatio scripturae.*" Cum vero neque ad graecos neque ad latinos alios codices provocet, sed anxie *interna* conquirat argumenta, quibus particulam *nec* eliminandam esse vincat; probabile est, in ipso Tertulliani codice aliisque africanis libris extitisse hoc *nec*. Alibi sane, ubi Marcionem textum corrupisse narrat, corruptelam simpliciter indicat, nec argumentis eam impugnat. Sed sedula haec refutatio innuere omnino videtur, alios fuisse, praeter Marcionis codicem, libros, qui

negationem haberent. Quoniam vero apud Irenaeum τὸ *nec* omissum viderat, atque haec lectio Marcioni magis obstabat quam altera, quae negationem retinebat: Irenaei auctoritatem codicibus praeferendam esse duxit. Nisi vero praeivisset ipsi Irenaeus, vix tam audacter, contra libros Mstos, impugnasset negantem illam particulam. Huius vero viri auctoritas instar omnium ipsi erat codicum.

§. 8. Ex istis Tertulliani cum Marcione et Valentino velitationibus luculenter patet, catholicos hoc seculo aeque ac sequentibus temporibus nimio plus indulsisse suis de corrupto per haereticos sacrorum librorum textu suspicionibus. Lectio illa Io. 1, 13. quam Valentini fraudibus attribuit Tertullianus, prorsus genuina est. Altera vero Gal. 2, 5. quam Marcioni haud obscure adscribit, in omnibus editionibus nostris hodie habetur, et, nisi sincera sit, certe tamen codicum et versionum omnium, si claromontanum librum et translationem Italam excipias, auctoritate defenditur. Quid enim? omnes illi librarii et translatores avide arripuerunt haereticam lectionem? Sed aeque absurdae paene sunt pleraeque accusationes Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum aliorumque, quibus librorum sacrorum corruptio a catholicis crimini olim dabatur. Nam ipsae illae lectiones, quas ab haereticis confictas esse tradunt catholici, reperiuntur fere semper in scriptis patrum orthodoxorum, qui dudum ante exortas illas haereses vixerunt. Ut primum vero patres illi ecclesiastici quoddam scriptu-

rae dictum paullo aliter ab haeretico homine excitari audiebant, quam ipsi in suis codicibus scriptum id esse invenirent, statim ab haereticis locum corruptum esse clamitabant. Equidem plerosque haereticos eatenus tantum in hoc negotio peccasse arbitror, ut e pluribus lectionibus eam cupide caeteris praeferrent, quae hypothesi suae prae aliis quodammodo favere, saltim minus ei obstare, videretur. Sed idem partium studium multis etiam catholicis doctoribus iure meritoque obiici potest, quippe qui, absque praevio examine et posthabitis criticae artis praeceptis, eas lectiones e pluribus deligere, atque studiose defendere solebant, quas ad retundendos haereticorum errores omnium aptissimas esse opinabantur. Sed utrorumque peccata nonnihil excusationis habere mihi idcirco videntur, quia catholici plerique aeque ac haeretici criticae artis rudes erant. Hinc controversias criticas fere nunquam ita ut fas erat, hoc est, secundum critices regulas, dirimunt, sed suborta de genuina lectione loci cuiusdam dubitatione aut contentione, statim vel inter dogmaticarum ratiuncularum praesidia se recipiunt, vel secure atque confidenter provocant ad codicem suum, tametsi indolem eius atque pretium nunquam curiosius indagarint. Ex hac rerum criticarum imperitia (quae semper fere coniuncta est cum nimia librorum, quibus adsuevimus, confidentia) exortae sunt mutuae illae suspiciones non inter catholicos solum et haereticos, verum etiam inter latinos atque graecos. Scimus enim

antiquitus moris fuisse latinis, ut graecos corruptorum librorum sacrorum insimularent, quamvis graeci lectionem sequerentur vel meliorem atque genuinam, vel saltim talem, cuius ortus facillime ex vulgaribus discrepantium lectionum fontibus derivari posset. Quae cum ita sint magna adhibenda est cautio (Sectio I. §. 14.), ne decipiamur imperitorum hominum vociferationibus, qui uno libro unice confidentes, ad vituperandos alios eosque fraudis et impietatis accusandos nunquam non proni sunt atque proclives. Mihi vero ne Marcion quidem, quem haereticorum omnium petulantissimum sacri textus corruptorem fuisse ferunt, tam audax fuisse videtur, quam plerique, Tertulliani et Epiphanii declamationibus permoti, sibi persuadent. Quod enim ad evangelicum attinet codicem, nusquam me legere memini apud auctores idoneos, Evangelia Matthaei, Marci et Ioannis plane fuisse ab eo reiecta, quamvis Lucae Evangelio uti mallet. Cuius rei causa posita esse potuit in eo, quod hoc Evangelium prius forte innotuerit ipsi, quam caeterorum Evangelistarum commentarii. Si enim e quatuor illis libellis eum seligere voluisset, qui minus quam caeteri aperte opinionibus suis repugnaret, Ioannis Evangelium eum reliquis antepositurum fuisse crediderim. Utcunque est, constat certe inter omnes, Evangelium Marcionis immane quantum discrepasse a genuinis Lucae exemplaribus. Nam multa non solum addiderat Marcion e caeteris Evangeliis, sed haud pauca etiam resecuerat. Gravissime peccasse ho-

minem, ultro largior; sed, utrum codicis evangelici *corruptor* dici queat, id nondum extra omnem dubitationem mihi positum esse videtur. Nam centonem illum neutiquam *Lucae* evangelium esse aiebat, sed simpliciter *Evangelium* eum inscripserat. „Evangelio suo, inquit TERTULLIANUS *adv. Marc.* L. 4. c. 2. nullum adscribit auctorem, quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus evertere." Quo igitur iure Lucae Evangelium quaerimus in codice, cuius titulus nihil pollicetur aliud, quam narrationem quandam de rebus a Iesu Christo, dum inter homines viveret, gestis? Pleraque e Luca desumsit quidem; cur vero omnia omnino, nullo excepto commate, transscribere e Luca debuerit, qui non Lucae Evangelium, sed generatim Evangelium quoddam lectoribus sui codicis promittebat: id me non satis intelligere fateor. Nempe hoc Marcioni propositum fuisse videtur, ut ex Evangelistarum atque praesertim e Lucae commentariis concinnaret succinctam de munere, quo Christus publice functus erat, atque de ultimis fatis eius narrationem, ita adornatam, ut inserviret illorum hominum usibus, qui quantum possent longissime a Iudaismo universo discedere, eamque ob caussam, neglectis Vet. Test. libris, solis discipulorum Christi scriptis uti vellent, et haec e philosophiae suae legibus interpretarentur. Talibus itaque lectoribus cum Evangelium *suum* destinaret, collegit ex Evangelistarum scriptis ea, quae huic hominum generi grata esse

sciret, omissis, omnibus, quae lectoribus suis displicere potuissent. Igitur eodem fere modo, quo viri docti Simonem Magum e catalogo haereticorum expunxerunt, similiter Marcionem e corruptorum codicis evangelici numero eximendum esse puto. Solas itaque Pauli epistolas corrupit. Nam epistolam, quam Marcion in suo codice v. c. inscribebat: *ad Romanos*, eandem esse venditabat, quam Paulus olim Romanis transmiserit; eamque ob causam toties eam corrupisse merito censetur, quoties textum eius consulto mutavit. Attamen Marcionis crimen, quod ad epistolas etiam, admodum exaggerasse videntur scriptores catholici. Multas enim lectiones, quas Marcioni solent crimini dare veteres auctores, neutiquam excogitavit homo, aut dedita opera eas in textum invexit; sed enatae eae sunt e vulgaribus lectionum variantium causis. Quid? quod harum lectionum nonnullae in aliis etiam libris inveniuntur; aliae vero merae sunt minutiae, vix attentione nostra dignae. Ut summatim dicam, historia codicum Marcionis satis adhuc obscura est, et ulteriorem doctorum virorum indagationem aeque desiderat, ac universum dogmatum eius συστημα, quod ab adversariis eius saepissime perperam intellectum esse videtur.

§. 9. Ex eadem illa criticae artis imperitia, quam vanas illas de textu fraudulenter ab aliis depravato, suspiciones peperisse diximus, originem etiam traxit nimia in transscribendis codicibus librorum sacrorum licentia, cuius aliquoties in transcursu mentionem iam

iniecimus. Mirum quidem videri posset, eandem causam effectus produxisse toto genere inter se diversos, effrenem scilicet in mutandis apostolorum verbis et formulis libertatem, atque nimis anxium syllabas quasque contra haereticos defendendi studium. Sed saepe fit, ut mutatis paulisper rei περιστάσεσι, ex eadem caussa progignantur effectus plane contrarii. Quoties ab haereticis verba scripturae proferri audirent catholici paullo aliter, quam in suis libris extarent, suspiciosissimos se praebebant, tam in polemicis suis libellis, quam in exegeticis commentariis, in quibus quavis cupide arrepta occasione in locos communes et polemicos excursus delabi solent. Ubi vero nullas suspicabantur ab haereticis structas insidias, secure librum quemlibet non solum sequebantur, verum etiam in transscribendis codicibus litteras et syllabas omnes religiose conservare parum curabant. Testantur de hac antiquiorum librariorum (h. e. hominum quorumcunque, qui codicem quendam descripserunt) licentia, monumenta omnia quae e tertio, quarto et quinto seculo supersunt, incredibili lectionum inter se discrepantium numero referta. Etenim innumerae inter has occurrunt lectiones, quae neque ex oculorum neque ex aurium errore oriri potuerunt, neque e margine irrepserunt, neque e critici cuiusdam coniectura natae videntur, sed scribarum levitati unice debentur. Hi enim, cum severa criticorum praecepta ignorarent, et a summa, quae in rebus criticis observanda est, ἀκριβείᾳ alieni essent,

perinde esse putarunt, quamcunque vocem aut phrasin scriberent, dummodo sensus idem maneret atque integer. Si vero unquam in Criticorum sese tradidissent disciplinam, intellexissent procul dubio, non eos tantum cavendos esse in describendis libris errores, qui interpreti negotium facessere queant, sed summa cura evitandas esse omnes omnino a genuina scriptione aberrationes, quamvis ad sensum nullius omnino esse videantur momenti. Cernitur autem licentiosa illa levitas a) in mutato verborum ordine. Etenim in nullo fere Novi Test. versu eandem vocum seriem exhibent codices Msti, licet variantium lectionum collectores, excepto Wetstenio, hoc diversitatis genus reticuerint. Interdum quidem de consulto mutatus videtur verborum ordo, vel εὐφωνίας et numeri gratia, vel ut structurae ambiguitas quaedam tolleretur. At saepenumero tamen nulla prorsus apparet inversi ordinis causa, praeter librariorum levitatem, qui nihil referre existimabant, quocunque ordine verba coniungerentur. Quam ob rem nec de cavendis aut corrigendis huiusmodi aberrationibus solliciti erant, sed, perlecto integro textus commate, utcunque in apographum suum id transferebant. b) Eadem libertate usi sunt in varianda verborum constructione, tametsi nihil inde argumenti accederet orationis puritati, perspicuitati aut elegantiae. c) Neque minor fuit scribarum licentia in permutandis vocabulis synonymis. Saepe enim vocabulum, loco alterius cuiusdam in codicibus nonnullis vetustis positum, neque sen-

sum efficit alium, neque significantius est aut elegantius, neque legentis addientisve aut dictantis errori adscribi potest, sed librarii incuriae debetur, cui perinde erat, quodcunque e synonymis pluribus poneret, modo sensum retineret integrum. d) Eidem incuriae tribuenda quoque est particularum et pronominum sive omissio, sive additio, (sive permutatio. Mitto alia temeritatis documenta, utpote non e defectu ἀκϱιβείας criticae, sed ex aliis causis profecta; velut studiosas textus sacri emendationes atque διοϱθώσεις, (§. 3.) vel pericoparum sive sententiarum integrarum omissionem de industria factam, aut additionem; quod genus postremum tamen vix rarissime in epistolis paulinis invenitur, sed historicis libris fere peculiare est. Duravit haec, de qua loquimur, licentia inter graecos ad quintum usque seculum; apud latinos vero aliquanto diuturnior fuisse videtur. Cessavit autem, quando

1) controversiae, in dies auctae et a talibus adversariis motae, qui ad sacrarum litterarum effata crebro provocarent, catholicis doctoribus occasionem praebuerunt, ut verbis scriptorum sacrorum pressius inhaererent, diligentius ea interpretarentur, et undique dogmatum suorum praesidia conquirerent, adversariorum autem argumenta, ipsis scripturae verbis saepe superstructa, convellerent. Cum enim de vocabulis et phrasibus in sacro codice occurrentibus earumque potestate saepissime disputandum esset, et pauca restarent apostolorum oracula, quin in hac illave controversia in numerum dictorum,

ut aiunt, probantium essent relata; intellexerunt plerique, haud perinde esse, quaenam vocabula (licet significatione parum aut nihil differrent) in textu sacro legerentur. Ab hoc igitur tempore stabilior esse coepit textus ecclesiasticus.

2) Tam bella ista, iunctis viribus contra haereticos a catholicis gesta, quam aliae varii generis causae complures, effecerunt, ut arctiorem consociationem, inde a quarto seculo, inirent catholicae ecclesiae. Cum igitur non solum in Conciliis saepissime convenirent diversarum provinciarum atque dioecesium episcopi, verum etiam ad sedes patriarchales, Romam potissimum atque Constantinopolin, saepenumero legati mitterentur ab ecclesiis aliis, accidit, ut, delatis unius provinciae codicibus in alias, pristina illa recensionum, pro dioecesium discrimine, diversitas sensim tolleretur, recensiones miscerentur; et textus magis redderetur uniformis. Alexandrini v. c. multas lectiones constantinopolitanas in libros suos receperunt, atque vicissim constantinopolitani haud paucas admiserunt in codices suos lectiones alexandrinas; quo factum est, ut utriusque ecclesiae codices multo minus quam antea inter se discreparent. Ad hanc codicum consonantiam non nihil etiam contulisse videtur plerarumque ecclesiarum graecarum catholicarum imitandi Constantinopolitanum coetum studium. Ut enim omnia, quae e metropoli in provincias deportantur, maxime placere solent provincialibus hominibus, ita etiam Constantinopolitani codices, atque libri

ex his transscripti, aliis praeferebantur et communis fere norma erant, ad quam librarii codices a se scribendos, eos praesertim, qui publicis ecclesiae cuiusdam usibus destinati erant, conformarent. Negari certe non potest, codices iuniores plerosque multo magis consentire cum textu eo, quem in patribus et scriptoribus constantinopolitanis antiquioribus deprehendimus, quam cum alexandrina aut occidentali aut alia quacunque recensione vetustiori. Hic igitur constantinopolitanus textus unanimi fere consensu a graecis ecclesiis receptus fuit, velut communis et ecclesiasticus catholicorum textus. Quam vero avide a multis expetitus hic fuerit, videre licet in antiquissimis codicibus haud paucis, v. c. regio parisino rescripto, claromontano, aliisque, in quibus saepissime primitiva scriptura (quae vetustas, alexandrinas aut occidentales, exhibebat lectiones) oblitterata, alia inducta est, consentiens cum iunioris illius s. constantinopolitanae recensionis lectionibus, quamvis utriusque lectionis idem paene esset sensus. Ex quo igitur status hic textus in auctoritate esse, ac tantum non pro sacrosancto haberi coepit, librarii religioni sibi duxerunt, quidquam in eo mutare, multoque, quam antea, curatius eum transscripserunt atque propagarunt. Editionum typis excusarum exemplo haud inepte res illustrari potest. Seculo XVI. diversae editiones diversas exhibebant recensiones. Aliam repraesentabat complutensis editio cum suis sequacibus, aliam Erasmica prima cum suis filiabus, aliam

Colinaeana etc. Ex his omnibus eam quisque adhibebat, quam vel optimam esse censebat, vel eo in loco, ubi degebat, usitatissimam esse videbat, vel casu nactus erat. Atque haud scio, annon editiones diversae *pro locorum et regionum diversitate* receptae fuerint; plane sicut olim, seculo III. IV. V. aliis in provinciis aliae usitatae erant recensiones. Utcunque est, nulla editio sola et ubique regnabat, nec mirabatur quisquam lectiones aliarum editionum discrepantes ab eius editionis, cui adsuetus erat ipse, lectionibus. Hoc itaque tempore multi viri docti, qui novas evulgabant editiones, magna in refingendo textu libertate usi sunt, neque ex antiquioribus editionibus unam elegerunt, quam accurate recudi curarent, sed textum recensuerunt ipsi, et ne a coniecturalibus quidem emendationibus prorsus abstinuerunt. Postquam vero seculo XVII. editio Elseviriana variis de causis (licet levissimis) ab omnibus fere esset recepta, non solum antiquiores illae editiones sepositae fuerunt, et vix in bibliothecis eruditorum atque criticorum asylum invenerunt, quod ab interitu tutas eas praestaret; (uti seculo VIII. IX. seqq. ii codices, qui Sec. III. IV. scripti fuerant, abiiciebantur, nec nisi rarissime, in usum paucorum hominum privatorum, describebantur;) verum plerique etiam, quipost Elsevirium curandis novis editionibus praefuerunt, exemplar Elsevirianum unice sequendum et religiosissime exprimendum esse putarunt, nec litterulam ullam mutare ausi sunt.

3) Quo plures conscribebantur commentarii, in quibus singula paene verba librorum sacrorum studiose explicabantur, eo facilius librarii intelligebant, haud perinde esse, quibusnam vocabulis et loquendi formulis sensus apostoli utcunque exprimatur, sed ipsa etiam verba accurate esse retinenda. Cum praeterea posterioribus commentatoribus solenne esset, anteriorum scrinia compilare, et interpretationes ab his prolatas repetere; accidit, ut plerorumque locorum interpretatio stata quasi esset atque definita. Stata vero interpretatio stabilem atque certum occupat textum.

4) Ex quo tempore libri sacri describebantur potissimum a monachis et virginibus sacris, exspiravit prisca illa in transscribendis codicibus licentia. Hoc enim superstitiosum hominum genus omnibus in rebus, praesertim in sacris, ἀκρίβειαν affectare solet et λεπτολογεῖν amat. Permulti etiam vix intelligebant, quae scriberent, et pinxisse libros dicendi potius sunt, quam scripsisse. Hinc ad errores, ex inscitia oriundos, proni quidem erant; sed levitas illa, quae novas fingit lectiones, verbis tantum, non sensu, ab antiqua differentes, crimini ipsis dari vix potest.

§. 10. Constitutum mihi quidem erat, potiora, quae de fatis antiquiorum recensionum generatim notanda sunt, hoc loco persequi; sed cum temporis iam premar angustia, paucissimis res expedienda, uberior autem declaratio in aliud tempus differenda est. I. Seculo tertio ineunte diversae

iam extabant recensiones, non Evangeliorum tantum, sed Epistolarum etiam. Nam codices, quibus usi sunt Clemens alex. Origenes, aliique post hos Alexandrini et Palaestinenses, qua totum textus habitum universamque eius conformationem, differebant a codicibus, e quibus facta est vetus translatio latina. Quamvis enim horum discrepantia ab illis minor aliquanto esset, quam ab hodiernis codicibus impressis; tamen quoniam a) discrepantia non spectabat ad quorundam tantum locorum lectiones, sed ad textum universum; b) utrumque codicum genus per plura secula propagatum est; c) pro diversitate provinciarum seu dioecesium vel hoc vel illud genus usitatum erat: aliam recensionem his, aliam illis inesse decernimus. Ab utraque distincta erat constantinopolitana, sive ea, qua usus est Chrysostomus; propinquior quidem alexandrinae quam occidentali, sed magis tamen interpolata quam illa. Ad eandem hanc constantinopolitanam seu Chrysostomianam recensionem pertinere etiam videtur textus Theodoreti; attamen ex alia huius recensionis manavit editione, eaque valde interpolata e codicibus, ut suspicor, Tatiani. II. Patet igitur, unamquamque fere provinciam maiorem habuisse recensionem sive editionem sibi peculiarem. III. Varie commixtae sunt istae recensiones inde a tertio et quarto seculo, maxime tamen post seculum quintum. IV. Recensionis occidentalis codices rarius describebantur, eorumque lectiones (duriores plerumque) parcius in caeteras recensiones illatae sunt.

V. Textus epistolarum hodiernus mixtus est e recensionibus omnibus.) Basis eius est recensio constantinopolitana, eiusdemque editio illa, qua usus est Theodoretus. Paullo propius tamen abest ab alexandrina, quam ab occidentali recensione. VI. Praeter illas, quas omnes recensiones passae sunt, ex aliis recensionibus interpolationes, quaelibet recensio deformata sensim fuit alio naevorum genere, in hac ipsa recensione enato; nimirum a) glossematibus et interpretamentis, b) variis librariorum sphalmatibus. VII. Nullus hodie superest codex Mstus, qui recensionem quandam vetustam exhibeat puram, hoc est ita, uti primitus comparata erat; sed omnes *utroque* illo naevorum genere scatent. Occidentalis tamen recensionis codices minus quam alii e caeteris recensionibus interpolati sunt, sed altero potissimum vitiorum genere laborant.

Speciminis I. finis.

IX.

Brevi commentatione in Ephes. cap. I. comm. XIX. seq. praemissa dies pentecostes pie sancteque celebrandos indicit academia Jenensis MDCCLXXVIII.

Divus Paulus, cui in universa epistolae ad Ephesios parte priore θεωρητικῃ id potissimum propositum erat, ut lectoribus ingentem summorum beneficiorum cumulum ob oculos poneret, quorum genuini Iesu Christi discipuli, sive gentiles antea fuerint sive Iudaei, per fidem in Salvatorem optimum participes facti sint; idem hoc agit CAP. I. Comm. 16. seqq. ubi Deum precatur, ut mentis eorum oculos illustrare velit, quo intelligere valeant plenius, tum quam egregia sperare liceat his, qui doctrinam salutarem, Deo ita iubente ipsis annuntiatam, sincera fide amplexi sint, et quam luculenta ac locuples sit haereditas illa, in cuius partem Deus Ephesios, una cum caeteris filiis suis, vocaverit; tum etiam Comm. 19. 20. τι το ὑπερβαλ-

λον μεγεθος της δυναμεως αὐτου εἰς ἡμας τους πιστευοντας κατα την ἐνεργειαν του κρατους της ἰσχυος αὐτου, ἡν ἐνηργησεν ἐν τῳ Χριστῳ, ἐγειρας αὐτον ἐκ νεκρων, και ἐκαθισεν ἐν δεξιᾳ αὐτου ἐν τοις ἐπουρανιοις. De cuius oraculi vero sensu ut rectius, CARISSIMI CIVES, ipsi iudicare possitis, aditum ad accuratiorem eius intelligentiam praeviis quibusdam monitis patefaciemus.

Dudum observarunt viri docti, epistolas ad Ephesios et ad Colossenses, eodem tempore scriptas, tantam habere inter se similitudinem, sive sententias sive verba et loquendi formulas spectes, ut difficiliores alterutrius epistolae loci haud felicius quam ex altera illustrari possint. Sed si vel minus certo de perpetuo fere utriusque epistolae parallelismo nobis constaret, neminem tamen dubitaturum esse existimamus, loco supra allato simillimum esse hunc, qui legitur in epistola ad Colossenses Cap. 2. comm. 12. 13. ἐν ᾧ (βαπτισματι) και συνηγερθητε (συν τῳ Χριστῳ) δια της πιστεως της ἐνεργειας του θεου, του ἐγειραντος αὐτον ἐκ νεκρων. In utroque effato et *fides* commemoratur et *omnipotentia Dei, qua Christus e morte suscitatus fuit.* Prima igitur lex, cui in interpretando loco, quem explanandum nobis sumsimus, adstringere nos debemus, haec est, ne verbis Pauli, ad Ephesios scribentis, sententiam subesse statuamus, quam verba simillima, in epistola ad Colossenses occurrentia, respuant.

Deinde quemadmodum in epistola ad Colossen-

ses post verba modo laudata mox comm. 13. sequitur: *και ὑμᾶς, νεκρους ὀντας ἐν τοις παραπτωμασι — συνεζωοποιησε (ὁ Θεος) συν αὐτῳ (τῳ Χριστῳ) χαρισαμενος ἡμιν παντα τα παραπτωματα*: ita etiam in epistola ad Ephesios, postquam Christi, divina omnipotentia e sepulcro suscitati et in coelum evecti, mentio facta esset, paucis interiectis, quae ad summam Salvatoris nostri in coelo iam cum Patre regnantis maiestatem declarandam spectant, pergit apostolus Cap. 2. comm. 1. et 5. 6: *και ὀντας ἡμας νεκρους τοις παραπτωμασι, συνεζωοποιησε τῳ Χριστῳ — και συνηγειρε, και συνεκαθισε ἐν τοις ἐπουρανιοις ἐν τῳ Χριστῳ.* Arctissimo vinculo et indivulso nexu cohaerere haec cum verbis, de quorum sensu disputamus, tum ipsa docet totius orationis conformatio, tum parallelismus extra omnem ponit dubitationis aleam. Atque hinc efficitur, nullam verborum illorum interpretationem veram esse posse, quae cum his, quae in textu sequuntur, rite e parallelismo intellectis, apte componi nequeat. Quamobrem ante omnia disquirendum est, quaenam ea vita sit, quam Deus Christianis, in peccatis suis antea mortuis, una cum Christo redivivo, largitus esse dicitur. Mittimus iam Patrum sententias, quorum permulti opinati sunt, nullam hominibus exspectandam fuisse post mortem vitam aliam, nisi Christus sua morte hanc nobis gratiam promeruisset, atque, cum revivisceret ipse, portas inferni quasi perrupisset, hocque modo effecisset, ut nobis quoque post mortem reditus in

vitam iam pateat. Nec omnes recentiorum interpretationes recensere lubet. Ex his tamen plerique fere νεκρους ταις ἁμαρτιαις, sive vt Paulus ad Colossenses scripsit, ἐν ταις ἁμαρτιαις, accipiunt de hominibus spiritualiter, ut loqui amant, mortuis, hoc est de iis, qui peccatis dediti ita viribus carent spiritualibus, ut Deo obedire eiusque leges servare haud possint. In vitam vero hos revocari putant per regenerationem, qua fiat, ut Spiritum Dei et Christi accipiant Rom. 8, 9. et Deo iam vivere possint, Gal. 2, 19. 20. Hoc autem ζωοποιηθηναι dici *cum Christo*, quoniam, quemadmodum Christus e morte suscitatus est per virtutem Patris, ita regeniti quoque novo modo et multo aliter ac antea vitam instituunt, Rom. 6, 4. Haud diffitemur, loquendi usum non repugnare magnopere huic interpretationi vocabuli νεκρος, quod de spiritualiter mortuis usurpatum aliquoties in sacris litteris deprehenditur, v. c. Matth. 8, 22. Rom. 6, 2. 13. Eph. 5, 14. Verum phrasis integra, νεκρος ταις ἁμαρτιαις, hoc sensu nusquam occurrit, sed de iis potius dicitur, qui peccatis nuntium remiserunt, e. gr. Rom. 6, 11. Hunc vero sensum, nonnullis nostro etiam in loco probatum, respuit phrasis synonyma νεκρος ΈΝ ἁμαρτιαις in loco parallelo Col. 2, 13. Quare nec audiendus esset, si quis hoc ipso loco, nostri ut diximus simillimo, abuti vellet ad confirmandam eam interpretationem, quae mortuos de his accipit, qui peccandi consuetudinem deponunt. Paulus quidem in baptismo eos cum Christo resurgere

docet, quos in eodem baptismate cum ipso sepultos esse dixerat; hoc est, ut ex antecedentibus patet, eos qui το σωμα της σαρκος atque vitia exuerunt; sed nihil nos cogit, ut invito loquendi usu, νεκρους ἐν ἁμαρτιαις nuncupari statuamus homines eandem ob rem, propter quam Apostolus cum sepultis eos comparaverat. Quae de sepultura traduntur, non spectant ad consequentia, in quibus de νεκροις ἐν ἁμαρτιαις agitur, sed ad antecedentia potius. Circumcisionis mentionem iniecerat Apostolus, atque iudaica circumcisione longe praestantiorem esse affirmaverat christianam, qua non minuta quaedam corporis cuticula, sed totum velut carnis sive pravitatis corpus in baptismate resecetur. Quoniam autem solemne est Apostolo, baptismum comparare cum sepultura Christi, superioribus subnectit: *atque sic cum Christo quasi sepulti estis.* Tum vero ad enumeranda alia beneficia, quorum Christiani in baptismo participes redduntur, progreditur et talibus utitur loquendi formulis, quas sepulturae commemoratio in mentem ipsi revocaverat. Neque sepulti tantum estis, inquit, cum Christo, sed *resurrexistis etiam cum eo* resurgente; — *nam*, (sic vertendum h. l. est και) *cum mortui* (h. e. morti atque poenis addicti) *essetis propter* (ἐν) *peccata vestra et propter carnalem animorum vestrorum conditionem*, quae velut ἀκροβυστια quaedam, antequam in circumcisione christiana vs. 11. abscinderetur, profanos atque detestabiles vos reddebat; tales igitur cum essetis, *Deus*, *Salvatorem vestrum in vitam revocans*, *vos quoque vita et immunitate*

donavit, et capitale supplicium promeritis *delictorum omnium gratiam fecit.* Manifestum est, Paulum ipsum diserte explicare, quid h. l. significet ζωοποιειν; nempe χαρισασθαι τα παραπτωματα, dare peccatorum veniam. Quodsi vero per ζωοποιησιν describitur supplicii peccatis promeriti remissio, oppido certum est, mortem illam, a qua homines νεκροι εν τοις παραπτωμασι dicuntur, nihil esse aliud, quam obligationem ad poenam, qua tenentur peccatores, quippe qui sunt τεκνα οργης, qua formula commodum Apostolus utitur vs. 3. ad declarandam vocabuli νεκρος significationem. Atque tantum abest, ut huic interpretationi usus loquendi repugnet, ut ei potius luculenter suffragetur. Νεκρος enim non solum dicitur, qui mortem (quocunque vocabuli significatu) vera re obiit, sed is etiam, qui morti est obnoxius, v. c. Rom. 8, 10. ut αποκτειvειν quoque interdum significat morti obnoxium reddere, velut Rom. 7, 11. Mortem vero in sacris litteris saepe pro quibuscunque peccatorum poenis generatim poni, omnibus notum est. Nec quisquam facile dubitaverit, εν recte a nobis redditum esse *propter.* Certe 2 Sam. 3, 27. απεθανε εν τῳ αιματι ἀσαηλ omnes vertunt: interfectus est *propter* caedem Asaelis commissam, et Ezech. 18, 18. αποθανειται εν ταις αδικιαις, morietur *propter* delicta, id quod cap. 3, 18. omisso εν (ut Eph. 2, 1. 5.) scribitur τῃ αδικιᾳ αυτου αποθανειται coll. comm. seq.

Quae de sensu loci Col. 2, 11. 13. strictim disseruimus, nullo negotio in locum alterum Eph. 2, 5.

accommodari possunt, eoque magis de hoc etiam valere debent, quod Apostolus Ephesios, cum Christo in vitam revocatos, etiam *in coelo collocatos esse* affirmat *in Christo.* Hic dicant nobis aperte, quaesumus, qui ζωοποιησιν spiritualiter de regeneratione et interna mentis emendatione, ac νεκρους de spiritualiter mortuis explicari cupiunt, quid sit spiritualis illa evectio in coelum, quae ad novam mentis vere christianae indolem spectet? Nam si mors et ζωοποιησις spirituali modo accipienda sunt, το συγκαθιζειν ἐν τοις ἐπουρανιοις similiter accipiatur, necesse est. Hoc igitur cum fieri non possit, nisi ad interpretationes valde contortas delabi velimus, nec illud admittendum est. Qui vero ζωοποιησιν e loco parallelo nobiscum de venia peccatorum interpretantur, per Christi mortem eiusdemque reditum in vitam parta, Rom. 4, 25. facile verborum συνηγειρε και συνεκαθισε sensum declarare possunt. Nimirum resurrectio Christi tam certum est futurae nostrae resurrectionis pignus, ut de ea aeque securi esse queamus, ac si una cum Christo, qui est ἡ ἀπαρχη των κεκοιμημενων, iam resurrexissemus, 1 Cor. 15, 20. 21. 22. 2 Cor. 4, 13. 14. atque evectio eius in coelum plane non sinit nos dubitare, quin eo, quo ipse προδρομος ὑπερ ἡμων praeivit, Hebr. 6, 20. ut mansionem nobis pararet, Io. 14, 2. 3. nos quoque venturi et cum ipso regnaturi h. e. aeternum beatissime victuri simus Matth. 19, 28. Io. 17, 24. Rom. 8, 17. 2 Tim. 2, 12.

His praemissis, iam ad oraculi, initio huius

commentationis transscripti, explanationem adgredimur. Intellectus eius pendet partim ex vi et potestate vocabuli κατα, partim ex modo, quo verba κατα την ἐνεργειαν του κρατους της ἰσχυος αὐτου cum reliqua oratione connectuntur. Sunt, qui verba haec cum antecedentibus το ὑπερβαλλον μεγεθος της δυναμεως αὐτου iungant, unde, si notio, quae subest vocabulo πιστευοντας, non nimis premafur, et κατα reddatur *secundum*, sensus existit hic: quam immensa sit ea, quam Deus Christianorum causa impendit, potentia, id quod patet a cuius magnitudo aestimari potest (κατα, ut in phrasi: secundum Evangelium meum, Rom. 2, 16. et alibi) ex stupendo huius omnipotentiae effectu in resuscitatione Christi. Alii similiter κατα την ἐνεργειαν referunt ad μεγεθος της δυναμεως, sed κατα vertunt *pro*, atque adeo sententiam, quam verbis inesse putant, paulo aliter informant. Sed utrique huic interpretationi officiunt loci paralleli verba: πιστις της ἐνεργειας, e quibus discimus, την ἐνεργειαν της δυναμεως cogitando coniungendam esse cum πιστευοντας. Hoc secum reputantes interpretes haud pauci, πιστευοντας κατα την ἐνεργειαν του κρατους της ἰσχυος του Θεου propterea dici putarunt credentes, quod fides divinae omnipotentiae effectus est supernaturalis. Ultro fatemur, talem sententiam eiusmodi verbis describi potuisse. Nam simili fere modo cap. 7. Paulus apostoli munus delatum sibi esse dicit κατα την δωρεαν της χαριτος του Θεου, την δοθεισαν (sive της δοθεισης)

αὐτῳ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ἘΝΕΡΓΕΙΑΝ της δυναμεως του θεου, et 1 Cor. 12, 8. aliis λογον σοφιας dari docet ΔΙΑ του πνευματος, aliis vero λογον γνωσεως ΚΑΤΑ το αὐτο πνευμα, coll. comm. 11. Verum plura sunt, quae impedire videntur, quo minus huic loci nostri explicationi calculum nostrum adiicere possimus. Nisi enim in interpretando loco parallelo intempestive dogmaticorum decretis obtemperare malimus quam loquendi usui, την πιστιν της ἐνεργειας neutiquam de fide, quae effecta sit per ἐνεργειαν Dei, sed de ea, cuius obiectum atque fundamentum sit immensa Patris nostri coelestis potentia, explicabimus. *) Quid? quod ipsae etiam dogmaticae rationes illi interpretationi repugnare videntur. Nam ἐνεργεια divina, qua fides accenditur in animis hominum, non est ἐνεργεια *eius* potentiae, *qua* Deus e morte Christum suscitavit. Mortui enim suscitationem actum esse potentiae *absolutae*, fatentur omnes; contra vero fidem ingenerari per actum potentiae *ordinatae*, ii soli negare possunt, qui simul hominem divinae gratiae resistere posse negant.

---

*) In sacris Novi Testamenti libris, vocabulum secundo casu voci πιστις iunctum *semper* indicat πιστεως obiectum. Sic πιστις θεου Marc. 11, 22. πιστις Ἰησου Χριστου Rom. 3, 22. Gal. 2, 16. cap. 3, 22. Ephes. 3, 12. Phil. 3, 9. Iac. 2, 1. Apoc. 14, 12. πιστις του εὐαγγελιου Phil. 1, 27. πιστις του ὀνοματος Act. 3, 16. πιστις του σωθηναι Act. 14, 9. Unicum excipimus locum 2 Thess. 2, 13. ubi πιστις ἀληθειας significat πιστιν ἀληθινην.

Neque facile cum interpretatione hac conciliari possunt, quae de vera ζωοποιησεως notione supra disputavimus. Quae cum ita sint, mirum videbitur nemini, recentiores plerosque abiecta hac interpretatione de invenienda alia sollicitos fuisse. Consentiunt fere inter se, κατα denotare similitudinem aliquam, atque comparationi h. l. inservire, veluti Gal. 4. 28. et 1 Petr. 1, 15. quo posito, oraculi Paulini sensum hunc esse tradunt: Deum in fidelibus exseruisse seu exserturum esse potentiae suae vim, simillimam ei, qua Christum e sepulcro eduxit eumque in coelo ad dextram suam collocavit. Si porro ex iis quaeras, quanam in re vis illa divina in credentibus sese exserat? uno quidem ore respondere solent in ζωοποιησει credentium vim illam divinam spectandam se praebere; verum in finienda vivificationis, ut loquuntur, notione, in diversas discedunt sententias. Sunt enim 1) nonnulli magni nominis interpretes, qui Paulum hic docuisse existiment, in suscitandis olim credentibus vim Deum exserturum esse similem ei, qua Christus e sepulcro evocatus est. Sed, ut taceamus, ad excitationem piorum haud maiorem requiri omnipotentiae vim, quam ad impiorum resuscitationem *), conciliari haec interpretatio vix potest cum iis, quae de

*) Hanc obiectionem evitabis, si talem innui dicas reditum ex inferis, qui coelestis gloriae adferat consecutionem, ut Paulus cap. 2, 5. τῳ συνεζωοποιησε addit το συνεκαθισε ἐν τοις ἐπουρανιοις.

vivificationis indole ex loco parallelo supra evicimus. Hanc enim peccatorum venia contineri vidimus. Itaque alii 2) similitudinem cum resurrectione Domini in eo quaerunt, quod regeneratio et conversio peccatoris, qua vita spiritualis ipsi datur, tam ardua res sit, ut ad eam perficiendam haud minore omnipotentiae efficientia opus sit, quam fuit ea, qua Christus in vitam revocabatur. Verum supra iam ostendimus, neque mortem neque novae vitae largitionem accipi h. l. morali sensu posse. Nec repetere lubet, quae de differentia inter potentiam absolutam atque ordinatam modo notabamus *). Superest 3) eorum sententia, quibus de significatione της ζωοποιησεως nobiscum convenit. Hi igitur similitudinem, quam per κατα indicari arbitrantur, ita declarant, ut ad peccatorum veniam nobis procurandam et impertiendam aeque infinita potentiae

---

*) Caeterum scite Chrysostomus in hunc locum: του ἀναστησαι νεκρον πολλῳ θαυμασιωτερον το πεισαι ψυχας. Εἰπεν ὁ Χριστὸς τῳ τεθνεωτι, λαζαρε δευρο ἐξω, και εὐθεως ὑπηκουσεν. — Ἐρει αὐτος ἐν τῃ τελευταιᾳ ἡμερᾳ, καὶ παντες ἀναστησονται, και μετα τοσουτου ταχους, ὡς τους ἐτι ζωντας μη φθασαι τους κοιμηθεντας — Ἐπι δε του πιστευσαι, οὐχ οὑτως. — ἀλλα πως; Ἀκουε αὐτου παλιν λεγοντος· ποσακις ἠθελησα ἐπισυναγαγειν τα τεκνα ὑμων, και οὐκ ἠθελησατε. Ὁρας, ὁτι τουτο δυσκολωτερον; — πολλῳ γαρ ἐστι λογισμοις ἀνθρωπινοις δυσκολωτερον προαιρεσιν πεισαι, του φυσιν ἐργασασθαι. Το δε αἰτιον, ἐπειδη αὐτὸς οὑτω βουλεται ἑκοντας ἡμας γενεσθαι ἀγαθους. Οὑτως εἰκοτως εἰπε το ὑπερβαλλον μεγεθος της δυναμεως αὐτου εἰς ἡμας κ. τ. λ.

divinae energia opus fuisse statuant, atque ad suscitandum a morte Christum. Hanc caeteris praestantiorem esse interpretationem, adeo nobis est persuasum, ut simpliciter veram eam esse pronuntiaturi essemus, nisi parallelismus verborum πιστις της ἐνεϱγειας ei (aeque ac caeteris duabus modo laudatis) obstare videretur. Hic enim suadet, ut verba κατα την ἐνεϱγειαν arcte cohaerere credamus cum proxime praecedente πιστευοντας: quo admisso, omnes corruunt interpretationes, quae την ἐνεϱγειαν, ἡν ἐνηϱγησεν ὁ ϑεος ἐν τῳ Χϱιστῳ ope vocabuli κατα conferri aut aequari volunt cum δυναμει ϑεου εἰς τους πιστευοντας.

Si igitur, re ex omni parte diligentissime considerata, ea loci nostri interpretatio pro vera habenda est, quae primum naturalem et per parallelismum confirmatam consecutionem verborum πιστευοντες κατα την ἐνεϱγειαν, ἡν ἐνηϱγησε ἐν τῳ Χϱιστῳ nullo modo dissolvit; quae secundo obiectum atque fundamentum της πιστεως της ἐνεϱγειας (Col. 2) hanc ipsam ἐνεϱγειαν esse sumit; quae tertio vivificationem Christianorum, quae ipsis tum contigit, cum Christus in vitam revocaretur, cap. 2, 5.) de peccatorum remissione accipit; quae denique quarto loquendi usui non adversatur: haec nostro iure nobis videbitur caeteris praeferenda, quam nunc paucis proferemus. Optat igitur Apostolus, ut Ephesii magis et magis intelligant, quam liberaliter et efficaciter Deus infinitam potentiae suae vim

impenderit, ut saluti eorum consuleretur, qui Christum Iesum sincera amplectuntur fide, tali nimirum, quae Salvatorem, ob peccata nostra mortuum, divina omnipotentia resuscitatum et in divini in res creatas omnes imperii consortium assumtum esse firmiter credit, atque his divinae omnipotentiae documentis, tanquam inconcusso fundamento, tota innititur. Exseruit autem Deus potentiam suam εἰς ἡμας sive nostra causa nostroque commodo tum in aliarum rerum permultarum, quae ad salutis nostrae reparationem eiusque annuntiationem pertinebat, dispositione, tum vero in primis etiam in resuscitatione Christi, quae indissolubili vinculo cum salute nostra coniuncta est. Huic enim non solum superstructa est firma nostra persuasio, Iesum vere esse Salvatorem illum, humano generi a Deo clementissime concessum, sed eidem etiam debemus ζωοποιησιν nostram. *Quemadmodum enim Dominus mortuus est* δια τα παραπτωματα ἡμων, ut peccatorum veniam nobis impetraret, *ita resurrexit etiam* δια την δικαιωσιν ἡμων, Rom. 4, 25. ut de venia impetrata certi essemus. Quum enim Deus culpae nostrae expiatorem e morte excitavit, a poenis immunes nos esse ipsa re declaravit. Quin suscitatus fuit Christus, ut in coelos ascenderet atque ipsum aeterni Patris solium occuparet, quo nobis, ipso iam cum Patre imperii clavum tenente, optime prospectum fuit. Rom. 8, 34. Hebr. 8, 1. 9, 24. 10, 12. seqq. Atque hinc intelligitur etiam, perquam apte Christianos dici credere κατα την ἐνεϱ-

γειαν, propter *) hanc ipsam omnipotentis Dei virtutem infinitam, quae in suscitando Christo se exseruit. Uti enim resurrectio Salvatoris nostri palmarium est fidei nostrae obiectum, ita etiam firmissimum eius fundamentum est. Quamobrem Paulus ipse aperte fatetur 1 Cor. 15, 14. 17. *si Christus non resurrexerit, oppido vana est fides uestra, et uos adhuc in peccatis vestris estis*, h. e. peccatorum veniam neutiquam impetravistis, sed νεκροι potius adhuc estis ἐν ταις ἁμαρτιαις: quae verba mirifice illustrant ea, quae de credentium ζωοποιησει συν τῳ Χριστῳ ζωοποιηθεντι scripsimus. Praeterea in sacris litteris, praesertim apud divum Paulum, saepe saepius repetitum legimus, fidem Christianorum esse fidem *in eum, qui Christum e mortuis suscitauit*, v. c. Rom. 4. 24. cap. 10, 9. 10. 1 Thess. 4. 14. 1 Petr. 1, 21. atque *huic* fidei iisdem in locis clare tribuitur etiam hoc, quod iustificemur, sive, quod idem est, vivificemur, cum Christo in vitam revocato; quemadmodum Abrahamum quoque Paulus iustificatum esse tradit propterea, quod credidit *in eum, qui mortuos in vitam reduxit*, vid. Rom. 4, 17. coll. 22. Ex quibus omnibus patet, analogiae scripturae et doctrinae Paulinae apprime consentaneam esse nostram oraculi, satis iam pro instituti ratione declarati, interpretationem.

*) Perinde est, sive κατα vertas *propter*, ut Matth. 19, 13. sive *ex*, quorum fides pendet *ex* operatione omnipotentiae divinae, quam in resurrectione Christi cernimus, ut Act. 3, 17. Luc. 1, 18.

Vestrum nunc est, CIVES CARISSIMI, ingentem summorum beneficiorum numerum, quae Salvatori nostro Optimo Maximo et eius resurrectioni et in coelum ascensioni accepta ferimus, serio atque pie meditari. Neque sane beneficiorum illorum minima pars putanda est Spiritus Sancti super Apostolos effusio. Ipse enim Dominus noster teste Ioanne cap. 16. 7. docuit, hanc ipsam ob causam utilissimum discipulis suis fore suum ad Patrem reditum; neque enim, nisi rediret ipse in coelum, Spiritum hunc esse venturum; sed post abitum suum ad Patrem certissime se eum esse ipsis missurum. Atque si vel nullum aliud exstaret infinitae, quam Deus nostro commodo exseruit potentiae documentum, quam hoc, quod Apostoli Pentecostes die experti sunt; tamen hoc solum immensae illius potentiae ambitum abunde monstraret, atque simul divini favoris magnitudinem declararet erga eos, qui credunt in eum, qui Christum e sepulcro eduxit, atque in coelis ad dextram suam collocavit. Quam vero multorum magnorumque bonorum fons sit haec Spiritus Sancti in Apostolorum mentes immissio, Vos CIVES OPTIMI, haud ignoratis. Sed ut id penitius intelligatis, diligentiusque Vobiscum reputetis, omni studio per festos hosce dies elaborabunt verbi divini praecones, ad quorum sermones audiendos ut frequentes confluatis, ipsisque auditores Vos praebeatis non attentos solum, verum, ut par est profecto, gratos etiam, serio hortamur.

P. P. ipso die Pentecostes MDCCLXXVIII.

X.

Brevi commentatione de potentiore ecclesiae romanae principalitate ad locum Irenaei libr. III. cap. III. praemissa dies pentecostes pie sancteque celebrandos indicit academia Jenensis.

MDCCLXXIX.

Quemadmodum non sine Numinis provida cura contigerat, ut Iesus Christus Salvator Optimus mortem pro universo genere humano cruentam subiret ipso Paschatis iudaici festo; ita sapientissime quoque a Deo provisum fuit, ut Apostoli promissis Spiritus Sancti donis exornarentur eo tempore, quo propter Pentecostes solemnitatem Hierosolyma hospitibus, undique huc commigrantibus, oppleta esset. Incredibilis enim Iudaeorum, iam tum per universum fere terrarum orbem dispersorum, multitudo, ad hanc urbem, quam Agrippa in epi-

stola ad Caium Imperatorem *) μητροπολιν ου μιας χωρας Ἰουδαιας, ἀλλα και των πλειστων suo iure nominat **), festis hisce temporibus confluere solebat. Cuius rei testem locupletissimum habemus PHILONEM, qui libro II. *de Monarchia*, mox ab initio, μυριοι, inquit, ἀπο μυριων ὁσων πολεων, οἱ μεν δια γης, οἱ δε δια θαλαττης, ἐξ ἀνατολης και δυσεως και ἀρκτου και μεσημβριας καθ' ΕΚΑΣΤΗΝ ΕΟΡΤΗΝ εἰς το ἱερον καταιρουσιν: id quod pluribus etiam Novi Testamenti locis confirmari potest. Sic v. c. Io. XII, 20. ἑλληνες commemorantur, qui Hierosolymam venerant, ἱνα προσκυνησωσι ἐν τῃ ἑορτῃ. Atque e ditissimis regionibus nonnullos religionis causa Hierosolymam adiisse, vel Eunuchi exemplo manifestum est, qui ex Aethiopia eo profectus erat προσκυνησων, Actor. VIII, 27. Stupendum multitudinis numerum, quae Paschatos cuiusdam tempore religiosos ibi conventus celebraverat, IOSEPHUS in suos *de bello Iudaico* commentarios retulit, libr. VI. cap. 9. §. 3. atque ex victimarum numero, homines fere 3000000 adfuisse, satis probabili usus

---

*) Apud PHILONEM Iudaeum, libro *de legatione ad Caium*.

**) Nempe δια τας ἀποικιας, ἁς ἐξεπεμψεν ἐπι καιρων. Enumerat autem Agrippa praeter Aegyptum, Phoenicen et Syriam utramque, Asiae minoris atque Graeciae provincias, cum insulis compluribus, hisque adiungit regiones trans Euphratem. Excepta, ait, parva parte Babylonis et aliarum praefecturarum, omnes urbes quae bonum agrum habent a Iudaeis incoluntur.

ratione, monstravit. Etsi vero praefracte negare nolumus, aliquanto minorem fuisse populi concursum in Pentecostes quam in Paschatos solemnitate; nam Pascha festorum omnium anniversariorum sanctissimum putabant Iudaei: magnam tamen Pentecostes quoque tempore Hierosolymis fuisse populi frequentiam non solum e PHILONIS loco supra laudato colligimus, ex quo Iudaeos *quovis* festo tempore ex omnibus mundi regionibus ad templum Hierosolymitanum confluxisse iam vidimus, et ex IOSEPHI *de bello Iudaico* libro II. cap. 3. ubi συνηϑης ϑρησκεια appellatur Iudaeorum ad agitandum Pentecostes festum concursus; sed Pauli etiam exemplo edocemur, qui omni festinatione, ut festos hosce dies Hierosolymis celebrare posset, ex Asia deproperabat, Act. XX, 16. et alios quoque Asianos Iudaeos ibidem offendebat, Cap. XXI, 27*).

Quapropter mirum videbitur nemini, ex tot nationibus, quarum nomina longo ordine recenset Lucas Actor. II, 9. 10. 11. praesentes adfuisse ali-

---

*) WETSTENIUS in notis ad Actor. II, 9. „Cum Pascha, inquit, primo vere celebraretur, non erat tempus itineri longinquo satis idoneum: opportunius erat festum Pentecostes, ad quod tum Iudaei tum omnium gentium religiosi homines ex toto terrarum orbe proficiscerentur." — Sed ad ingens discrimen, quod inter coeli temperationem hisce nostris in terris et in Oriente intercedit, animum non satis attendisse videtur WETSTENIUS. At valet tamen illa observatio de hominibus, qui e regionibus valde remotis et versus septentrionem sitis, Hierosolymam iter faciebant.

quos eo die, quo Spiritus Sanctus Apostolis illapsus est. Nam ex cunctis istis populis et Iudaeos et proselytos nonnullos festis temporibus Hierosolymam adiisse, omni dubio caret; atque ex incredibili advenarum numero, satis *multos* venisse ex unoquoque populo, suspicari omnino licet. Quae si ita sunt, non erat, cur anonymus ille fragmentorum auctor *) audacter pronunciaret, fabulosam imo absurdam esse Lucae, de tot alienigenarum, ex quindecim diversis provinciis oriundorum, ad Apostolorum sermones audiendos concursu, narrationem; credibile enim vix esse, in tribus vel quatuor illis concurrentium millibus, tres quatuorve fuisse peregrinos. Sed primo false occupavit auctor, paucos tantum alienigenas Hierosolymis adfuisse; deinde, quo absurdiorem redderet narrationem, per calumniam interpretatus est Lucam, ac si turbam illam ex solis fere peregrinis coivisse scripsisset, cum tamen ex eius verbis effici nihil queat, quam ex dictarum gentium quavis adfuisse unum alterumque hominem; praeterea callide commutavit numerum eorum, qui isto die sacris christianis initiati sunt, cum numero longe maiore hominum, ad locum illum, in quo Apostoli commorabantur, confluentium; porto perperam sumsit, omnes istos homines simul eodemque temporis momento advolasse, quos sensim diversisque diei horis ad Apostolos accessisse veri multo est similius; denique observandum est,

*) *Vom Zweck Iesu und seiner Iünger*, pag. 274. sq.

hora diei tertia, quae precibus erat consecrata, et qua Iudaei, advenae praesertim, in templi atrium solebant ascendere, mirabilem hunc eventum multis iam notum fuisse, Actor. II, 15. per quos, si unus et item alter eorum precum causa templum adiret, rumor de re tam inusitata per totam urbem citissime ita potuit disseminari, ut haud facile peregrinum quemquam latere posset. Quae omnia, paucis tantum velut in transcursu a nobis tacta, si quis consideratius perpendere velit, fatebitur profecto, nihil, quod fidem superet, inesse Lucae narrationi de hominibus ex tot nationibus oriundis, qui solemni huic Apostolorum quasi inaugurationi testes interfuerint.

Ex advenis his complures nomina sua Christo dedisse, atque in numero ter mille baptizatorum Act. II, 41. fuisse, eo nobis persuasum est certius, quo ex universa historia primorum Christianismi temporum patet luculentius, exteros Iudaeos Palaestinensibus ad amplectendam religionem Christi multo fuisse promtiores. Eosdem vero, in patriam reduces, melioris religionis, quam amare ipsi didicerant, notitia populares suos impertivisse, extra dubitationem positum esse videtur, et Apollonis Alexandrini exemplo confirmatur, qui licet perfectioris cognitionis rudimenta sub Ioannis Baptistae tantum magisterio posuisset, tamen hanc suam qualemcunque scientiam non in tacito sinu cohibuit, sed ζεων τῳ πνευματι et παρρησιασαμενος lubenter

cum aliis eam communicavit. Act. XVIII, 24. 25. 26. collato etiam cap. XIX, 1-7.

Atque hac ratione, divina sapientissime rem ita dirigente providentia, evenit, ut mox post Pentecosten fama de Evangelio Iesu Christi atque de novis generis humani doctoribus, plane insolitis animi dotibus a Deo instructis, ad plerosque fere populos perferretur, et Apostolis aliisque doctrinae coelestis praeconibus quaedam quasi via sterneretur ad colligendos posthac in universo terrarum orbe Salvatori Optimo coetus. Quin ecclesiarum nonnullarum natales ad haec ipsa tempora referre nulli dubitamus, quamvis in tanta historiae antiquissimae brevitate de singulis nihil certi adfirmare possimus.

In ipsius *Romanae ecclesiae* incunabulis quaerendis quo minus usque ad prima haec post Spiritus Sancti effusionem tempora retrogrediamur, nihil vetat; quin potius expressa Romanorum, qui Apostolos fidem in Christum annunciantes ipso Pentecostes die audiverint, mentio, Actor. II, 10. coniecturam hanc satis probabilem reddit. Atque in hac opinione iam fuit pseudonymus quidem, at satis tamen antiquus, auctor *Recognitionum Clementinarum.* Is enim libr. I. cap. 6 sqq. narrat, famam quandam sensim in imperio *Tiberii Caesaris*, initio ex orientis partibus sumto, *Romam* pervenisse, et mox universum replevisse orbem, adesse quendam in Iudaea, qui regnum Dei evangelizaret Iudaeis, quique virtutes multas et signa ac prodigia mira, iussione sola, efficeret, quo verbis suis fidem faceret, seque

Divinitatis plenum esse ostenderet; haec processu temporis crebris iam non rumoribus sed manifestis quodammodo *adventantium ex illis partibus* nunciis, firmata esse; denique coepisse *in urbe per loca conventus fieri*, et tractari, quisnam is esset qui apparuerit, et, quid nuncii a Deo hominibus detulisset; sub eodem anno virum ex orientis partibus, natione Hebraeum, nomine *Barnabam*, Romam venisse, qui se unum ex eius discipulis esse, missumque ad hoc, dixisset, ut haec volentibus indicaret; *populum* quidem libenter *annuisse*, philosophos vero risisse hominem; Barnabam autem, ob diem festum religionis suae, quem omnino in Iudaea celebrare vellet, reditum celerasse; Clementem autem paullo post in Iudaeam navigasse et a Barnaba ad *Petrum* deductum esse, et caet. Fabulis universam hanc narrationem commaculatam esse, quis est qui negare ausit? At traditioni tamen cuidam, non omni ex parte a vero abhorrenti, superstructa videtur. Antiquissimam sane esse ecclesiam romanam, et multis annis eo tempore vetustiorem, quo Paulus, qui tunc Romae nondum fuerat, epistolam suam ad Romanos scripsit, dubium videri potest nemini. Qui vero *prima* eius fundamenta a Petro iacta fuisse contendunt *), quomodo sententiam suam cum chrono-

---

*) E quibus nominasse sufficit FRANC. BLANCHINIUM *in notis ad Anastasii bibliothecarii vitas Pontificum Romanorum*, ab ipso editas Romae 1723. PETR. FRANC. FOGGINIUM *in exercitationibus historico criticis de Romano*

logicis rationibus conciliare possint, nondum, licet omnem moverent lapidem, rite ostendere potuerunt. Quare plures viri docti, romanis sacris ipsi addicti, ultro professi sunt, Petrum, Nerone demum imperante, Romam venisse *), quo tempore Christianos Romae iam extitisse, nemo dubitat. Sed utcunque se ista habent; neque enim de romano Petri itinere disputare iam vacat: certe antiquissimi scriptores uno fere ore ecclesiam hanc a Petro et Paulo fundatam esse tradunt; quod, modo recte intelligatur, admitti posse censemus. Prima doctrinae christianae somina Romae sparserunt, primis statim post Christi in coelos ascensum annis, homines ignoti, e Iudaea coelestis sapientiae surculos huc transferentes. Accessit deinde diligentissima Pauli cultura, qui et scriptis et coram summo studio id egit, ut ecclesia, ab aliis plantata, sed tenella adhuc, adolesceret, maioraque in dies incre-

---

divi Petri itinere et episcopatu, Florentiae 1741. et GREGOR. CORTESIUM, cuius libros II *de romano itinere gestisque principis Apostolorum recensuit, notis illustravit et annales SS. Petri et Pauli adiecit* VINCENT. ALEX. CONSTANTIUS Romae 1770.

*) E. gr. ANT. PAGI in *critica in annales Baronii*, ad annum 43. FRANC. PAGI in *breviario Pontificum Romanorum*, et STEPH. BALUZIUS in notis ad cap. 2. libri *de mortibus persecutorum*, cuius auctor per annos XXV usque ad principium Neroniani imperii, per omnes provincias et civitates Apostolos misisse ecclesiae fundamenta, Petrum vero, cum iam Nero imperaret, Romam advenisse tradit.

menta caperet. Paulo laborum postea socius ad tempus, sat fortassis breve, contigisse videtur Petrus. Quorum duumvirorum cura cum ecclesiam romanam constitutam demum ordinatamque esse sive scirent sive autumarent nonnulli, primum conditam eam ab iisdem esse, nimis praecipitanter sibi persuaserunt; id quod cupide arripuerunt superbientes Romani eorumque admiratores, qui ad augendam ecclesiae huius existimationem eo facilius hac opinione uti potuerunt, quod ecclesiae ab Apostolis fundatae caeteris omnibus longe excellentiores esse vulgo putabantur.

Celeberrimus est, sed vexatissimus etiam, ea de re Irenaei locus libr. III. cap. 3. quo *maximam et antiquissimam et omnibus cognitam, a gloriosissimis duobus Apostolis, Petro et Paulo, Romae fundatam et constitutam ecclesiam* praedicat, atque addit, *necesse esse, propter potentiorem eius principalitatem, ad eam convenire omnem ecclesiam.* Immodice Pontificii plerique gloriari solent de antiquissimo hoc episcopi Lugdunensis testimonio, e quo planissime constare existimant, agnitam fuisse iam sub finem seculi secundi ecclesiae romanae prae caeteris omnibus praecellentiam *). Contra vero, qui a romanae eccle-

*) Interpretantur scilicet *potentiorem principalitatem* de principe gradu in iurisdictione et auctoritate, seu de primatu romanae ecclesiae, quem a primatu Petri et successorum eius derivant. Massuetus Dissert. 9. III. in Irenaeum, artic. 4. §. 31. 32. „ideo, inquit, omnes ecclesias cum re-

siae communione seiuncti sunt viri docti, diversis modis telum hoc, quod satis acutum multis visum est, adversariis de manibus extorquere studuerunt, variasque loci interpretationes excogitarunt *), quibus enumerandis supersedere nos posse arbitramur, quia nulla omni exceptione maior nobis esse videtur. Quid vero, nostra quidem sententia, de loci illius sensu statuendum sit, paucis exponemus.

Ante omnia orationis series curate pervestiganda est, ut, quo consilio IRENAEUS haec scripserit, liquido appareat. Pugnat vero cum Gnosticis, qui Scripturam vilipendebant, quasi non per litteras sed per vivam vocem Apostoli tradidissent veritatem,

mana consentire tenentur, quia, licet caeterae in suis quaeque finibus principatus in sibi subditos fideles iure gaudeant, longe tamen potior est is quem obtinet romana, utpote quae principatus ac primatus iure omnibus dominetur, omnibus praesit omnesque sibi subditas habeat. Proinde ii omnes qui imperium illius detrectant, obiectum sibi apertae rebellionis crimen dissolvere non possunt, sed turpissimam schismatis et haereseos labem incurrunt." — Haec talia IRENAEUM secundo seculo scripsisse ferunt! Interpretationem FEBRONII, toto coelo ab hac differentem, lege apud ipsum in celebratissimo libro *de statu ecclesiae*, tom. 3. pag. 48. sq.

*) Vide GRABII notas in hunc Irenaei locum. SALMASIUM *de primatu Papae*, cap. 5. pag. 65. MOSHEMIUM *de rebus Christian. ante Constant. M.* pag. 260. sqq. Cel. SCHROECKHII *christliche Kirchengeschichte*, tom. 3. pag. 211. sqq. Cel. ROESSLERI *Bibliothek der Kirchenväter* tom. 1. pag. 325.

sive eam sapientiam, quam inter perfectiores tantum, ipso Paulo teste, locuti sint. Hinc veritatem posse e scripturis inveniri negabant ab iis, qui nesciant traditionem. Catholici ne hanc quidem conditionem recusant, et adversarios fidenter provocant ad eam traditionem quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur. Sed huic traditioni adversantur haeretici, obtendentes, apostolos admiscuisse nonnulla legalia (iudaica) Salvatoris verbis; se vero indubitate et intaminate et sincere mysterium scire absconditum (nempe edoctos a perfectioribus Apostolorum discipulis, qui familiarius magistris suis usi sint, et ab his πασαν την ἀληθειαν didicerint). Adversus tales itaque certamen est catholicis, qui neque Scripturis neque traditioni (catholicorum) consentiunt. Ut igitur traditionis catholicae veritas ab horum obiectionibus vindicetur, ostendendum est 1) primos ecclesiarum apostolicarum doctores plenissime ab Apostolis instructos fuisse. „Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant.“ 2) Hanc doctrinam, per successionem episcoporum nunquam interruptam, pure conservatam et ad nos usque delatam esse. Hoc quoque facile probari potest. „Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur.“ Hinc „traditionem Aposto-

lorum, in toto mundo manifestatam, in *omni* ecclesia adest (i. e. licet) respicere omnibus qui vera velint videre." Sed „quoniam valde longum esset *omnium* ecclesiarum enumerare successiones," romana ecclesia, maxima, antiquissima (inter occidentales) et omnibus cognita, nobis (occidentalibus, et pro praesentis instituti nostri ratione brevitatisque studio) instar omnium esse potest. *) Cum enim a) a duobus gloriosissimis Apostolis haec fundatam esse fateantur omnes, et b) successio episcoporum eius ad liquidum perduci queat; (de qua successione romanorum episcoporum IRENAEUS in proxime sequentibus fuse disputat:)" omnes confundimus haereticos, indicantes eam quam haec ecclesia ab Apostolis habet traditionem, per episcoporum succes-

*) Non dicit IRENAEUS, romanae ecclesiae doctrinam normam esse, ad quam caeterae omnes conformare se debeant, nec obedientiam a caeteris huic praestandam esse tradit, neque purius in hac quam in reliquis conservatam esse doctrinam Apostolorum pronunciat. Sed hoc unice dicit: *non opus esse*, ut omnes ecclesiae percurrantur, sed sufficere *posse* romanam solam, quoniam omnes ecclesiae inter se, atque adeo cum romana quoque, consentiant. Caeterum in *omni* ecclesia apostolicam traditionem reperiri, disserte affirmat. Quid? quod Irenaeus ipse non subsistit in solius romanae ecclesiae traditione. Nam versus finem capitis ad Asiaticas transit, et provocat partim ad Smyrnensem, cui Apostoli praefecerint Polycarpum, partim ad Ephesinam, cui post Paulum praefuerit Ioannes, ad Traiani usque tempora. Has Romana inferiores eique subiectas esse, ne verbulo quidem indicat.

sidnes usque ad nos pervenientem." — Iam ut ostendat IRENAEUS, ad obtinendum id, quod sibi proposuerat, sufficere vel unius huius ecclesiae commemorationem, nec opus esse, ut omnes ecclesiae earumque successiones recenseantur, addit: *Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem* (seu, ut alii codices habent, potiorem) *principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae est ab Apostolis traditio.*

Convenire ad ecclesiam romanam, nostra sententia, nihil aliud significat, quam consentire cum ea, seu doctrinae eius consona docere; graece, συμβαίνειν πρὸς αὐτήν, uti recte iam vidit SALMASIUS. Qui enim, cum GRABIO, interpretantur de confluxu eorum, qui ab omni ecclesia Romam mittebantur, ut causam Christianorum agerent apud Imperatorem, neque ab *omnibus* ecclesiis Romam legatos missos esse, ostendere, neque cur *necesse* id fuerit, docere possunt. Quod vero LA PLACETTE *) ad stabiliendum hunc formulae istius sensum, profert: vix ullum fuisse cuiuscunque regionis Christianum, quem non aliquando emergentia negotia Romam pertraherent; id omni specie veri prorsus destituitur. Illustris quidem auctor, qui aliquamdiu sub FEBRONII ficto nomine latere voluit, scite observat l. c. formulam: convenire *ad* ecclesiam, multum differre a phrasi: convenire *cum* ecclesia; verum

*) Observationes historico ecclesiasticae, pag. 317.

constat inter omnes, Irenaei interpretem tantum non semper pueriliter, repugnante licet latinorum loquendi usu, verbum pro verbo reddidisse, uti h. l. *ad* respondet τῳ πϱος graecorum.

Verba: IN QUA *semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio;* quae ab omnibus, quae de loci huius interpretatione disputarunt, ad ecclesiam *romanam* referuntur, omni sano sensu carent. Quomodo, quaeso, ab iis *qui sunt undique*, h. e. ubivis terrarum dispersi, *Romae* conservari potuit apostolicae traditionis puritas? Sunt quidem, qui existiment, quotidianum advenarum hinc inde affluentium concursum impedivisse, quo minus romana ecclesia a genuina Apostolorum doctrina deflectere posset. Vix fieri poterat, *inquit la Placette l. c.* ut ibi fides mutaretur, quo singulis diebus innumeri Christiani confluebant, qui si qua innovatio facta esset, non poterant id ipsum non observare, et novatorum conatibus non obsistere. Sed tam contorta nobis videtur haec IRENAEUM interpretandi ratio, ut assensum ei praebere nullo modo possimus. Purioris doctrinae conservationem IRENAEUS semper attribuit episcoporum in ecclesiis apostolicis *successioni* non interruptae, nunquam *peregrinorum* hominum vigilantiae. Sic hoc ipso, de quo agimus, capite, postquam romanorum episcoporum seriem descripsisset, ita perorat: „*Hac ordinatione et successione*, ea quae est ab Apostolis in ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est *plenissima haec ostensio*, unam

et eandem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab Apostolis *usque nunc* sit *conservata*, *et tradita in veritate*." Rectius fortasse verba: *in qua semper* etc. iungerentur cum proxime antecedentibus, hoc fere modo: *omnis* ecclesia, *in qua* semper conservata est apostolica traditio, necessario consentit cum romana. Sed optime, ni fallimur, ex tricis his expedire nos poterimus levi unius litterulae immutatione. Pro: *in qua* legendum censemus: *in quo*, h. e. ἐν ᾧ sive ἐφ' ᾧ, *quoniam*, *quia*, ut Rom. 5. 12. Hebr. 2. 18. Certe latini librarii, graecismi ignari, nec quo referendum esset το *quo* perspicientes, admodum proclives erant ad substituendum in eius locum *qua*. Caeterum: *necesse est* omnem ecclesiam convenire ad romanam; si quid videmus, positum est loco: aliae ecclesiae *non possunt non* conspirare cum romana; fieri id aliter non potest, sed necessario ita evenit, ἀναγκαῖον ἐστιν. Quibus ita positis, sensus verborum Irenaei recte ita poterit exprimi: „Ab ecclesia romana, „quae certe, si qua alia, apostolica dici meretur, „immo natalium suorum splendore stirpisque gene„rositate prae aliis eminet, ac veram doctrinam „purissime a Petro et Paulo accepit; ab hac igitur ec„clesia eiusque doctrina nulla in re dissidere pos„sunt caeterae ecclesiae, sive ii qui sunt undique „fideles; propterea quod hi qui sunt undique, seu „omnes quacunque in regione ecclesiae, traditio„nem apostolicam (pariter ac Romana), intemera„tam conservarunt. Quare quanto aliis felicior est „ecclesia romana, cui (ut Tertulliani verbis

„utamur de praescript. cap. 36.) *totam doctrinam Apo-*
„*stoli cum sanguine suo profuderunt*, tanto certius in-
„star reliquarum omnium nobis esse potest ecclesia-
„rum; et quo plenius accuratiusque Romani a Petro
„et Paulo veram Christianismi formulam didicerunt,
„eo minus ulla ecclesia, quae quidem ipsa doctri-
„nam apostolicam puram retinuit, a Romana dissen-
„tire potest.“

Ex his iam intelligitur, quid de *potiore* s. *potentiore ecclesiae romanae principalitate* sentiamus. Graece scriptum fuisse coniicimus: *δια την κρειττονα* seu *ἱκανωτεραν* *) *ἀρχην αὐτης* **). Ἀρχην autem accipimus de *initiis* seu primordiis romanae ecclesiae multo augustioribus, quam quidem plerarumque ecclesiarum, praesertim occidentalium, fuerant principia, atque de *stirpe* nobilissima, unde originem suam duxit successio episcoporum huius ecclesiae, quam a *duobus* Apostolis, iisque *gloriosissimis* fundatam esse antea dixerat Irenaeus. Sic libr. III. cap. 12 § 5. Hierosolymitanam ecclesiam eam appellat, a qua caeterae omnes habeant *την ἀρχην*. Et libr. IV. c. 26. §. 2. obediendum esse docet iis presbyteris, qui successionem habent ab

---

*) Ut paullo post epistola Clementis dicitur *ἱκανωτατη γραφη*, quod interpres reddit: *litterae potentissimae* h. e. luculentissimae. Paucis interiectis *ἱκανωτατην Πολυκαρπου ἐπιστολην* vertit: *perfectissimam epistolam*.

**) Alii suspicati sunt: *δια το ἐξαιρετον* seu *ὑπερτερον πρωτειον*. Nonnullis *ἀρχαιοτης* in mentem venit.

Apostolis, reliquos vero, qui absistunt a *principali successione* suspectos esse debere monet. Egregie causam hanc universam illustrat TERTULLIANUS *adv. Marcion.* libr. 4. cap. 5. ubi, ut alia praetermittamus, ecclesiarum *generositatem recognosci iudicat, si episcoporum ordo ad originem* recenseatur; h. e. si ostendatur, primum ecclesiae cuiusdam episcopum ab Apostolis ipsis fuisse ordinatum; quo sensu nulla ecclesia *generosior* erat romana, cui, ut ibidem TERTULLIANUS scribit, *et Petrus et Paulus* evangelium reliquerunt, sanguine quoque suo signatum. Conferendus etiam est omnino idem TERTULLIANUS *de praescript. adv. haeret.* tam cap. 20. 21. quam cap. 32. Caeterum nec usus loquendi, quem sequi solet interpres Irenaei, nostrae repugnat interpretationi, quae principalitatem significare statuit primordia s. origines. Etsi enim aliquoties interpres vocabulum *principalis* usurpat de iis quibus principatus aliquis s. primatus competit, alibi tamen eo utitur ad designandum id, quod prius est aliis s. primaevum et originale. Sic. libr. V. c. 14. legimus, Christum factum esse carnem et sanguinem secundum *principalem* plasmationem, et, recapitulasse eum in se *principalem* patris plasmationem; et cap. 21. Adamus vocatur *principalis* homo. Similiter TERTULLIANUS *de praescript.* c. 31. veritati *principalitatem*, mendacitati posteritatem tribuit; i. e. veritatem priorem esse affirmat errore.

Vos vero, CIVES CARISSIMI, festos hosce dies impendite seriae meditationi summorum beneficio-

rum, quibus Deus omnes omnium temporum et locorum Christianos eo die affecit, cuius memoriam pie recolendam Vobis indicimus. Imitamini Iudaeorum religiosam sedulitatem, qui festis temporibus ex omnibus, remotissimis quoque, regionibus ad templum confluebant. Inprimis vero Vos hortamur, ut publicis verbi divini interpretibus auditores Vos exhibeatis non gratos minus quam dociles.

P. P. ipso die Pentecostes, A. S. R. MDCCLXXIX.

XI.

Pentecostes solemnia pie celebranda civibus indicit academia Jenensis. Inest commentatio ad locum Pauli 1 Cor. 12, 1-11. MDCCLXXX.

Quod in confirmandis vindicandisque fidei nostrae capitibus plerisque usu venit, ut Theologi, antiquiores praesertim, laudabili quidem sed nimio tamen interdum christianorum dogmatum defendendorum studio ducti, argumenta testimoniaque e sacris litteris petita numerarent potius quam ponderarent; id in tractando loco de Spiritu Sancto, quem verum Deum una cum Patre et Filio veneratur orthodoxa Christi ecclesia, eo facilius accidere potuit, quo plures notiones, inter se diversae, licet communi quodam cognationis vinculo iunctae, vocabulo *Spiritus* in S. S. subiiciuntur; quo factum est, ut de tertia sacrosanctae Triados persona Theologi olim interpretarentur permulta sacrorum scriptorum effata, quae nunc, curatiori examine instituto, a peri-

tioribus arbitris temere ad hanc causam adducta, nedum detorta esse censentur. Quae res cum variis dubitationibus de dogmatis ipsius veritate ansam praebere possit, nostro praesertim aevo, quo rationis suae modulo omnia indistincte metiri, et quaevis humanae rationi minus pervia e doctrinarum salutarium systemate eliminare gestiunt haud pauci; necesse est omnino, ut cuiusque oraculi, in quo Spiritus mentio iniicitur, verus sensus sedulo pervestigetur, et missis iis sacrarum litterarum locis, in quibus alia huic vocabulo subest notio, delectu curate habito hi tantum in defendenda catholica de Spiritu Sancto doctrina adhibeantur, de quorum sensu iusta dubitandi causa adest nulla. Quamobrem, cum praeteritis annis, ad Pentecostalia sacra pie celebranda Vos adhortantes, CIVES, aliquoties de talibus Apostolorum dictis disseruerimus, quae olim, sed perperam nostro quidem iudicio, de aeterno Dei Spiritu exponi a commentatoribus solebant; nunc nobilem locum Paulinum 1 Cor. XII, 4. seqq. in mentem Vobis revocare brevibusque illustrare decrevimus observationibus, e quibus patere possit, Apostolum loqui h. l. non de virtute aut proprietate quadam Dei, sed de Spiritu, qui sit persona divina, a Patre quidem Filioque distincta, at intime tamen cum ipsis unita.

Ut autem de vero oraculi Paulini sensu certius constare nobis possit, animus est advertendus ad argumentum universum, in quo tractando Apostolus versatur. Inde a capite septimo Apostolus respondet

ad epistolam quandam Corinthiorum, in qua ipsum rogaverant, ut de varii generis rebus, de quibus dubitatio in ipsorum animis suborta erat, sententiam suam exponeret, atque quid statuendum et sectandum, vitandumve esset, ediceret. Inter alia Paulum etiam interrogaverant, quodnam e charismatibus praestantius sit caeteris, et prae reliquis exoptandum? Nempe in Corinthiaca ecclesia aeque ac in caeteris, in quibus iusta futurorum doctorum aliorumque ministrorum publicorum seminaria institui primis istis rei christianae temporibus nondum potuerant, hominibus nonnullis extraordinaria quaedam dona divinitus concessa erant, eo consilio, partim ut ne deessent, qui publicis muneribus rite defungi aliave ministeria subire possent *), partim

*) Facile componi potest lis illa, utrum doctoribus caeterisque coetuum christianorum antistitibus solis, an hominibus e plebe etiam, obtigerint Spiritus Sancti dona? dummodo observetur, primis illis temporibus clerum a plebe nondum ita fuisse divisum, uti temporibus mox consecutis ille ab hac seiungi coepit. Scimus enim, vel in iis ecclesiis, quae suos haberent doctores ordinarios atque rectores, licuisse laicis verba facere publice ad concionem, sive ipsi dicere haberent, quae ad οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας facere ipsis viderentur, sive divinitus ipsis patefacta essent nonnulla cum Christianorum coetu communicanda. Tanta praeterea primo isto tempore erat ministeriorum in societate hac religiosa et multitudo et varietas, ut mulieres adeo operam suam commodare ecclesiae possent. Quare omnes eos, de quibus in sacris novi foederis paginis, Spiritum eis illapsum esse Sanctum, relatum legi-

ut documentum inde caperent certissimum novae religionis asseclae, tum, veram esse doctrinam tam luculenter a Deo confirmatam, tum, non sine divinis auspiciis ab Apostolis invitatos fuisse et ipsos, sive Iudaei fuerint sive gentiles, ut novae civitati sacrae adscribi se paterentur *). Quae charismata cum admodum essent varia, nec omnibus omnia

---

mus, extraordinariis quibus gaudebant donis vel ad promovenda coetus, cuius pars ipsi erant, commoda, vel ad latius prorogandos civitatis christianae fines, usos esse, vix dubitamus.

*) Saepe hoc urget Paulus, Spiritus Sancti dona divini favoris certa esse pignora. Non tamen de singulis hominibus, qui charismatibus instructi erant, hoc confirmat, sed universe de Christianorum coetibus. Sic Corinthii ex charismatibus, quae per manuum Pauli impositionem acceperant, certi esse poterant, se in numero esse των ἐκλεκτων, (eo sensu, quo Paulus hoc vocabulum usurpare solet;) Deo ita iubente Paulum venisse Corinthum, ibidemque coetum Christo Servatori collegisse; rata a Deo habita esse, quaecunque Apostolus Corinthi docuisset, aut ad confirmandam doctrinam suam constituendamve Corinthiorum ecclesiam perpetrasset; ecclesiam Corinthiacam velut templum esse summi Numinis, 1 Cor. 3, 16. quod operationibus plane inusitatis praesentiam suam manifestet etc. Certius his de rebus constare Corinthiis poterat e charismatibus, quae Paulus ipsis impertiverat, quam ex miraculis ab Apostolo ipso patratis. Nec opus erat ad obtinendum hunc finem, ut singuli Corinthii charismatum fierent participes, sed sufficiebat, si unus tantum et alter ex ipsorum grege dona quaedam extraordinaria accepisset.

impertirentur, accidit interdum, ut qui charisma accepissent quod minorem admirationem iniicere videretur plebeculae, inviderent aliis, qui praestantioribus donis instructi esse existimarentur. Id quod mirum videbitur nemini, qui secum reputare velit, fieri non potuisse, ut novellorum Christianorum animis perfecta omnibusque numeris absoluta virtus uno temporis momento quasi infunderetur, et vitia invalida et adulta uno velut ictu radicitus exstirparentur. Inter omnia vero Spiritus Sancti dona nullum excellentius putabatur avidiusque a Corinthiis exoptabatur, et aemulationem indeque exortas simultates magis alebat, quam linguarum donum; quo qui destituti erant, invidebant caeteris, qui vero eo gaudebant, insolentius se iactasse, et magnifice de se, contemtim de aliis, et sensisse et locuti esse videntur. Huic malo mederi studet Apostolus Cap. XII-XIV. huius epistolae, atque de charismatum auctore, indole, diversitate, scopo et pretio copiose ita disserit, ut perniciosae contentionis caussas removeat, et pravas Corinthiorum ea de re sententias corrigat. Universum autem locum de *πνευματικοις* h. e. hominibus Spiritus S. donis extraordinariis instructis Cap. XII, 1. *) sequentem in mo-

*) Περι των πνευματικων, scilicet ἀνθρωπων, ut cap. 14, 37. Alii πνευματικα intelligunt χαρισματα, ut cap. 14, 1. Sed nos priorem supplendae ellipseos modum praeferimus, quoniam in proxime sequentibus sermo est de *hominibus*, qui ἐν πνευματι λαλουσι. Hominum πνευματικων men-

dum Apostolus tractat. Praemissa brevi admonitione comm. 2-3. non posse quenquam, qui divino Spiritu actus ignota auditoribus lingua loquatur, proferre quidquam, in summam Salvatoris maiestatem iniuriosum; nec posse aliquem lingua antehac sibi incognita Domini nostri laudes praedicare, nisi Spiritus Sancti impulsu commotus sit *): commate

---

tio etiam fit cap. 2, 15. et cap. 3, 1. sed alio sensu. Ibi enim Christiani perfectiores sive τελειοι intelliguntur, quibus oppositi sunt νηπιοι. Potest vero τελειος esse, qui charismatibus instructus non est, et vicissim.

*) Ita explicandum esse comma tertium censemus. Plerique interpretes criterium hic indicari arbitrantur, cuius ope veri prophetae ab impostoribus discerni possint. Sed 1) eiusmodi planos, qui divinas revelationes mentirentur, Corinthiis insidias struxisse, nullo idoneo argumento evinci potest. 2) Quis tanti momenti rem, quae diligentissimam disquisitionem postulabat, tam paucis verbis, velut in transcursu tantum, ab Apostolo tactam esse, sibi persuadeat? 3) Veritati haud consentanea est sententia, quae, vulgari interpretatione admissa, Apostoli verbis inesset, videlicet, neminem posse profiteri, Iesum esse Dominum nostrum, nisi a divino Spiritu agatur. Quod probe perspicientes interpretationis huius patroni ellipsin statuere solent satis inusitatam, quam ita suppleri volunt: nemo potest profiteri, *et miraculosis factis confirmare*, Iesum esse Dominum etc. quod assumentum invito obtruditur Paulo. 4) Εν πνευματι θεου λαλειν, quod h. l. legitur, idem est ac πνευματι λαλειν. Hoc vero aperte de iis cap. 14, 2. usurpatur, qui γλωσσαις ἐλαλουν. Eadem igitur ratione noster etiam locus intelligi poterit: οὐδεις γλωσσαις λαλων, λεγει ἀναθεμα ἰησουν· και οὐδεις δυναται ἐν γλωσσῃ εἰπειν κυριον ἰησουν, εἰ μη ἐν πνευ-

4-11. docet, varia quidem esse charismatum discrimina, quemadmodum et publica munera et ministeria inter se differant; sed omnium charismatum unum esse eundemque auctorem, qui pro sua vo-

---

ματι ἁγίῳ. Scimus enim e capite 14. in christianorum conventibus interdum adfuisse neminem, qui intelligeret hominem peregrina lingua loquentem. Poterat igitur, apud eos potissimum qui linguarum donum aliis invidebant, suspicio subnasci et per hos aliis etiam iniici: utrum pium Christoque dignum sit sermonis a nemine intellecti argumentum? Hunc scrupulum Paulus e Corinthiorum animis evellit (rogatus procul dubio ab ipsis, vid. comm. 1. coll. cap. 7, 1. 25. 8, 1.) atque docet, neminem cui donum linguarum a Spiritu S. donorum omnium auctore concessum sit, abuti eo posse ad maledicendum Christo. Sed poterat etiam aliquis coram infidelibus (qui e conventibus sacris non arcebantur cap. 14, 23.) Christi laudes celebrare sermone his patrio, quem vero nec ipse unquam didicisset, nec Christiani praesentes intelligerent. Talem igitur hominem ex divino afflatu loqui, altero commatis membro confirmat Apostolus, et invidorum reprimit suspiciones. 5) Sic sententiae hae apte cohaerent cum commate secundo. Εἴδωλα ἄφωνα sunt, quae neque vocem edere ipsi, neque hominibus linguae cuiusdam facultatem largiri possunt; id quod soli Deo peculiare est. 6) Facilis etiam est transitus ad commata sequentia, in quibus *omnium* charismatum distributio Deo vindicatur. 7) Cum omnia, quae cap. XII-XIV. de charismatibus leguntur, eum potissimum in finem scripta sint, ut de dono linguarum rectiora edocerentur Corinthii, eam primorum huius pericopae commatum interpretationem nostro iure probabiliorem indicamus, quae de primario hoc totius tractationis argumento ea explicat.

luntate liberrima aeque ac sapientissima dispertiat dona sua, ratione habita publicae utilitatis, ad quam promovendam cuiuscunque generis charismata destinata sint; quibus ita positis, facile erat intellectu, nullum charisma parvi esse habendum, nec licere cuiquam charisma affectare ab omnium donorum datore sibi denegatum, sed peccare graviter, qui aliorum charismatibus invideant. Commate 12-31. per comparationem elegantissimam ecclesiae cum corpore humano e variis membris compacto, quae exsequendis negotiis inserviunt admodum diversis quidem, sed ad incolumitatem hominis pariter necessariis, ostendit, multiplici charismatum genere opus esse in ecclesia, nec ullum eorum contemnendum esse, quandoquidem omnia Spiritus Sancti dona, suo quodque modo, insignem utilitatis fructum praebeant ecclesiae. Cap. XIII. mutuam Corinthiis commendat caritatem, qua deficiente excellentissima alioqui charismata nihili sint pendenda. Cap XIV. 1-25. prophetiae donum multo utilius, ideoque longe anteferendum esse contendit, linguarum dono. Tandem comm. 26-40. de iusto et decente ordine, a πνευματικοις in sacris conventibus servando, praecipit. Quanta ex universa argumenti huius tractatione sacri auctoris prudentia eluceat, non est, quod verbose declaremus. Redimus potius ad priora Capitis XII. commata, paucis iam declaraturi, quisnam ille Spiritus sit, quem tanquam charismatum omnium distributorem describit Apostolus.

Comm. 4. 5. 6. varia et inter se diversa esse dicuntur cum dona (χαρισματα), licet ab eodem spiritu proficiscantur, tum ministeria (διακονιαι), etsi eidem domino praestentur, tum etiam ἐνεργηματα (operationes), quamquam ab eodem Deo omnia efficiantur per omnes *). *Ministeriorum* nomine hic venire munera ecclesiastica tam ordinaria, quam extraordinaria, dubio caret. Neque tamen ad ea tantum officia vocabulum restringendum esse putamus, quae constanter vel uni cuidam coetui vel ecclesiae generatim a certis hominibus ad haec negotia curanda deputatis praestantur, qualia sunt v. c. apostolorum, evangelistarum, episcoporum et diaconorum munera; sed paulo latiori sensu διακονιας accipimus de ministeriis quibuscunque, ad stabiliendam amplificandamque doctrinam aut ecclesiam christianam spectantibus, quae, oblata opportunitate, a quovis Christiano, privato etiam, sed ad perficienda haec negotia vel Spiritus Sancti supernaturali auxilio vel suapte natura idoneo, peragi poterant, cuius generis sunt litterarum explanatio, spirituum exploratio, eorum quae peregrino sermone proferebantur interpretatio etc. Conf. comm. 28. 29. *Dominus* vero, qui cunctis ministris praeest, Christus Iesus

*) Ἐν πασιν. Alii vertunt, *in omnibus*. Sed h. l. praeferimus significationem *per*; quia quae efficiuntur *in* hominibus, Spiritui S. et hic, ut mox videbimus, et alibi tribuuntur; quae vero *per* homines peraguntur (miracula), ea ad Deum (Patrem) referuntur auctorem.

buenda sunt ei, per quem ἰαματα, vel δυναμεις, vel alia miracula (per πιστιν, i. e. fidem miraculosam) fiunt *).

In duas classes dispesci possunt charismata. Alia enim sola mentis illuminatione et cogitationum voluntatisque ad rem aliquam directione continentur, et in sapiendi, docendi, dicendi, ac quae futura sint annunciandi facultate supernaturali posita, nec cum energematibus coniuncta sunt; velut λογος σοφιας et γνωσεως, prophetia, et spirituum exploratio: alia vero respiciunt ad energemata, seu facultatem miracula in regno naturae patrandi; ut fides miraculosa, et donum sanationum. Quodvis enim energema occupat charisma in homine qui miraculum patrat. Neque enim vim suam divinam cum quoquam mortalium Deus ita communicat, ut hic pro suo lubitu, ubi et quotiescunque velit, naturae cursum suspendere aut immutare queat; sed Deus ipse per suam omnipotentiam operatur ea, quae contra naturam eveniunt huiusque vires excedunt; homo vero voluntatis divinae, coelitus sibi patefactae, interpres tantum est, per quem declaratur,

---

*) Ιαματα unum miraculorum genus clare describunt. Caetera per vocabula δυναμεις et πιστις indicantur. Quomodo vero δυναμεις differant ab aliis miraculis quae per πιστιν perpetrantur, id, tacentibus scriptoribus sacris et universa historia antiqua, ignorare nos fateri malumus ingenue, quam vanis indulgere coniecturis. Neque, quid λογος sit σοφιας, quid γνωσεως λογος, pervestigare, huius loci est.

Deum iam miraculum editurum esse. Hinc patet, cum quovis miraculo coniunctam esse revelationem aliquam divinam, per quam thaumaturgus compertum habet, certissime eventurum esse id, quod, ut eveniat, iusserit aut a Deo petierit.

Recte igitur quodvis energema, quod post Spiritus Sancti effusionem per thaumaturgum quendam Deus operatus est, charisma vocari potest. Sic Paulus energemata sanationum comm. 9. χαρισματα ἰαματων appellat. Sed eadem etiam ἐνεργηματα nominare potuisset, quemadmodum comm. 10. ἐνεργηματα δυναμεων commemorat. Minus vero accurate dixeris προφητειας aut λογου σοφιας ἐνεργημα, quoniam cum his charismatibus nullum coniunctum est miraculum, quod extra hominis, qui charismate gaudet, animum contingat. Officere quidem huic observationi videtur comma 11., ubi unus idemque Spiritus *omnia* charismata (etiam prophetiam, λογου σοφιας etc.) ἐνεργειν dicitur. Sed tenendum est, vocabula technica, quale est ἐνεργημα, saepe sensu usurpari strictiori quam eorum coniugata, quae latiori significatu de rebus longe aliis adhiberi solent. Neque Apostoli in scribendo ἀκριβειας tam studiosi fuere, ut vocabulorum discrimina constanter servarent, et ad significandam eandem rem eodem verbo semper uterentur. Observari tamen meretur, Paulum vocabulis ἐνεργεια et ἐνεργειν saepenumero uti ad describendum id operationum divinarum genus, quod ἐνεργηματων nomine commate 6. venire statuimus, v. c. Gal. 3, 5. Eph. 1, 11. 19. 20.

Phil. 3, 21. Col. 2, 12. 2 Thess. 2, 9. Commate vero 11. eo sensu positum est ἐνεργειν, quo alibi aliquoties occurrit, ubi de internis operationibus, ad animum eiusque indolem spectantibus, sermo est, e. gr. Eph. 2, 2. 3, 20. Phil. 2, 13. Caeterum verborum: παντα τα χαρισματα ταυτα ἐνεργει το πνευμα, sensus est: charismata haec omnia *largitur* Spiritus, ut comm. 7. et 8. ῷ μεν δια του πνευματος διδοται λογος σοφιας κ. τ. λ. Nam Apostolus hic non agit de donorum quae quis accepit usu, facultatisque qua πνευματικοι pollent exercitio, sed de charismatum distributione: το πνευμα διαιρει ἑκαστῳ. Sed idem charismatum auctor posthaec etiam, ubi opus erat, divino suo auxilio eidem aderat; verum varie, pro diversa charismatum natura (v. c. dona miraculorum et prophetiae sensu strictiore) ita erant comparata, ut homo iis uti nunquam posset, absque repetita Spiritus S. operatione; aliorum vero (e. gr. λογου σοφιας και γνωσεως, et, ex plerorumque saltim sententia, doni linguarum,) ea fuisse videtur ratio, ut semel homini concessorum exercitium ab huius penderet arbitrio.

Iam ex his, quae hactenus disputavimus, colligere nobis *primo* licebit, aptissimis verbis a Paulo comm. 4. 5. 6. descriptam esse et Dei Patris, et Christi Iesu, et Spiritus S. in procurandis idoneis primitivae ecclesiae ministris provinciam. Talia enim de unoquoque eorum praedicantur, quae plane consentanea sunt his, quae alibi de iisdem leguntur. Nempe Christus, ecclesiae suae caput et

Dominus, doctores atque ministros constituit (Eph. 4. 11.) ex voluntate et decreto Patris; Spiritus S. cui in sacris litteris omnes gratiosae in mentibus hominum operationes tribuuntur, doctorum caeterorumque societatis christianae administrorum animos supernaturalibus instruit donis; Pater vero, universae naturae Dominus atque moderator, per thaumaturgos patrat miracula. *Deinde* Trium illorum discrimen, quod sacrae litterae curate et constanter servant, luculenter a Paulo confirmatur. Ut enim praedicata quae de ipsis enunciantur, scilicet energemata ministeria et charismata, vere inter se, ut vidimus, differunt, ita subiecta etiam distincta esse recte statuuntur. Atque cum Christus Dominus clare a Patre Deo distinguatur, Spiritum etiam a Deo distinguendum esse fateamur necesse est, nisi plane tollere velimus mutuam commatis 4. ad comma 5. et 6. relationem. Etenim quis ferret scriptorem, charismatum distributionem Spiritui, ministeriorum institutionem Christo, energematum vero operationem Deo attribuentem, nisi similiter alius esset Deus alius Spiritus, quemadmodum alius est Christus alius Deus. *Porro* eundem esse hunc Spiritum qui Paracletus, Apostolis a Christo promissus, patet ex summa convenientia eorum, quae Spiritui h. l. tribuuntur, cum iis quae Io. 14. 15. 16. de Paracleto, πνευματι της ἀληθειας, leguntur. Quare alterius loci sensus recte ex altero et illustrari et confirmari potest. Accurata vero sermonum Christi cum oratione Paulina comparatio eo nos recta via deducit,

ut Spiritum hunc veri nominis esse personam, in quantum finitarum rerum descriptiones ad naturam infinitam accommodari possunt, agnoscamus. Hoc enim cum Christi verba apud Ioannem innuunt, tum luculentius etiam Paulus declarat. Nam non solum comm. 4-6. Patri et Christo, quos personas esse nemo dubitare potest, Spiritum ita adiungit, ut ad alius plane naturae rem cogitatione vix delabi quisquam possit, cuius animus a praeconceptis opinionibus liber est; sed talia etiam Spiritui tribuit, praesertim commate 11, quae solis personis conveniunt. Operatur, inquit, Spiritus atque charismata distribuit, καθως βουλεται, prout vult. Ad fingendam vero prosopopoeiam cur confugiamus, iusta causa apparet nulla, sed obstant potius complura, quo minus tale diverticulum quaerere liceat. Certe πνευμα nec effectum aliquem divinum aut donum supernaturale, neque omnipotentem Patris vim denotare h. l. potest; nam Spiritus, donorum auctor clare secernitur a donis quae ab ipso distribuuntur; vis vero divina in hoc sermonis contextu inepte profecto separatim nominaretur post diserte factam ipsius Dei mentionem. *Denique* Spiritum intime unitum esse Patri et Christo, ex eo valide potest colligi, quod eorundem hominum animos charismatibus suis exornat, quos Christus ecclesiae suae ministros constituit, et quod suo afflatu eorum mentes concitat, per quos Pater energemata operari decrevit; veram autem unionis indolem ex aliis S. S. locis discimus. *Postremo* deitatis, quam alia Apo-

stolorum oracula Spiritus S. vindicant, nec in hac pericopa Paulina desunt indicia haud obscura, partim in operum quae ei h. l. tribuuntur natura, partim in coniunctione Dei Domini et Spiritus posita.

Sed haec, pro instituto nostro, breviter attigisse, Vobisque, Cives Carissimi, in memoriam revocasse sufficiat. Superest, ut paterno animi affectu Vos admoneamus, ut per festos hosce dies serio meditemini beneficii magnitudinem, quod prima illa post Servatoris nostri resurrectionem Pentecoste, non in Apostolos solum eorumque socios, sed in Vos quoque et omnes Christianos, collatum est. Per ea enim, quibus tum a Spiritu S. exornabantur, charismata, Apostoli idonei sunt redditi, qui litteris consignare possent coelestem I. C. doctrinam, quam festo hoc tempore publici verbi divini Praecones diligenter pro concione exponent. Ad quorum sermones audiendos ut frequentes confluatis, et gratam Vestram erga meritissimos viros mentem re et factis probetis, hortamur.

P. P. d. xiii. Iunii cIↃIↃCCLXXX.

XII.

De mundo a Deo Patre condito per Filium

disserit habendasque a viro summe reverendo atque excellentissimo

Ernesto Adolpho Weber,

Theologiae professore publico ordinario,

pro impetrandis summis in theologia honoribus praelectiones solemnes et disputationem inauguralen indicit

D. Ioannes Iacobus Griesbach,

ordinis Theologorum h. t. decanus.

Jenae.

Inter argumenta numero sat multa, quibus Christum, Salvatorem optimum maximum, verum Deum esse evincimus, eminere videtur, quod a creatione universi, quam Dei filio sacrae attribuunt litterae, ducitur; cui tanta inest vis, ut vel hoc solo, nedum cum aliis coniuncto, Arianorum non minus quam Socinianorum, aliorumque, qui cum his faciunt, placita falsi manifeste convincantur, valideque ex eo colligi possit, iis in locis Scripturae sacrae, in quibus λογος ille qui humanam in-

duit naturam Deus nuncupatur, velut Io. I, 1. a propria vocabuli Θεου significatione recedendum neutiquam esse. Constans enim est omnium utriusque foederis Scriptorum sacrorum doctrina, solum eum, qui mundum condidit, esse Deum Optimum Maximum, nec posse praeter hunc quemquam creatoris elogio, quo verus Deus a fictitiis seiungatur, ornari; quod axioma, saepissime in sacris litteris repetitum atque inculcatum, adeo sanae rationi est consentaneum, ut neminem esse censeamus, quin hoc sublato universum religionis fundamentum simul subverti intelligat. Certissime igitur, quem hoc universum condidisse affirmat Scriptura sacra, eum veri nominis Deum esse planissime docet. Quod telum validissimum ut evitarent, qui Salvatoris nostri divinitatem in dubium vocare ausi sunt sacrarum litterarum auctoritatem non penitus repudiantes, varia quaesiverunt effugia. Alii enim Scripturae sacrae oracula, quae mundum a Filio Dei conditum esse tradunt, de generis humani instauratione, novae creationis simili, interpretari voluere; quod licet uno alterove loco ferri queat, de omnibus tamen nullo modo concedi potest. Alii vero causae suae praesidium in iis sacrarum litterarum effatis invenisse sibi visi sunt, quae mundum hunc conditum esse *a patre P E R filium* docere videntur; e quibus effici posse existimaverunt, Patrem solum, nisi a verborum proprietate recedere velis, mundi esse creatorem, Filium vero a patre, qui sit ὁ ἐπι παντων Θεος, adhibitum fuisse tanquam operis huius sive

XII.

De mundo a Deo Patre condito per Filium

disserit habendasque a viro summe reverendo atque excellentissimo

Ernesto Adolpho Weber,

Theologiae professore publico ordinario,

pro impetrandis summis in theologia honoribus praelectiones solemnes et disputationem inauguralem indicit

D. Ioannes Iacobus Griesbach,

ordinis Theologorum h. t. decanus.

Jenae.

Inter argumenta numero sat multa, quibus Christum, Salvatorem optimum maximum, verum Deum esse evincimus, eminere videtur, quod a creatione universi, quam Dei filio sacrae attribuunt litterae, ducitur; cui tanta inest vis, ut vel hoc solo, nedum cum aliis coniuncto, Arianorum non minus quam Socinianorum, aliorumque, qui cum his faciunt, placita falsi manifeste convincantur, valideque ex eo colligi possit, iis in locis Scripturae sacrae, in quibus λογος ille qui humanam in-

duit naturam Deus nuncupatur, velut Io. I, 1. a propria vocabuli θεου significatione recedendum neutiquam esse. Constans enim est omnium utriusque foederis Scriptorum sacrorum doctrina, solum eum, qui mundum condidit, esse Deum Optimum Maximum, nec posse praeter hunc, quemquam creatoris elogio, quo verus Deus a fictitiis seiungatur, ornari; quod axioma, saepissime in sacris litteris repetitum atque inculcatum, adeo sanae rationi est consentaneum, ut neminem esse censeamus, quin hoc sublato universum religionis fundamentum simul subverti intelligat. Certissime igitur, quem hoc universum condidisse affirmat Scriptura sacra, eum veri nominis Deum esse planissime docet. Quod telum validissimum ut evitarent, qui Salvatoris nostri divinitatem in dubium vocare ausi sunt sacrarum litterarum auctoritatem non penitus repudiantes, varia quaesiverunt effugia. Alii enim Scripturae sacrae oracula, quae mundum a Filio Dei conditum esse tradunt, de generis humani instauratione, novae creationis simili, interpretari voluere; quod licet uno alterove loco ferri queat, de omnibus tamen nullo modo concedi potest. Alii vero causae suae praesidium in iis sacrarum litterarum effatis invenisse sibi visi sunt, quae mundum hunc conditum esse *a patre* P E R *filium* docere videntur; e quibus effici posse existimaverunt, Patrem solum, nisi a verborum proprietate recedere velis, mundi esse creatorem, Filium vero a patre, qui sit ὁ ἐπι παντων θεος, adhibitum fuisse tanquam operis huius sive

administrum sive instrumentum. Hanc sententiam Ariani et antiquiores *) et recentiores **), una cum

---

*) Vide e. c. EUNOMII *libellum apologeticum*, inter opera BASILII *M.* edit. Garnierianae tom. I. pag. 618. sqq. ubi discrimen formularum δι' οὗ et ἐξ οὗ saepe urgetur. Paucula excerpere lubet. §. 15. et 17. Filius appellatur ὑπουργος τελειοτατος προς πασαν δημιουργιαν και γνωμην πατρικην, ὑπηρετησας προς την των ὀντων συστασιν. §. 20. Qui propria auctoritate aliquid operatur, plurimum differt ab eo, qui νευματι πατρικῳ aliquid facit, et nihil se a semet ipso facere fatetur. §. 28. Deus omnium est creator atque opifex, primario quidem et ἐξαιρετως unigeniti Filii, ἰδιως vero earum rerum quae per hunc factae sunt, etc. Per hunc primum omnium fecit (ἐποιησε) Spiritum S. ἐξουσια μεν ἰδια και προσταγματι, ἐνεργειᾳ δε και δυναμει του υἱου. Post hunc caetera omnia in coelo et in terra fecit per Filium, iuxta illud Paulinum 1 Cor. 8, 6. Confer cum his BASILIUM ipsum *lib. 2. advers. Eunom.* §. 21. ubi Arianos eam ob causam vituperat, quod ne concedere quidem velint, ὁτι ὁ υἱος της δημιουργιας συνεφηψατο τῳ πατρι, sed Filium Patri adiungant tanquam ὀργανον ἀψυχον, Filioque tanquam eximium quid attribuant hoc, quod sit εὐθετος προς την διακονιαν των ἐπιτασσομενων. Ibidem BASILIUS, quo sensu a catholicis omnia *per* Filium creata esse doceantur, declarat, scilicet ὁτι το θειον βουλημα, οἱον πηγης τινος της πρωτης αἰτιας ἀφορμηθεν, δια της οἰκειας εἰκονος του θεου λογου προεισιν εἰς ἐνεργειαν. Conf. etiam libr. 5. pag. 315. — Inprimis vero consulendus est idem BASILIUS M. in *libro de Spiritu S. ad Amphilochium*, ubi diffuse atque ex industria contra Aetium et alios disputat, qui statuebant, το ἐξ οὗ indicare τον δημιουργον· το δι οὗ autem τον ὑπουργον ἡ το ὀργανον, atque hinc efficere conabantur, ἀλλετριον

iis quos Subordinatianos vulgo vocant *), tueri solent, nec multum ab ea abfuerunt, praeeunte quodammodo PHILONE IUDAEO **), Patres antiquissimi ***). Quid quod recentiores etiam theologi †)

ειναι κατα την φυσιν τον υἱον τῳ πατρι, quoniam το ὀργανον sit ἀλλοτριον τῳ τεχνιτῃ. cap. 2. et 4.

**) Vide v. c. WHISTON's *primitive Christianity revived.* vol. 4. pag. 169.

*) Conf. CLARKE *Scripture doctrine of the Trinity*, Part. I. Chap. 2. Sect. 2. §. 546. Chap. 4. §. 1228. et Part. II. §. 26.

**) *In libro de Cherubim*, prope finem, ubi vocem δια de Deo usurpari posse negat, quia Deus causa sit, non instrumentum. Ut gignatur aliquid, multa, inquit, oportet concurrere, το ὑφ' οὑ, το ἐξ οὑ, το δι' οὑ, το δι' ὁ. Και ἐστι μεν ὑφ' οὑ, το αἰτιον· ἐξ οὑ δε, ἡ ὑλη· δι' οὑ δε, το ἐργαλειον. — Εὑρησεις αἰτιον μεν του κοσμου τον θεον, ὑφ' οὑ γεγονεν· ὀργανον δε ΛΟΓΟΝ ΘΕΟΥ, ΔΙ' 'ΟΥ κατεσκευασθη κ. τ. λ.

***) EUSEBIUS *de ecclesiastica doctrina* Libr. I. cap. 20. §. 3. Ioannem tradit verbis illis: δι' αὐτου ἐγενετο παντα, indicasse το ὑπηρετικον του θεου: potuisse quidem Evangelistam scribere: παντα ὑπ' αὐτου ἐγενετο, verum noluisse eum hoc modo rem eloqui, sed posuisse potius δι' οὑ; eo scilicet consilio, ut lectores remitteret ἐπι την των ὁλων ποιητικην του πατρος αὐθεντιαν. Idem EUSEBIUS *in histor. ecclesiast.* Lib. 1. cap. 1. putat Psalmo 33. induci τον μεν πατερα και ποιητην, ὡς πανηγεμονα βασιλικῳ νευματι προςταττοντα, συν δε τουτῳ δευτερευοντα υἱον λογον, ταις πατρικαις ἐπιταξεσιν ὑπουργουντα. Et paulo post Filium tradit Patri et θεῳ των ὁλων ὑπηρετησαντα εἰς την των γεννητων ἀπαντων δημιουργιαν. Simili modo sexcenties in scriptis Patrum legitur: Filium in condendo mundo paternae voluntatis fuisse ministrum,

Apostolos eiusmodi formulis usos esse arbitrantur ad indicandum discrimen personale, quod inter Pa-

---

διακονον, ὑπηρετην, ὑπουργον. Vid. v. c. IUSTINI M. *dial. cum Tryph.* ed. Thirlbii p. 266. THEOPHILUS ANTIOCH. *ad Autolyc.* lib. 2. cap. 14. TERTULLIANUS *adv. Praxeam* cap. 19. IRENAEUS libr. 4. cap. 7. CLEMENS ALEX. *in Paedagogo* libr. 1. cap. 2. Quare mirum videri debet nemini, ORIGENEM in *praefat. libror. de princip.* inter ipsius adeo praedicationis ecclesiasticae capita referre hoc: Filium ministrasse Patri in conditione omnium. Atque hinc Filium et Spiritum S. antiquiores scriptores appellare solent *manus* Patris, per quas quidquid molitur efficit, v. c. IRENAEUS Libr. 3. cap. 21. Libr. 4. cap. 20. Libr. 5. cap. 6. TERTULLIANUS *advers. Hermogenem* cap. 45. ATHANASIUS *orat.* 2. *contr. Arianos.* §. 31. Iidem non raro Patrem describunt tanquam iubentem, Filium vero ut iussa exsequentem. Sic ORIGENES *contr. Cels. libr.* 6. §. 60. filius, inquit, est προσεχως δημιουργος et quasi αὐτουργος mundi, Pater autem est πρωτως δημιουργος, eo quod Filio mandavit, ut mundum crearet. Vide etiam libr. 2. §. 9. et IRENAEUM libr. 3. cap. 8. et libr. 4. cap. 38. Utuntur etiam Patres hoc discrimine ad discernendas S. S. Τριαδος personas. V. c. TERTULLIANUS *advers. Prax.* cap. 13. alium, inquit, dicas oportet eum qui iubet, alium eum qui facit; et cap. 9. alius qui facit, alius per quem fit; et cap. 21. alius per quem omnia, alius a quo omnia. Unde porro enatae sunt formulae, quas iam praeivit BASILIUS *M: de Spiritu S. ad Amphiloch.* cap. 16. Patrem esse των γινομενων αἰτιαν προκαταρκτικην, filium δημιουργικην, Spiritum Sanctum τελειωτικην. Tandem et hoc obiter notari meretur, Patres nonnullos eo usque hypothesibus suis indulsisse, ut statuere haud dubitarent, τον λογον sive Filium, in sinu Patris latitantem, mox ante mundum conditum, progenitum esse et quasi processisse a Patre hanc ipsam ob causam, ut in creando mundo Pater ministe-

trem et Filium intercedit. Sed, quamquam ex nonnullis sacrarum litterarum carminibus, ad quae provocare illi solent, recte personarum discrimen elici posse persuasum nobis est, fatemur tamen, formulam: mundum *a Deo per Filium* esse creatum, qua facile Ariani abuti possunt, a difficultatibus non omnino liberam nobis videri. Age igitur, quibusnam e locis Scripturae derivata ea sit, dispiciamus, et utrum origo eius apostolica extra omnem dubitationis aleam posita sit, paucis inquiramus.

In censum hic venire plane non posse ea oracula, quae simpliciter mundum *per Filium δι' αὐτου* vel *ἐν αὐτῳ*, creatum esse perhibent, cuius generis sunt Io. 1, 3. 10 et Col. 1, 16. 17. quilibet facile intelliget, qui reputare secum velit, eosdem loquendi modos a scriptoribus sacris de Patre aeque usurpari atque de Filio, v. c. Rom. 11, 36. Nec effici quidquam potest e loco Paulino 1 Cor. 8, 6. ubi Patris et Filii mentio simul iniicitur, et de illo *ἐξ αὐτου τα παντα*, de hoc vero *δι' αὐτου τα παν-*

---

rio eius uteretur. — Tales igitur hypotheses et tales loquendi formulae antiquitus enatae sunt e dogmate de Patre per Filium mundum creante.

†) B. Lutherus *in commentar. in Genesin*, statim ab initio, Verbum sive Filium vocat medium et instrumentum, quo Deus Pater in operando usus sit, atque ex mosaico illo carmine: dixit Deus, fiat lux; collato Io. 1, 1. et Ebr. 1. 2. manifestam esse existimat personarum distinctionem. Vide etiam, ut alios taceam, Io. Gerhardum *in locis theolog.* tom. 1. Loc. 4. part. 1, §. 53. coll. part. 2. §. 83.

τα, praedicatur. Ex diversis enim hisce formulis ita iuxta se positis colligi quidem potest, alium esse Patrem, alium Dominum nostrum Iesum Christum, sed nec discriminis ratio atque indoles ex hoc loco illustrari, nec effici ex eo potest, Patrem in creando mundo Filium adhibuisse divini huius operis quasi administrum. Tota igitur res redit ad duo effata Paulina, Eph. 3, 9. et Hebr. 1, 2. in quibus disertis verbis *Patrem* universum hoc condidisse *per* Filium doceri putant.

Priori loco vulgo quidem legitur: τῳ Θεῳ, τῳ τα παντα κτισαντι δια Ἰησοῦ Χριστου. Sed spuria esse verba δια Ἰησου Χριστου, in quibus totius argumenti quod ex hoc dicto petunt cardo vertitur, nulli dubitamus. Abfuerunt enim a duabus sacri textus recensionibus antiquissimis, et praestantissimis, alexandrina et occidentali, quarum consensus maximi est in re critica momenti. Alexandrinam recensionem exhibent codices A. C. 17, versiones copta et aethiopica, et Cyrillus alexandr. in quibus omnibus verba ista omittuntur; nec Philoxenianae syriacae translationis auctoritas nobis officit, quae, quamvis verba illa habeat, adposito tamen asterisco a priscis documentis ea abfuisse testatur. Occidentalem autem recensionem similiter caruisse hoc additamento, patet e consensu codicum D. F. G, cum versione latina tam antehieronymiana quam vulgata, et cum Patribus latinis, Tertulliano, Hilario, cuius commentarius in Pauli epistolas inter opera Ambrosii habetur, Hieronymo, Augustino, Ambro-

sio, Vigilio tapsensi et Pelagio, cum quibus consentit etiam auctor dialogi contra Marcionitas. Accedunt, qui cum neutra harum recensionum propinquiore quadam cognatione coniuncti sunt, codex 48, versio syriaca una cum arabica ab Erpenio edita, et Basilius M. Ecce tibi tres praestantissimorum testium classes, concinentes in omittendis istis verbis, quae vix ante Chrysostomi et Theodoreti tempora in sacrum textum intrusa esse videntur. Certe, nec casu ea excidisse, neque consilio eliminata esse, quisquam facile dixerit. Nihil enim hoc loco apparet eorum, quae festinantibus librariis textus sacri particulam temere omittendi ansam nonnunquam dederunt, ut sunt ὁμοιοτέλευτα. Nec ulla excogitari potest causa probabilis, cur videri cuiquam haec potuissent rectius abesse ab orationis Paulinae serie, quam adesse. Contra vero facili negotio intelligimus, formulam nonnihil abruptam et subobscuram: ὁ τα παντα κτισας, invitare potuisse sciolos librarios aut commentatores, ut illustrationis causa, pro licentiore temporum istorum more, adiicerent δια Ἰησου Χριστου, quo locus hic exactius conspiraret cum doctrinae tum usitatae analogia, luculentiusque exprimeret aevi istius, quam supra commemoravimus, opinionem de mundo creato quidem a Deo Patre, sed ministrante ipsi, ut Origenis verba repetamus, Filio. Caeterum nostra iam non refert curatius investigare, utrumne verba ὁ τα παντα κτισας divinam describant omnipotentiam, an Deum innuant hominum omnium, gentilium

pariter ac Iudaeorum, conditorem et patrem, Rom. 3, 29. 30. 1 Tim. 2, 5. an vero ad novam illam et improprie dictam creationem, de qua cap. 2, 10. 15. (coll. cap 1, 10. et Col. 1, 20.) iam disseruerat Apostolus, respiciant.

Superest igitur locus unicus Hebr. 1, 2. in quo satis clare legitur: 'Ο ΘΕΟΣ κληρονομον παντων εθηκε τον υἱον, ΔΙ' 'ΟΥ και τους αιωνας εποιησεν, Largimur non solum, sed ipsi quoque, pluribus permoti argumentis, tuemur, de prima huius universi creatione Paulum hoc loco agere. Nam

1) etsi non solum *αιωνες* significare forte possunt gentiles, quo sensu nonnullis in locis τον κοσμον interpretantur; verum etiam κτιζειν, quod aequipollet τῳ ποιειν, alibi denotare videtur hominum, qui antea ξενοι erant των διαθηκων, consociationem cum coetu felicissimorum Dei cultorum: valde tamen dubitamus, phrasin ποιειν τους αιωνας posse, usui loquendi convenienter, accipi de ethnicorum in ecclesiam christianam admissione; partim quoniam formulae, quae similes illi videri possent, v. c. κτιζειν τους δυο εις ἑνα ἀνθρωπον Eph. 2, 15. et ποιημα κτισθεν ἐν Χριστῳ ἐπ' ἐργοις ἀγαθοις Eph. 2. 10 curatius consideratae, admodum dissimiles ei reperiuntur; partim quia nec in sermonis contextu neque in universa epistola ad Hebraeos de gentilibus civitatis christianae iure donatis quidquam occurrit, sed per totum libellum, solis Christianis a Iudaeis dicatum, horum unice ratio habetur ab Apostolo. Neque de constitutione utriusque oeco-

nomiae, mosaicae et christianae, accipi potest το ποιειν τους αιωνας; quo eo facilius inclinare aliquis forte posset, quia in proxime antecedentibus το ἐσχατον των ἡμερων, quo per Filium Deus se nobis manifestavit, a prisco tempore, quo per prophetas voluntatem suam patefecit, distinguitur. Verum de sola oeconomia christiana (עולם הבא) salvo usu loquendi οἱ αἰωνες, plurali numero, (עולמים) intelligi nequeunt; de utraque vero oeconomia, iudaica et christiana, accipere vetat scopus atque consilium auctoris. Paulus enim totus in eo est, ut ostendat posterioris oeconomiae, qua per filium suum homines institui curavit Deus, excellentiam prae priore, in qua prophetarum tantum ministerio usus erat. Huic vero Apostoli scopo aperte repugnarent verba, de quorum sensu disputamus, si prioris etiam oeconomiae constitutionem Filio vindicarent. Quae cum ita sint, et reliquae etiam vocabuli αιωνες significationes nostro loco haud conveniant, restat, ut το ποιειν τους αιωνας de mundi adspectabilis creatione interpretemur. Quae explicatio

2) mirifice confirmatur alio eiusdem epistolae ad Hebraeos loco, cap. 11, 3. ubi κατηρτισθαι τους αἰωιας ῥηματι θεου legimus, quod commentatores magno consensu de creatione huius universi intelligendum esse ultro fatentur. Quidni igitur phrasin simillimam, ab eodem auctore in eodem libello usurpatam, de re eadem interpretamur? Atque hoc postulat

8) nexus et structura sermonis Paulini. Scilicet discussius exploranti mutuum idearum et propositionum inter se respectum, obscurum esse haud poterit, primariam enunciationem distinguendam esse a caeteris, illustrationis tantum aut confirmationis causa illi adiectis et orationis seriei intermixtis. Nimirum com. 1-3. totius epistolae argumentum generatim declarat Apostolus, et lectoribus statim in limine id exponit, quod uberius tractare et variis probationibus confirmare sibi proposuerat. Id vero huc redit: oeconomia christiana longe praestantior est iudaica, quoniam auctorem habet ipsum Dei Filium, hoc est Messiam; comm. 1-3. qui Dei Filius dignitate atque maiestate longissime superat antiquioris oeconomiae administros, a) angelos, cap. 1. et 2. b) Mosen, cap. 3, 1-4, 13. c) sacerdotes leviticos, cap. 4, 14-cap. 10, 22. Hanc Messiae prae angelis, Mose, et sacerdotibus eminentiam, ita enunciat Paulus: *πολυμερως και πολυτροπως παλαι ὁ Θεος λαλησας τοις πατρασιν ἐν τοις προφηταις, ἐπ' ἐσχατου των ἡμερων τουτων ἐλαλησεν ἡμιν ἐν υἱῳ, ὁν ἐθηκε κληρονομον παντων — ὁς — ἐκαθισεν ἐν δεξιᾳ της μεγαλωσυνης ἐν ὑψηλοις.* Sed qui fieri potuit, ut Messias, Davidis filius ex tribu Iuda oriundus, cap. 7, 14. verus homo, cap. 2, 14. gravissimis afflictionibus tentatus atque cruenta morte tandem mulctatus, cap. 2, 10. 17. 18. 4, 15. 5, 7. qui, inquam, fieri potuit, ut hic talis Messias a Deo constitueretur rerum omnium Dominus, *) et

*) Id enim, ex indubio Hebraeorum loquendi usu, si-

ut eiusdem cum Patre O. M. imperii et cultus particeps *) redderetur? Respondet Paulus: Rerum omnium dominium. Deus omnino deferre potuit Messiae, *quoniam* per ipsum (quatenus est ὁ λογος Io, 1, 1-3. 14.) τους αἰωνας ἐποιησεν: eundemque ad throni divini consortium admittere potuit, *quia* est ἀπαυγασμα της δοξης του πατρος, et potenti eius nutu omnia consistunt atque conservantur. **) Hunc verum esse Paulinarum cogitationum nexum, ipsa verborum constructio docet: κληρονομον ἐθηκε, ΔΙ' 'ΟΥ ΚΑΙ τους αἰωνας ἐποιησε, et: ἐν δεξια της μεγαλωσυνης ἐκαθισε, 'ΩΝ ἀπαυγασμα, ΦΕΡΩΝ

---

gnificant verba: ἐτεθη κληρονομος παντων. Ut enim κληρονομειν est possidere, ita κληρονομος est possessor seu dominus. Simili sensu Act. 2, 36. Deus perhibetur Iesum πεποιηκεναι κυριον. Confer etiam 1 Cor. 15, 27. Eph. 1, 21. 22. Phil. 2, 11. Matth. 28, 18. Huic vero nostro loco omnium optime conveniebat vocabulum κληρονομος, quod haeredem proprie denotat, quia filium Paulus appellaverat Messiam. Παντα autem sunt eadem illa, quae comm. seq. Φερειν dicitur Filius.

*) Hunc esse sensum locutionis: sedere ad dexteram Dei, probatione haud indiget.

**) Φερειν τα παντα est ea sustinere et conservare, quemadmodum נשׂא occurrit Es. 46, 3. et 63. 9. Plane concinit locus parallelus Col. 1, 16. τα παντα (i. e. per antecedentia: omnia quae in coelo sunt et in terra, sive visibilia sive invisibilia) ἐν αὐτῳ συνεστηκε per ipsum consistunt atque perdurant, ut Ps. 33, 9. עמד. Ρημα δυναμεως est voluntas omnipotens, quae nutu suo efficit, ut creaturae et existant et consistant. Vide omnino cap 11, 3. et Ps. 33, 9. coll. Genes. 1, 3. et Apocal. 4, 11.

τε πάντα. Atque hinc iam patet, partim, eandem rationem, quam habet το καθιζειν ἐν δεξια ad τε φερειν τα παντα, habere etiam το ποιειν τους αἰωνας ad το κληρονομον εἶναι παντων: unde porro consequitur, sententiam absque ulla sensus mutatione sic posse enunciari, ὁ υἱος, τους αἰωνας ποιησας, παντων κληρονομος ἐτεθη ὑπο του πατρος: partim, το ἐτεθη κληρονομος pariter ac το ἐκαθισεν ἐν δεξια της μεγαλωσυνης, praedicata esse Filii Dei quatenus est Messias; contra vero το ἐποιησε τους αἰωνας aeque atque το φερει τα παντα Messiae tribui quatenus et ipse Deus est: partim τα παντα quae omnipotenti suo nutu conservat, haud differre a τοις αἰωσι, quos idem creavit. Ex quibus omnibus efficitur, τους αἰωνας hoc loco nil aliud esse quam mundum, quem Filius Dei, qua Deus, et creavit et conservat. Idem praeterea roboratur

4) comparatione instituta commatis 2. cum comm. 10. et 11. ubi procul omni dubio creatio huius universi describitur. Occupare nobis, brevitati necessario studentibus, licebit, quod ab aliis satis evictum esse putamus, de Filio sermonem esse comm. 10. et 11. non minus quam comm. 8. et 9. Notatu vero dignissimus est nexus quatuor horum commatum. Nimirum comm. 8. et 9. regium Filii imperium celebratur, ipseque rex salutatur regibus omnibus longe superior; comm. autem 10. 11. regia haec dignitas quo nitatur fundamento, exponitur. Vides igitur, comm. 8-11 copiosius verbisque e Psalmis desumtis eadem proferri, quae comm. 2.

suis verbis strictim de Filio Apostolus dixerat. Comm. 8. seqq. Filius, inquit, summum tenet imperium, et huic negotio gerendo par est; *nam* *) coelum et terram condidit; comm. 2. autem: Filius, ait, rerum omnium dominium tenet, quippe qui mundi universi creator est. Recte igitur ex illius carminis sensu huius effati sensus constitui potest.

Tenemus itaque, *ποιειν τους αιωνας* non posse non de huius universi sive, ut verbis commatis 10. utamur, coeli et terrae creatione intelligi. Quo concesso, vix dubitari posse videtur, ipso Apostolo praeeunte recte statui a Theologis, *Deum Patrem* mundum hunc *per Filium* condidisse. **) At fatemur ingenue, superesse nonnulla, quae scrupulum nobis iniicere animosque nostros suspensos detinere possint. *Primo* enim verissimum est Theologorum praeceptum, opera divina, quae in scholis dicuntur ad extra, omnibus Sacrosanctae *τριαδος* personis esse communia. Atque huic operum generi, et quidem actionibus ad extra transeuntibus essen-

---

*) Ita το' και initio comm. 10. commode verti potest. Hac enim significatione vocabulum hoc saepe, in graecis bibliis praesertim, occurrere, vel tironibus notum est.

**) Illi enim, qui δι' οὑ positum esse volunt loco δι' ὃν, *propter quem*, audiendi, nostro quidem iudicio, non sunt. Nam non solum insolentior est et in sacris litteris inusitata haec vocabuli δια cum genitivo casu iuncti significatio; verum obstant etiam huic interpretationi, quae de nexu orationis Paulinae disputavimus.

tialibus, ut barbare loquuntur, creationem accensendam esse, dubio caret. Iam vero, etsi in his etiam actionibus, quas ex aequo tribus personis communes esse docent, ordinem et discrimen personarum servari recte statuunt Theologi, nescimus tamen, utrum eiusmodi formulis qualis est haec: Pater creat per Filium, personarum ordo et discrimen satis bene atque commode describatur. Saltim plerisque hominibus, qui inanibus vocabulorum sonis sibi illudi haud patiuntur, sed ad efformandam aliquam notionem, quae verbis subesse possit, mentis suae vim intendunt, eiusmodi carmina ansam praebent, tale sibi fingendi personarum discrimen quod a Tritheismo parum abest. *Deinde*, nemo paulo distinctius exponere poterit, quid hoc sit, mundum creare *per* alium, et quaenam huic loquendi formulae subiecta esse queat potestas. Qui enim ex iis Scripturae locis, in quibus Deus per Iesum Christum τον θεανθρωπον aliquid operatus esse perhibetur, nostrae formulae, quae ad θεον λογον spectat, veram vim explicare vellet, nae is pudendum erraret errorem. Neque ferendi sunt, qui, hoc carmine abusi, Patrem in condendo mundo comminiscuntur Filium adhibuisse tanquam instrumentum aut ministrum; uti nec illi nodum scite solvisse putandi sunt, qui Patrem quidem mundi creationem decrevisse, Filium vero decreta paterna exsecutum esse, monent. *Praeterea* communis est Christianorum sententia, in ipsis adeo symbolis oecumenicis expressa, creationem Deo Patri tribuen-

dam esse per appropriationem. Sed si per Filium Pater mundum condidit, quo sensu appropriative, ut in scholis loquuntur, Patri assignari possit creatio, dictu est difficile. Quidni Filio potius eam adscribimus? Ac si vel maxime decretum de creando mundo Patri attribuas, tamen ne sic quidem iusta apparet appropriationis illius causa. Quid enim est, quamobrem generis humani redemtionem, similiter a Patre decretam, non pariter appropries Patri, sed Filio? *Denique* creationem Theologi statuunt simplicissimum esse divinae voluntatis actum, qui solo absolvatur voluntatis nutu atque imperio; praeter quem nulla alia actione opus sit, ut creaturae existant. Hebr. 11, 3. Apoc. 4, 11. Ps. 33. 6. 9. Si igitur Pater voluit, ut mundus iam existeret, nemo facile dixerit, quid sit id, quod praestitum sit a Filio ita, ut ideo *per* Filium Pater mundum creasse censendus sit; nisi forte, quod absit, Patrem per Filium sic universum hoc condidisse fingere tibi velis, quemadmodum *per* homines Deus miracula patrasse in sacris paginis perhibetur.

Sed nolumus coacervandis exaggerandisve difficultatibus diutius immorari. Nec ignoramus, qua ratione plerique vim ac sensum istius formulae, de qua disputamus, declarari debere existiment. Nimirum, Filium, uti essentiam divinam universim, ita etiam omnipotentiam per quam condiderit mundum, a Patre ceu Divinitatis fonte communicatam habere, contendunt. Sed, utrum credibile sit, hanc rem ista formula indigitare voluisse Apostolum, vi-

δεν διακρινομενος, διοτι ἐγω ἀπεσταλκα αὐτους. Gal. 1, 16. ἐπιστευσαμεν εἰς Χριστον, ἱνα δικαιωθωμεν ἐκ πιστεως, διοτι οὐ δικαιωθησεται πασα σαρξ ἐξ ἐργων νομου. Phil. 2, 26. ἐπιποθων ἠν ὑμας και ἀδημονων, διοτι ἠκουσατε ὁτι ἠσθενησεν. Cf. etiam Luc. 1, 13. 1 Cor. 15, 9. Hebr. 11, 23. etc. In his locis διοτι declarat, cur id, quod antecedit, verum sit et esse possit, aut quo consilio quamve ob causam id, quod in praecedentibus narratum est, fieri sive potuerit sive debuerit. Sic etiam h. l. διοτι exponit causam, cur Messias imperium in res creatas omnes capessere potuerit: „quem (Deus) rerum omnium Dominum constituit, διοτι και τους αἰωνας ἐποιησεν, propterea quod idem quoque rerum omnium esset creator;" quasi scripsisset Apostolus: ὁν, ποιησαντα και τους αἰωνας, κληρονομον παντων ἐθηκε: plane ut comm. seq. ὁς, φερων τα παντα, ἐκαθισε ἐν δεξιᾳ της μεγαλωσυνης. *Tandem* iuvat etiam coniecturam nostram, quod in sacris litteris, licet pluribus in locis creatio modo Patri modo Filio tribuatur, nusquam tamen, si ab hoc loco de cuius lectione dubitamus discedas, *Deus per Filium* mundum creasse legitur; id quod omnino mirum nobis videri debet, si carminis istius sensus verus est. Cur v. c. Ioannes, cum in Evangelii initio et τον θεον et τον λογον commemorasset, post verba: ὁ λογος ἠν ἐν ἀρχῃ προς τον θεον, simpliciter pergit: παντα δι' αὐτου ἐγενετο? Quid causae fuit, cur non lectoribus accuratius rem ita exponeret; και ὁ θεος

πάντα δι' αὐτοῦ ἐποίησεν, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐποίησεν οὐδέν?

Sed haec hactenus velut in transcursu. Praefandi vero haec occasionem nobis praebuit CANDIDATUS summorum in Theologia honorum longe dignissimus, quem ipsum de se suisque rebus narrantem audire iuvabit.

Ego, ERNESTUS ADOLPHUS WEBER, *natus sum Rostochii ipsis Kalendis Novembribus A.* MDCCLI. *Patrem habui* IOANNEM CHRISTIANUM WEBER, *Duci Megapolitano a consiliis aulicis; matrem*, MARIAM IUSTINAM HABERKORN. *Puerilis aetas praeceptis religionis primisque literarum atque linguarum rudimentis imbui coepit; praetextatus ad ea, quae ad Academica studia ingenium praepararent, accessi. Scholas nunquam publicas frequentavi; verum eorum, qui sollertissime in ingenio iuvenili meo formando versati fuerunt*, MAGISTRORUM, *merita grato nunquam excident pectori. Quantum enim* ILLIS *debeam, qui viam haud qualemcunque, sed eam, quam ipsi de industria excogitassent ac mihi meoque ingenio accommodavissent, me duxerunt; quibus haud satis fuit, levi cum industria artium ac scientiarum praecepta tantum proponere, sed qui insigniori me amplexi fuerunt benevolentia, nec literarum modo, sed virtutis quoque ac bonae indolis semina in mente mea posuerunt; quantum* HIS, *inquam, debeam* TALIBUS VIRIS, *omni vitae tempore menti infixum haerebit. — Anno* MDCCLXIX *semestri aestivo in Academia Rostochiensi inter auditores Celeberrimorum huius Academiae Professorum versatus sum. Eodem*

anno sub tempus festi Michaelis diei Goettingam me contuli, ibique, ne a TANTORUM, *quorum ubique gloria claret,* VIRORUM *ore temere pependisse viderer, operam dedi. Post triennium tandem curriculo, quod Academicum vocari solet, absoluto, sex adhuc menses expoliendis iis, quae didicissem, eodem in loco tribui, ac sub tempus Sacrorum Paschalium A.* MDCCLXXIII *in patriam redii. Eodem anno Academiam Buetzoviensem adii, gradumque Doctoris Philosophiae in illa accepi. Quo accepto, eodem anno Rostochii cum mathematicas, tum theologicas scholas aperire coepi. Tempus, quod ab his mihi vacuum erat, in concionibus sacris habendis studiisque privatis consumtum est. Hac ratione quum triennium peregissem, visum mihi fuit, ut illam Musarum sedem, in qua vitam academicam egissem, reviserem. Itaque A.* MDCCLXXVI. *Goettingam redii, interque huius Academiae privatos Doctores receptus sum. Neque ita multo post A.* MDCCLXXVII *concionatoris secundi in templo Academico munus mihi collatum est. Quo per biennium functus a munere Professoris Extraordinarii Philosophiae ineundo revocatus sum per vocationem ad tertiam ordinariam Theologiae Professionem in Academia Ienensi. Quo in munere inde ab initio Anni* MDCCLXXX *operam dedi, ut erga* SERENISSIMOS *huius Academiae* NUTRITORES *pro tantis* IPSORUM *in me clementiae signis conspicuis gratissimam devotissimamque mentem in officiis meis sedulo observandis ostenderem.*

Praeter commentatiunculas quasdam in lucem edidi duo scripta, quorum prius A. MDCCLXXVIII. *editum inscribitur: Versuch ueber die Aehnlichkeit mit Gott; posterius,*

quod A. MDCCLXXX. *prodiit, collectionem continet quarundam orationum sacrarum pro concione habitarum.*

Iam ut rite et ex instituto maiorum VIR SUMME REVERENDUS ET EXCELLENTISSIMUS Doctoris Theologiae dignitatem atque privilegia consequatur, crastino die horis XI. et II. praelectiones solemnes habebit *de iustitia divina vindice;* perendie autem dissertationem suam inauguralem *de ratione simili atque opposita regenerationis atque relapsus* ante et post meridiem defendet, quibus peractis summi in Theologia honores publice in Ipsum conferentur.

Cui utrique solemnitati ut interesse velint MAGNIFICUS ACADEMIAE PRORECTOR, COMES S. R. I. ILLUSTRISSIMUS, PATRES CONSCRIPTI VENERANDI, RELIQUI PROFESSORES ET DOCTORES CELEBERRIMI, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES DENIQUE GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE, ea qua quemque decet observantia Ordinis mei verbis etiam atque etiam rogo.

P P. Ienae, sub sigillo Collegii Theologorum a. d. XXII. Martii A. O. R. MDCCLXXXI.

XIII.

D. Io. Iac. Griesbachii commentatio de verbo prophetico 2 Petr. I. 16-21. scripta primum annis 1781 *et* 1782, *iam recognita et aucta.*

Nobilis est epistolae posterioris quae Petro attribuitur locus cap. 1. comm. 16 — 21. in quo auctor non solum Christianos monet, ut omni mentis acie contemplentur prophetica oracula, tanquam lucentem in obscuro loco lucernam, verum disertis etiam verbis docet, prophetas vaticinia sua edidisse non propriae suae voluntatis motu concitos, sed divino Spiritus Sancti afflatu animatos. Sed quo maioris momenti sunt quae hic traduntur, eo magis dolendum est, locum tam insignem variis difficultatibus esse impeditum: id quod tum ultro fatentur interpretes, tum incredibilis eorum in exponenda hac pericopa dissonantia, vel ipsis tacentibus, arguit. Decertant vero potissimum inter se, ut alia, quae minoris sunt momenti, taceamus, primum, quis sit ille προφητι-

νος λογος, quae προφητεια γραφης, in cuius laudes excurrat epistolae auctor; deinde, quonam sensu λογος hic βεβαιοτερος dicatur, et quid sit id, quocum, velut cum re minus firma, comparetur; denique, quaenam potestas subiecta sit formulae: ἰδιας γινεσθαι ἐπιλυσεως? Antiquiores commentatores, licet de ἐπιλυσεως notione inter se dissentirent, nulli tamen dubitarunt, auctorem comm. 19. 20. 21. loqui de *Veteris Testamenti* vatibus, atque docere, horum oracula de Iesu Christo eiusque vita, rebus gestis, morte, resurrectione et imperio glorioso, omnium firmissima esse pro veritate religionis christianae argumenta; vel ipso Apostolorum testimonio certiora. Cupide usitatam hanc loci nostri interpretationem arripuit, callideque in suam rem convertit vaferrimus christianae religionis adversarius, cuius vestigia alii deinceps presserunt, Collinsius. Is enim *) ex vulgari commatum istorum interpretatione efficere conatus est, nullum pro religione christiana argumentum, ne eo quidem excepto, quod a miraculis petitur, comparari posse cum hoc, quod e vaticiniis in V. T. obviis ducitur: quare, si hoc satis validum sit, veram esse Christianorum religionem: sin infirmum sit, oppido falsam omnique iusto fundamento destitutam esse ipsorum de divina Iesu Christi mis-

*) Vide eius *Discourse of the Grounds and Reasons of the christian Religion*: Lond. 1724. p. 27. et Eiusdem *Scheme of litteral prophecy considered*. Lond. 1727. p. 341.

sione persuasionem, quamquam miraculis suffultam *).
Quo posito, velut ab omnibus, Petro praeeunte, concesso, omnem movit lapidem, ut probaret, levissimum esse hoc argumentum, utpote allegorica ac typica Prophetarum interpretatione unice innixum. Itaque causae christianae patroni inde ab eo tempore nulli pepercerunt operae, ut telum, quo Collinsius iugulare ipsos intentaverat, e manibus eius extorquerent, et locum nostrum ita explanarent, ut nullum hosti praesidium in eo relinqueretur; id quod variis modis aggressi sunt. Plerique eam quidem loci interpretationem, quae προφητικον λογον de vaticiniis Veteris Testamenti explicat, retinuerunt **), hoc tamen discrimine, ut pars vaticinia cum miraculis vel autoptarum testimonio conferri negarent, ac prophetarum oracula cum alia quadam re, v. c. cum μυθοις σεσοφισμενοις vs. 16. comparari contenderent ***); alii, praeeuntibus Luthero aliisque βεβαιο-

*) *Discourse* pag. 31. sqq.

**) Retinuerunt eam nuperrimi etiam in epistolam nostram commentatores, nominatim SEMLERUS, MICHAELIS, MORUS, SCHIRMERUS, GOEPFERTUS, HEZELIUS, POTTIUS, CARPZOVIUS, ROSENMUELLERUS, una cum SCHLEUSNERO in *Lexico N. T.* et novarum versionum auctoribus: BAHRDTIO, BRENTANO, STOLZIO, aliis.

***) Vid. EDWARD CHANDLER's *defence of Christianity from the prophecies of the O. T.* Lond. 1725. pag. 1. sqq. SEMLERUS in *paraphrasi in h. l.* qui μυθους σεσοφισμενους interpretatur falsas narrationes de Iesu Christi historia omni, et inprimis varia de externa regni Messiani pompa vaticinia, quae sub Mosis, Eliae aliorumque nominibus tempore

τερον loco βεβαιον seu βεβαιοτατὸν positum esse asseverarent *); plerique verba: ἐχομεν βεβαιοτερον τον προφητικον λογον, de novo robore acciperent, quod argumento a vaticiniis ducto inde ab eo tempore accesserit, quo coelestem Christi gloriam in monte Ithabyrio coram adspicere divinamque vocem coelitus delabentem auribus suis percipere licuisset Apostolis, vel, ut malunt alii, quo praedictionum veritas ipso eventu comprobata esset **). Sed fuerunt etiam nonnulli, licèt numero pauci, qui abiecta penitus veterum commentatorum auctoritate, λογον προφητικον de vaticiniis prophetarum *Novi Testamenti* interpretari mallent. Ex hoc genere sunt Thomas Sherlock ***), impugnatus quidem a Middleto-

isto circumferebantur. Talibus confictis λογοις προφητικοις opponi putat partim Petri, ἐποπτου, qui in monte harum rerum nihil ex Mose et Elia audierit, auctoritatem, partim προφητικον λογον in V. T. libris, μυθοις istis multo βεβαιοτερον. — Alios, sed similes, enodandi h. l. modos, a viris doctis tentatos, quos enumerare longum foret, recenset Imm. Hoffmannus in *Observationibus philolog. crit. ad periocham* 2 Petr. 1, 16-21. Tubingae 1770. pag. 19-23.

*) Auctor Anonymus libelli, qui inscribitur: *Remarks on the various interpretations, of the more sure word of Prophecy*, 2 Petr. 1, 19. *which have been lately published*, Lond. 1726. pag. 34. Alii.

**) Hanc interpretationem, cui, ni fallimur, recentiorum plerique inter nostrates calculum suum adiecerunt, post alios exornavit Zachariae in *biblische Theologie*, vol. 1. p. 37. sqq.

***) *The Use and Intent of Prophecy, in six discourses*, Edit. 6. Lond. 1755. p. 8. et praesertim p. 23.

mio *), aliisque **), defensus vero a RUTHERFORTHIO ***), BARRINGTONIUS †) et BENSONIUS ††); quibus addere licet et ISAACUM et THOMAM NEWTONIOS †††). Verum hi quoque admodum inter se discrepant, et expositionibus suis admiscere solent nonnulla, quae vel precario sumta vel dubia saltim videri possunt. Quamobrem operae pretium nos facturos esse speramus, si proposita, quam fieri poterit brevissime, ea interpretatione, quae caeteris probabilior nobis videtur, Lectoribus in verum tam controversi loci sensum curatius inquirendi occasionem praebeamus.

---

*) *Examination of the Lord Bishop of London's Discourses concerning the Use and Intent of Prophecy.* Lond. 1750. pag. 25. 47. 67. et praecipue p. 79.

**) Vid. BARRINGTONII *miscellanea sacra, or a new method of considering the history of the Apostles.* Lond. 1725. vol. 1. in *the Postscript* praefationi adiecto pag. 47. sqq. Adde *Anonymum* Anglum paullo ante laudatum.

***) *Defence of the Ld. Bp. of London's discourses, in a letter to Dr. Middleton*, Cambridge 1750. inprimis pag. 61.

†) *Miscellanea sacra* vol. 1. pag. 104. Hic auctor λογον προφητικον haud differre censet a λογῳ σοφιας και γνωσεως, 1 Cor. 12, 8. hoc est, ex ipsius sententia, a coelesti illuminatione, qua Spiritus S. Apostolis universam religionis christianae formulam revelavit.

††) Rectius fere caeteris sensum loci nostri tradidisse videtur, saltim utilibus annotationibus locum illustravit, in *a Paraphrase and notes on the seven catholic Epistles*, Lond. 1756.

†††) SIR ISAAC NEWTON'S *observations upon the prophecies of Daniel and the Apocalypse*, Lond. 1733. pag. 240. sqq.

Ut vero rectius procedat nostra in loci vexatissimi sensum investigatio, iuvabit in memoriam revocare universam argumenti, quod auctor epistolae, quisquis ille fuerit, tractandum sibi sumsit, rationem, atque indagare finem, quo omnia tendant. Nempe propositum ipsi est, prospicere lectoribus suis, ne a falsis doctoribus, inter Christianos latentibus, quorum vita aeque describitur detestabilis ac doctrina, abriperentur tum ad flagitia christiano homine indigna, tum ad errores perniciosissimos. Hinc primum cap. 1. comm. 3 - 11. ad virtutis studium eos inflammat, deinde a comm. 12. ad cap. 3. comm. 13. ne a seductoribus decipi se patiantur, ita hortatur, 1) ut, (praemissa brevi admonitione comm. 12 - 15. quibus causis permotus necessarium duxerit, ut ad retinendam firmiter eam doctrinae purioris partem, quae a ψευδοδιδασκαλοις non depravabatur solum sed deridebatur etiam, eos iterum iterumque incenderet,) rationes comm. 16 - 21. exponat, ob quas certo persuasi esse possint lectores, vera esse ea doctrinae ab Apostolis traditae capita, quae a falsis doctoribus

---

et THOMAS NEWTON's *Dissertations on the prophecies*, Edit. 3. Lond. 1766. vol. 3. pag. 367. Uterque apocalyptica vaticinia hic potissimum describi opinatus est, adstipulante etiam, ut alicubi relatum legimus, WARBURTONIO in *Sermons* vol. 8. pag. 260. de Pauli et Ioannis vaticiniis locum nostrum interpretante. Addi potest S. L. MAIEVIUS, qui in *animadversionibus ad varia loca N. T.* Trai. ad Rh. 1764. pag. 43. προφητικον λογον notare autumat universam revelationem scripto consignatam.

iam impugnentur; videlicet α) Apostolos, την δυναμιν και παρουσιαν Christi praedicantes, testes fuisse oculatos summae ipsius maiestatis, β) vatum oracula, quamquam ante eventum subobscura, fide tamen esse dignissima, utpote ex divino afflatu prolata: 2) ut seductorum perditissimos mores pessimaque consilia vivis coloribus depingat, cap. 2.; et 3) ut ψευδοδιδασκαλων, quorum molimina Christianis sagacioribus non possint esse plane inexspectata, prava dogmata convellat. cap. 3, 1 - 13. Quibus peroratis, repetit comm. 14 - 18. admonitionem, ut sibi caveant ab istorum hominum cum sceleribus tum erroribus, neque ab iis imponi sibi patiantur, qui vel ipsis Pauli scriptis, quo colorem suis figmentis inducant, abutantur.

Diximus, auctorem cap. 1, 12 - 21. id agere, ut lectores confirmet in persuasione, veram esse eam doctrinae christianae *partem*, quam adversarii impugnabant; neque eorum nobis probatur ratio, qui isto loco argumenta, quibus universae religionis christianae veritas generatim demonstrari queat, proponi arbitrantur. Certe pravi isti doctores inter Christianos degebant, cap. 2, 1. eorumque agapas frequentabant, cap. 2, 13. (coll. Iud. comm. 12. ubi procul dubio idem hominum genus indigitatur,) adeoque pro Christianis haberi et ipsi cupiebant. Nec ullum in universa hac epistola occurrit vestigium, ex quo colligi possit, religionis christianae veritatem universim ab ipsis in dubium fuisse vocatam, sed omnia potius eo nos deducunt, ut unum alterumque tantum

christianae fidei caput ab eis impugnatum fuisse credamus. Igitur nec opus erat nec usus, auctorem universae doctrinae ac religionis nostrae defensionem in se suscipere, sed ea tantum eius pars, quae hostium telis petebatur, iam erat tuenda. Quaenam autem haec fuerit, tum ex universae epistolae tenore nullo negotio perspicitur, tum cap. 3, 4. satis aperte declaratur; doctrina scilicet ac promissio de *adventu Christi*, cuius mentio, adhibito eodem vocabulo *παρουσια*, iniicitur etiam comm. 12. et cap. 1, 16. In *hoc* vindicando cardinem verti totius tractationis, patet ex eorum locorum inter se comparatione, in quibus auctor consilium, quod in scribendo sequatur, patefacit. Nam cap. 1, 12. *διο*, inquit, *οὐκ ἀμελησω ὑμας ἀει ὑπομιμνησκειν* ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΩΝ: locutus autem antea fuerat de *εἰςοδῳ εἰς την αἰωνιον βασιλειαν χριστου*. Mox pergit comm. 15. *σπουδασω, ἐχειν ὑμας την* ΤΟΥΤΩΝ *μνημην ποιεισθαι*, quod aperte respicit ad prius *τουτων* comm. 12., adeoque ad *βασιλειαν αἰωνιον*. Addit vero statim comm. 16. *οὐ* ΓΑΡ *σεσοφισμενοις μυθοις ἐξακολουθησαντες ἐγνωρισαμεν ὑμιν την του χριστου δυναμιν και* ΠΑΡΟΥΣΙΑΝ. Deinde cap. 3, 1-4. hanc, inquit, iam alteram vobis scribo epistolam, ut eorum, quae tum prophetae praedixerunt, tum nos, Apostoli, praecepimus, commonefaciam vos, hoc in primis scientes, (ex ista doctrina scilicet prophetarum et Apostolorum, quam in memoriam vobis iterum iterumque vocare elaboro) postremis temporibus venturos esse derisores, suis cupiditatibus obsequentes, atque dicentes:

που εστιν ἡ επαγγελια της ΠΑΡΟΥΣΙΑΣ αὐτου; h. e. promissum Christi adventum praefracte negantes, et in ludibria eum vertentes. Denique comm. 14. 15. finem impositurus epistolae: quapropter, inquit, cum tantam tamque exoptatam exspectetis rerum omnium, imo coeli et terrae, mutationem, (cum illo adventu Christi coniunctam,) operam dare vos decet, ut impolluti inculpatique reperiamini (tempore istius adventus); Domini vero nostri (promissum adventum differentis) μακροθυμιαν eo spectare vobiscum reputetis, ut vestrae prospiciatur saluti. — Ex his manifestum est, in tota hac epistola occupatum esse auctorem in inculcanda vindicandaque doctrina de *adventu Christi.*

Quisnam igitur sit adventus iste, praesertim comm. 16., curatius ante disquirendum est, quam pedem ulterius promoveamus. Δυναμιν και παρουσιαν idem valere ac παρουσιαν δυνατην, et δυναμιν, ut Ebraeorum עֹז; explicari posse per μεγαλειοτητα sive maiestatem, adeoque δυναμιν και παρουσιαν commode reddi gloriosum adventum, ab aliis dudum observatum est. Hunc adventum plerique fere interpretes intelligunt de primo Iesu Christi in hunc mundum ingressu, cum per triginta et quod excurrit annos inter mortales viveret Salvator optimus; alii adventum ipsius ad subvertendam Iudaeorum metropolin et rempublicam indicari contendunt: alii denique de reditu Christi ad celebrandum extremum iudicium omnia explicanda esse praecipiant. Postremam in-

terpretationem nos quidem veriorem esse iudicamus*), pluribus inducti rationibus. Nam 1) universa omnium

---

*) Haud repugnabimus tamen, si quis duas posteriores significationes coniungere et statuere malit, primos Christianorum doctores, quanto temporis intervallo prior ille adventus ad iudicium in Iudaeos exercendum ab altero illo et extremo seiunctus sit, aeque ac nos ignorasse, atque hoc unice scivisse, posteriorem similem futurum esse furi inopinato obrepenti, et domos eo, quo minime exspectatur, tempore subito invadenti. Neque mirum nobis videri deberet, si vel maxime epistolae nostrae auctor existimasset, novissimum iudicii diem non ita multo post secuturum esse Hierosolymorum eversionem. Nam opinio haec (ad doctrinam salutarem ipsam neutiquam spectans) de appropinquante iam mundi fine, non solum isto tempore pervulgata erat apud Iudaeos, verum, quod maxime h. l. notandum est, ipsa etiam praedictionis Christi ambiguitas, quae, ut solet in vaticiniis, per eventum demum sublata est, auctorem in ista sententia populari confirmare quodammodo potuit. Praedixerat enim Christus Matth. 16, 27. 28. Marc. 8. 38. 9, 1. Luc. 9, 26. 28. rediturum se esse in gloria patris sui angelorum exercitu stipatum, ad remunerandos pios puniendosque scelestos, et esse e praesentibus discipulis nonnullos, qui ante morituri non sint, quam vidissent τον υἱον του ἀνθρωπου ἐρχομενον ἐν τῃ βασιλειᾳ αὐτου, sive βασιλειαν του θεου ἐληλυθυιαν ἐν δυναμει. Haec Salvatoris verba in tribus Evangelistis modo laudatis proxime excipit, nulla alia re interiecta, narratio de transfiguratione Christi in monte. Atque hinc facile est intellectu, quid sit quod Noster, facta comm. 16. της παρουσιας του Χριστου mentione, mox comm. 17. ad transfigurationem illam provocet, et illius veritatem ex hac confirmare studeat. Videlicet oculis suis iam usurpasse sibi procul dubio videbantur Petrus, Iacobus et

totius epistolae partium cohaerentia satis, ut modo vidimus, docet. adventum Christi de quo auctor loquitur commate nostro 16, haud differre ab eo adventu, quem graphice pingit capite 3. Hunc vero non esse *ἐνσαρκωσιν* filii Dei humilemque eius vitam terrenam, tam certum est, quam quae sunt certissima. Magno potius consensu interpretes tantum non omnes *) statuunt, et valide e comm. 6. 7. 10. 12. colligunt, capite tertio describi reditum Christi e coelo ad exercendum iudicium extremum, et mundi huius finem. 2) Idem etiam e connexione supra indicata **) nostri commatis 16. cum antecedente comm. 11. efficitur. 3) Scriptores sacri vocabulum *παρουσια* ea significatione, quam hic defendimus, frequen-

---

Ioannes istius *μεγαλειοτητες του δοξης*, qua reditum suum illustrem futurum esse paucos ante dies praenunciaverat Dominus, quandam quasi speciem. Utut haec sunt, *παρουσιαν* h. l. nisi unice, potissimum tamen, ad novissimum Christi adventum spectare tenemus.

*) Excipiendus est v. c. HAMMONDUS, qui de Hierosolymorum excidio pericopam hanc interpretatur, sed in torquenda scriptura, CLERICO iudice, semet ipse superavit, ne in hoc capite inveniret rerum omnium finem.

**) Quae de nexu cum antecedentibus diximus, eo etiam confirmantur, quod *το' ἐγνωρισαμεν την παρουσιαν* aperte refertur ad praecedens *ὑπομιμνησκειν* comm. 12. *ὑπομνησει* comm. 13. et *μνημην* comm. 15. Et observari praeterea meretur, idem vocabulum *ὑπομνησις* recurrere cap. 3, 1. ubi procul dubio de re quadam futura agitur; id quod novo nobis indicio esse potest, in omnibus his locis eandem rem ab auctore tractari.

tissime usurpant, ut vel ex sola priore ad Thessalonicenses epistola cap. 2, 19. 3, 13. 4, 15. 5, 23. notum est. 4) Saepius in epistola nostra recurrens prophetiae seu prophetarum cap. 1, 19. 20. 21. 3, 2. coll. cap. 2, 1. et praedictionis sive promissionis cap. 3, 2. 4. 9. 13. mentio haud obscure indicat, obversatos fuisse ante oculos auctoris, eo quo haec scriberet tempore, eventus futuros, non praeteritarum rerum historiam. Atque huic cogitationi de glorioso Salvatoris e coelo reditu lubenter immoratum esse Petrum *), e priore quoque eius epistola cernere licet, in qua *ἀποκαλυψιν ἰησου χριστου* seu *της δοξης αὐτου*, quae non differt a *παρουσιᾳ* eius, saepe saepius commemorat. Vide 1 Petr. 1, 5. 7. 13. 4, 23. 5, 1.

Quae si ita sunt, sensus comm. 16-18. sic constituatur **) necesse est: „Haud desinam, quoad us-

---

*) Qui Petrum epistolae nostrae auctorem esse negant, fateri tamen debent, auctorem Petri personam induisse, deditaque opera hunc imitatum esse.

**) E numeroso recentiorum commentatorum agmine, quod supra nota c) recensuimus, consentientes nobiscum habemus tantum MICHAELEM in *Anmerkungen zu seiner Uebersetzung des N. T.*, SEMLERUM in *paraphrasi*, et STOLZIUM in versione N. T. teutonica. Addere tamen his licet HESSIUM in *Geschichte der Schriften der Apostel Iesu*, et Auctorem libri qui inscribitur: *Philosophische Vorlesungen über das sogenannte N. T.* tom. 6. p. 38. Contra vero TYCHSENIUS, qui singulari libello *de παρουσια Christi et notionibus de adventu Christi in N. T. obviis*, Gottingae 1785., docte scripsit, vulgari loci nostri interpretationi calculum suum adiecit.

que vivam, quavis oblata occasione, sedulo in memoriam vobis revocare praemia, quae Christi cultores manent, et regni illius aeternum duraturi (comm. 11.) felicitatem, cuius participes erunt, qui genuinae virtuti ita, uti paullo ante (comm. 7 - 10.) dictum est, student. Atque eo magis hoc mihi curae cordique est, quoniam scio, longe certissimam esse hanc felicitatem, ad cuius spem excitare vos satago. Nos Apostoli enim conscii nobis sumus, nequaquam confinxisse nos ea, quae de glorioso Domini nostri reditu et de futuri eius regni splendore vobis tradidimus; uti neque nobis ipsis subdolorum hominum technae imponere potuerunt: sed ea docemus, de quorum veritate certissime nobis constat. Quomodo enim prophetarum effata de futura Domini gloria in dubium vocare possemus nos, qui iam antehac summae ipsius gloriae ac maiestatis testes fuimus oculati? Nam egomet ipse, una cum Ioanne et Iacobo, praesens adfui, cum in monte illo sancto Deus Pater summam Domini nostri dignitatem ac maiestatem declararet; oculis nostris vidimus splendorem quo circumdatus erat coelestem, auribusque nostris percepimus vocem divinam, qua Dei Filius proclamabatur. Quae tum cernere atque audire nobis licuit, indubio nobis sunt documento, certissime suo tempore esse eventura, quae de glorioso Christi reditu et de regni eius maiestate vaticinati sunt prophetae. Ex praeteritis, quae vidimus, auguramur futura, quae exspectare nos iubent prophetae; atque sic βεβαιοτερον ἐχομεν τον προφητικον λογον."

Quid προφητικου λογου nomine hic veniat, facili, ni fallimur, negotio ex iis definiri iam poterit, quae hactenus disputavimus. Haec enim si recte se habent, dubitare vix licet, intelligenda hic esse vaticinia de glorioso Christi reditu, a *prophetis christianis* prolata, sive προφητειαν περι της του κυριου ἡμων Ἰησου χριστου δυναμεως και παρουσιας. Huic interpretationi ut assentiamur, suadet non solum universum epistolae argumentum, supra a nobis delineatum, sed postulat etiam nexus cum praecedente oratione, quacum, uti vel ipsa sermonis structura prodit, verba: και ἐχομεν βεβαιοτερον τον προφητικον λογον arctissimo vinculo copulata sunt. Nam το ἐχομεν, cum ἐγνωρισαμεν vs. 16. et ἠκουσαμεν vs. 18. cohaerens, hanc commatis partem cum antecedentibus connectit, atque indicat, pergere auctorem in priori hoc hemistichio de se caeterisque Apostolis loqui; contra vero mutatus in τῳ καλως ποιειτε sermo, et ad lectores sese convertens oratio, posteriorem commatis partem a priore liquido seiungit. Iam si maioris interstinctionis signum ponatur post verba προφητικον λογον, incisumque hoc penitus a sequenti dirimatur, neminem fore putamus, quin ultro fateatur, prophetiam non posse aliud quidquam significare, quam vaticinia de futuro reditu Christi: quo sensu admisso, omnia inde a comm. 16. ad comm. 19. med. plana sunt et extricata, atque argumento universae epistolae scribentisque scopo consona. Etenim quae verborum istorum expositio magis his consentanea excogitari potest hac, quae προφητικον λο-

11) *prophetae* christiani *apostolis* quidem iunguntur, attamen ab eis distinguuntur. Itaque nostro etiam loco prophetas intelligimus ab Apostolis diversos. Sed nec ad Christi ipsius de reditu suo praedictiones, quales Matth. 24. et alibi leguntur, spectasse auctorem nostrum, inde patet, quod cap. 3, 2. plurali numero τους ἁγιους προφητας laudavit, et cap. 1, 21. ad fidem faciendam oraculis ab ἁγιοις Θεου ἀνθρωποις prolatis, argumento usus est, in cuius locum aliud procul dubio substituisset, si in vindicanda Christi ipsius summa auctoritate elaborasset. Tandem, quo minus προειρημενα ῥηματα ὑπο των ἁγιων προφητων quaeramus in scriptis *Veteris* Testamenti propheticis, obstat *) ipsum argumentum capitis ter-

*) 1 Petr. 1. 10-12. prophetae quidem Vet. Test. ponuntur iuxta doctores Novi Foederis; sed hinc effici non potest, nostro etiam loco, ubi simili fere modo apostolis iunguntur prophetae, per hos indicari iudaicos vates. In singulis locis e scopo, contextu, caeterisque περιστασεσι iudicandum est, utrum de Novi an de Veteris Test. prophetis auctor loquatur. Silentio etiam praetermittendum non est, sententiae nostrae contraria videri, quae mox post nostrum locum leguntur cap. 2, 1. de pseudoprophetis *iudaicis*. Sed paucis hic notasse sufficiet, ψευδοδιδασκαλους illos, qui Christianis reditum Christi exspectantibus illudebant, cap. 3, 3. procul dubio prophetas, reditum illum praenunciantes, pseudoprophetas compellasse. His respondet auctor noster: fateor, non omnes, qui prophetas se profitentur, veri nominis esse prophetas divino afflatu actos; scimus enim, vel inter *Iudaeos* fuisse *pseudoprophetas*; sed scimus etiam, Christum praedixisse, inter *Christianos* fore *pseudodidascalos*.

tii, quod tum de empaectis, ἐπ' ἐσχατου των ἡμερων homines seducturis, tum de mundi huius praesentis interitu per ignem *talia* continet, de quibus in libris V. T. vix ulla reperiri poterunt vestigia. Atque ex his omnibus luculenter apparere arbitramur, λογον προφητικον recte accipi de *christianorum* prophetarum anonymorum oraculis iam deperditis. Verum, si largiri vel maxime vellemus, prophetarum nomine comprehendi in epistola nostra vates et iudaicos et christianos, tamen, si ex orationis serie ac contextu res iudicatur, hoc certum esse videtur, προειρημενα ὑπο των προφητων cap. 3, 2. non esse ea prophetarum carmina, quae Messiae nativitatem, fata etc. celebrant, sed ea potius, quibus gloriosus eius reditus canitur. Similiter, si daremus, quod tamen vix concedendum esse arbitramur, προφητικον λογον cap. 1, 19. non esse tam angustis limitibus circumscribendum, ut prophetarum iudaicorum, Apostolorum et ipsius Domini nostri praedictiones penitus excludantur, hoc tamen firmiter tenemus, ea tantum intelligenda esse oracula, quae futurum Christi reditum praenunciant. Caeterum parum nostra refert, utrum βεβαιοτερον loco superlativi positum esse statuas, hoc sensu: firmissima habemus sive reputamus *) prophetarum oracula; an vero vertas:

---

*) Ut Matth. 14, 5. Marc. 11, 32. Act. 20, 24. et apud Lysiam ὑπερ των Ἀριστοφανους χρηματων. Ed. Reisk. pag. 613. τουτο ἔχοι ἀν τις δεινοτατον. Adde Isocrat. Panathenaic. Ed. Wolfii pag. 565.

confirmatiora habemus; scilicet, quae Apostoli viderant in monte futurae Christi maiestatis quasi emblemata, efficiebant, ut de gloriosi illius reditus veritate iam persuasum ipsis esset certius, quam si talis visio ipsis non contigisset. Scite Oecumenius: βεβαιοτεραν, inquit, κρινομεν δια τουτων την προφητειαν.

Ὡι καλως ποιειτε προσεχοντες, ὡς λυχνῳ φαινοντι ἐν αὐχμηρῳ τοπῳ, ἑως οὑ ἡμερα διαυγασῃ και φωσφορος ἀνατειλῃ ἐν ταις καρδιαις ὑμων: hoc est: „Iam imitamini exemplum nostrum, o boni, atque scitote, ius fas esse, vos quoque oraculis prophetarum de futuro Christi adventu, de fine mundi, et de splendidissimo aeternoque Domini nostri regno, non attendere solum, sed fidem etiam assensumque praebere *). Subobscura sunt quidem ista vaticinia; fateor: nam nec temporis momentum, quo venturus

---

*) De hac significatione vocabuli προσεχειν conf. Krebsii *observat. in N. T. e Flavio Josepho ad* Act. 8, 9. ubi locus etiam Iosephi notatur (de B. I. VI. 5. 3.) in quo προσεχειν et πιστευειν tanquam synonyma iunguntur, aliusque (*contra Apion. libr.* I. §. I.) quo μη προσεχειν et ἀπιστειν ut eiusdem significatus voces coniunctae inveniuntur. Atque hunc significatum h. l. postulat membrorum orationis inter se relatio: *Nos Apostoli* oracula vatum *firmissima reputamus, vosque* similiter decet, iisdem προσεχειν. Nolim tamen alteram significationem, qua ponitur pro *attendere*, plane excludere; haec enim sequenti comparationi cum λυχνῳ φαινοντι optime convenit. Auctor duos significatus, distinctos quidem at cognatos tamen, confundere hic videtur.

sit Dominus, exacte definiunt; nec omnes adventus eius περιστασεις ad vivum resecant. Verum, quemadmodum qui in tenebricosis locis *) degunt, lucernulae lumen neutiquam spernunt, sed lubentes ac laetabundi eo fruuntur, donec dies illucescat et lucifer, orientis solis praecursor **), nocti finem imponat: ita vos quoque ad ista vatum carmina, quae de rebus futuris utcunque vos commonefaciunt, animum advertere decet, donec ex indubiis signis intelligatis ***), exspectatam ἡμεραν praedictae dudum παρ-

---

*) Non est, cur ea, quae alii de hac significatione vocabuli αὐχμηρος collegerunt, huc transscribamus.

**) ΦωςΦορος Suidae est ὁ ἡλιος. Sed commode retineri potest usitatior significatio, qua Luciferum sive stellam matutinam indicat. Lucifer enim, sub diluculum exoriens, solem cito adfuturum annunciat. *S*ynonymae igitur phrases sunt ἡ ἡμερα διαυγαζει et ὁ ΦωςΦορος ἀνατελλει. Utraque tenebrarum finem, cum nox it in diem, describit. Apte autem formula, ἡμερα διαυγαζει de eius eventus initio adhibetur, quem scriptores sacri, et nostrae epistolae auctor ipse cap. 3, 10. 12. την ἡμεραν του κυριου simpliciter vocare solent. Nec minus apte scripsit Noster: ἑως ΦωςΦορος ἀνατειλῃ. Ut primum enim illius diei, qui ἡμερα κυριου vocatur, crepusculum quasi incipiet, certo certius patebit, diem ipsum, sive την παρουσιαν χριστου, iamiam instare, omnesque de certo vaticiniorum eventu dubitationes sponte evanescent. ΦωςΦορος respicere videtur ad indubia signa, istum diem praecurrentia, e quibus de propinquo Domini adventu ita constare hominibus possit, uti e matutinae stellae ortu diem iam adesse omnes colligunt.

***) Ἐν ταις καρδιαις ὑμων iungimus cum ΦωςΦορος ἀνατειλῃ. Nimis enim contorta nobis videtur eorum ratio, qui

ουσιας χριστου adesse et illucescere iamiam coepisse; qua die eventus ipse, velut sol clarissima luce omnia collustrans, ignorantiae tenebras cum dubitationis nebulis ex animis vestris dispellet, irrisorum vero profanam temeritatem coarguet. Itaque scrupulum vobis iniicere, aut vatum apud vos auctoritatem imminuere neutiquam debet oraculorum sive obscuritas sive ambiguitas.“

Τουτο πρωτον γινωσκοντες, ὁτι πασα προφητεια γραφης ἰδιας ἐπιλυσεως οὐ γινεται. „Recte sic a me statui, facile perspicietis, si sedulo vobiscum hoc in primis reputare velitis, omnia vaticinia in libris, quos sacris accensemus, obvia, ita comparata esse, ut, per se obscura, declaratione indigeant, aliunde (et maxime quidem ab eventis) petenda.“ Ἐπιλυσις*), nobis quidem iudicibus, est obscura-

---

ad προσεχοντες, aut ad verba φαινοντι ἐν αὐχμηρῳ τοπῳ referunt. Eo tantum consilio haec verba adiecta esse putamus, ut lectores intelligant, φωσφορου ἀνατολην non proprie accipiendam esse de diluculo physico eius diei, quo Christus appariturus sit, sed, *tropice* intelligi debere de signis παρουσιαν eius antecedentibus. Haec signa simulatque observabuntur, animo praesagire licebit, instare nunc adventum Domini, nec ulla supererit dubitatio, verissima esse nec eventu caritura prophetarum ea de re oracula.

*) Coniecturis Criticorum, qui ἐπηλυσιν, vel ἐπιλευσιν, vel ἑμπνευσιν in locum ἐπιλυσεως substituere ausi sunt, nec opus est nec usus. Lectio omnium codicum sensum exhibet bonum et contextui admodum convenientem. Unicus vero codex, qui διαλυσεως habet, tantum abest ut lectionem vulgarem dubiam reddat, ut potius eam luculenter confir-

rum rerum, velut somnii, aenigmatis, parabolae, vaticinii, enodatio *). Hunc significatum usus loquendi cum profanorum tum sacrorum et Veteris et Novi Testamenti (v. c. Marc. 4, 34) scriptorum confirmat **), eundemque contextus ac auctoris consilium non admittunt solum, sed plane postulare videntur; quae vero a viris doctis ad impugnandam hanc interpretationem in medium prolata sunt, vel exigui, nedum nullius, momenti sunt ***), vel aliis quidem obstant, qui in notione της ἐπιλυσεως no-

---

met. Διαλυσις enim est interpretamentum vocabuli ἐπιλυσις.

*) Aliorum de significatu vocis ἐπιλυσεως opiniones invenies apud Wolfium aliosque. Earum recensionem aut refutationem brevitas nostra non capit.

**) Haud lubet aliorum, qui huius significationis exempla conquisiverunt, scrinia compilare. Vid. Werenfelsii *dissert. in h. l.* quae extat in eius *Opusculis theologicis, philosophicis et philologicis*, Basil. 1718. pag. 279. Lamb. Bosii *exercitationes in N. T.* ad h. l. Clar. Loesneri *observationes in N. T. e Philone*, ad h. l.

***) V. g. non legi, προφητεια ἰδιας ἐπιλυσεως οὐκ ἘΣΤΙΝ, sed οὐ ΓΙΝΕΤΑΙ. Sed verba γινεσθαι et εἰναι a graecis, praesertim a scriptoribus sacris, quorum animis obversabatur hebraicum הָיָה, promiscue usurpari, notissimum est. Quia si illi morosius inhaerere velint verbo γινεται, nos nostro iure opponimus, scribendum fuisse γεγονε, non γινεται. Nam prophetia γραφης, hoc est scripto comprehensa, non *fit*, id est, ex illorum sententia, profertur, sed prolata sive *facta* iam *est*. Hinc etiam commate sequente legitur ἠνεχθη.

biscum conspirantes in caeteris dissentiunt *), nobis vero nullo modo officiunt, Προφητεια ἸΔΙΑΣ ἐπιλυσεως οὐ γινεται, prophetia *suae* interpretationis non est, non ipsa se interpretatur, ουκ ἐπιλυει ἑαυτην. Sic enim auctor noster ἰδιον semper ponit loco ἑαυτου; vid. 2 Petr. 2, 16. 21. 3, 3. 16. 17. **) Sed tralatitia haec sunt. Altioris vero indaginis, neque sa-

---

*) V. c. plerique commentatores, qui in constituenda vocis ἐπιλυσεως significatione a nostris partibus stant, locum nostrum ita intelligunt: non licere cuiquam *pro suo arbitrio interpretari* prophetias, sed opus esse cum certis regulis multisque interpretationis subsidiis, tum eiusdem Spiritus Sancti, qui prophetas inspiraverit, auxilio. Quam aliena haec sint a scribentis consilio, non est cur multis doceamus.

**) Haud vehementer tamen repugnabimus, si quis ἰδιον referre malit ad prophetas ipsos, de quibus comma sequens loquitur; hoc sensu: ne vates quidem ipsi carminum suorum sensum ita extricare possunt, ut nihil in iis supersit obscuri, et ad accuratissimam eorum intelligentiam aditus cuilibet pateat; multa potius ipsis oraculorum auctoribus obscura manent; prophetae enim (sic pergit auctor commate seq.) non proloquuntur quae ipsi proprio Marte excogitarunt, sed quae Spiritus Sanctus ipsis suggessit. Humanos quidem auctores nil proferre decet, nisi quod ipsi satis intelligant, quodque aliis, qui accuratius edoceri cupiunt, copiosius enarrare valeant: prophetae vero, divino afflatu ad fundenda oracula impulsi, nihil possunt his, quae numen ipsis revelavit, declarationis causa addere. Confer omnino, quae in hanc rem Petrus scripsit 1 Epist. 1, 10-12. Utcunque locum nostrum interpreteris, oppositus est iis, qui vaticiniorum de reditu Christi obscuritatem ridebant.

tis, si quid iudicamus, a commentatoribus declaratum est, quaenam sit προφητεια ΓΡΑΦΗΣ, quam auctor ἰδιας ἐπιλυσεως esse negat. Ii quidem, qui λογον προφητικον comm. 19. significare existimant prophetarum Veteris Testamenti de Messia vaticinia, magno consensu suoque iure γραφην eiusdem Veteris Testamenti libros denotare tradunt. Nobis vero, qui vulgarem illam commatis 19. interpretationem haud levibus de causis repudiavimus, vix concedent huius interpretationis patroni, ut ad eandem ipsi hoc loco nos recipiamus, sed hic invenisse se arbitrabuntur telum firmissimum, quo adversus nos uti, suamque interpretationem tueri queant. Nam προφητεια γραφης omnino eandem rem denotare videtur, quae antea λογου προφητικου nomine venerat. Si igitur λογος προφητικος designat vatum *christianorum* de futuro Christi adventu carmina, litteris maxima saltim ex parte non consignata, quomodo προφητεια ΓΡΑΦΗΣ appellari potuit?

Facile in mentem cuiquam venire posset, vocabulum γραφης a librario, λογον προφητικον de Veteris Testamenti vaticiniis perperam intelligente, margini primum allitum fuisse, deinceps vero in textum ipsum irrepsisse. Certe extricata sunt omnia et aptissime inter se cohaerent, si vocem γραφης deleas. Generalis enim enunciatio: *nulla* unquam prophetia ἰδιας ἐπιλυσεως aut fuit aut *esse* potest; perspicue rationem reddit, cur carmina vatum etiam christianorum, antequam eventus obscuritatem omnem eis ademerit, comparanda sint cum lucerna locum cali-

ginosum radiis suis utcunque collustrante. Verum, contra omnium librorum et versionum auctoritatem vox γραφης deleri non debet *).

Qui epistolam nostram Petro suppositam esse autumant, vel authentiam eius dubiam saltim esse censent, quae opinio, argumentis sane haud contemnendis suffulta, cum antiquiore tum recentiore tempore fautores et defensores nacta est nec paucos nec indoctos; hi igitur non solum facillimo negotio locum nostrum expedient, sed ex hac ipsa etiam pericopa, dummodo verum eius sensum recte perspiciant, haud parum novi roboris sententiae suae accedere iure suo contendent. Mirum profecto videri posset, viros doctos, qui authentiam epistolae huius sub examen revocarunt, nullam, quod sciamus, rationem habuisse nostri loci, qui, collatus cum cap. 3, 15. 16. et 2 Thess. 2, 2. iustae dubitationi ansam praebet amplissimam. Sed falsa της δυναμεως και παρουσιας του κυριου ἡμων interpretatione impediti, non animadverterunt, quantis difficultatibus obstructus sit hic locus, si quidem Petro auctori tribuatur. Nam si vera sunt, quae de sensu pericopae nostrae hucusque disputavimus, vix declarare poteris, quaenam sint illa *scripta prophetica*, ad quae *Petrus apostolus* provocare potue-

*) Si lectio vulgata nullo plane modo defendi posset, vocabulum γραφης haud inepte fortasse mutaretur in ἀσαφης aut in γριφωδης: nulla prophetia *obscura* seu *aenigmati similis* ipsa sese declarat. Sed nulla emendatione coniecturali opus hic esse, e sequentibus planum fiet.

rit. Contra vero, si epistolam a Pseudo-Petro exaratam esse concedas, planissima erunt omnia et optime sibi constabunt. Fac enim, auctorem fuisse hominem Petri personam mentientem (cap. 1, 18.) et subfanaticum ex eorum grege, qui Christi adventum mundique finem *proxime* instantem portendebant, (1 Thess. 4, 13 - 17. 2, 1. 2. 2 Thess. 2, 1 - 3.) oppido patebit, *primo*, quamnam παρουσιας χριστου, cum fine mundi sub exitum sexti millennii (cap. 3, 8.) coniunctae, notionem animo suo informaverit: *tum*, quisnam sit λογος ille προφητικος, quem obscuritatis et vanitatis alii Christiani, genuini scilicet Paulli discipuli, arguebant; scilicet vaticinia haud absimilia iis, quae aliquanto post Montanistici prophetae effutiebant; *praeterea*, quinam sint illi vates, a prophetis Veteris Testamenti, ut vidimus, aeque atque a Christo et Apostolis diversi, cap. 3, 2.; nimirum tales, quales Paullus 2 Thess. 2, 2. describit; *deinde*, ad quamnam γραφην auctor lectores suos eo quem iam tractamus loco ablegat: nempe ad apocalypses, sub magnorum, ut Caii Romani verbis utamur *), apostolorum nomine (cap. 3, 2.) conscriptas; ad carmina apocrypha pseudoprophetarum, de adventu Christi proximo, de rerum mundanarum ipsiusque adeo naturae miris conversionibus, de novo coelo novaque terra etc. cuius argumenti libelli (v. c. sibyllini) saltim ab ineunte secundo seculo pervulgati fuerunt apud Christianos; *denique*, planum etiam erit,

*) Apud Eusebium Hist. eccles. libr. 3. cap. 28.

quid sit, quod auctor cap. 3, 15. 16. de Paulli consensu glorietur, cuisque opinationibus praetendere gestiat eius Apostoli auctoritatem, qui in secunda ad Thessalonicenses epistola fanaticorum hominum somnia, de adventu Domini perbrevi exspectando, aperte repudiaverat; *quid sit* praeterea, quod conquératur Noster de δυσνοήτοις quibusdam in Paulli scriptis, (de iis locis, qui obstare Nostro videbantur,) et de hominibus indoctis atque perversis, qui Paulli epistolas in alienos sensus detorqueant, (de genuinis Paulli discipulis, qui Apostoli auctoritatem, et in primis secundam ad Thessalonicenses, fanaticis opponere solebant;) *quid sit* tandem, quod ad (ignotam nobis) epistolam provocet auctor, a Paullo ad eosdem homines, quibus Noster suam destinat, missam, in qua extent similia his, quae in nostra hac epistola inculcantur *); nempe hi ipsi fanatici, qui iamiam

*) Multi quidem cogitarunt de epistola ad Ebraeos. Sed 1) sumunt, quod vix ac ne vix quidem concedi potest, Paullum esse epistolae ad Ebraeos auctorem; 2) precario et absque idonea causa statuere debent, Ebraeos quaerendos esse (coll. 1 Petr. 1, 2. et 2 Petr. 3, 1.) in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia; 3) monstrare nequeunt eos epistolae ad Ebraeos locos, in quibus vere eadem legantur, quae Noster suis lectoribus in primis summoque studio inculcat. Quos enim illi excitant, ii vel aliam interpretationem admittunt, nedum postulant, ut Ebr. 3, 7 — 4, 11. cap. 10, 36. 37. 38. cap. 12, 26-29. vel talia summatim reperunt, quae in permultis Paulli aliorumve Apostolorum scriptis saepe recurrunt; quam ob rem effici ex ipsis non potest, epistolam ad Ebraeos esse illam ipsam, quam Petrus lauda-

instantem Domini adventum carminibus suis celebrabant, eiusdem argumenti *epistolas Paullo supponere* ausi fuerant, quam ob causam Apostolus 2 Thess. 2, 2. 4. μη τις ὑμας ἐξαπατηση, inquit, κατα μηδενα τροπον — μητε δια πνευματος, (afflatum divinum iactabant pseudoprophetae) μητε δια λογου, (coll. vs. 15.) μητε δι' ΕΠΙΣΤΟΛΗΣ ὡς δι' ΥΜΩΝ, ὡς ὅτι ΕΝΕΣΤΗΚΕΝ Η ΗΜΕΡΑ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ. Quidni enim qui Petro epistolam supposuerant, in Paullum idem sibi licere putarent? Ac vicissim, qui Paullinam epistolam, ut hominibus persuaderent, ὅτι ἐνεστηκεν ἡ ἡμερα του κυριου, confingere haud erubuerant, similis argumenti Petrinam comminisci cur vererentur? E quibus omnibus luculenter patefit, non sine causa nos supra dixisse, cunctas evanescere difficultates, omniaque plana esse et optime inter se cohaerere, si epistola nostra a Petro scripta esse negetur.

Utut vero haec se habent, erunt tamen haud pauci, qui γνησιοτητα epistolae defendere malint. Ut his etiam, quantum fieri potest, satisfaciamus, commonstrare tentabimus, qua ratione, posita epistolae authentia, προφητεια γραφης ita explicari queat,

---

vit. Equidem, si Petrinae secundae authentia extra dubitationem poni posset, Paullinam illam, a Petro allegatam, dudum deperditam esse statuere mallem. Sin vero Petrina, quam ante Eusebium nullus Patrum sive graecorum sive latinorum, praeter solum Origenem, novisse videtur, spuria est, Paullina procul omni dubio eiusdem generis fuit.

ut haec verba non repugnent iis, quae de λογῳ προφητικῳ supra disputavimus, hoc est ita, ut notio της γραφης non excludat vaticinia prophetarum christianorum. Nimirum γραφη denotare potest generatim *libros sacros* *), a talibus viris conscriptos, quorum auctoritatem, iudice Apostolo, tuto sequi possint Christiani. Eiusmodi librorum auctores esse poterant vel ipsi Apostoli ac prophetae, vel alii homines fide digni, qui litteris mandarent sermones a prophetis coram in conventibus Christianorum (1 Cor. 14, 26 sqq.) habitos; nam hoc etiam librorum genus sacris sive τῃ γραφῃ accenseri poterat, dummodo de auctorum fide satis constaret. Nec mirum est, hos deinceps in canonem non fuisse relatos; nam vel dubia erat eo, quo canon tandem in ordinem redactus fuit, tempore ipsorum auctoritas, vel deperditi iam fuerant, ut ipsius adeo Paulli epistolae nonnullae secundo iam seculo perierant. Eo vero tempore, quo Petrus nostram epistolam scripsit, hoc est eo, quo canon nullus erat, nulla eorum librorum, qui soli a Christianis pro sacris habendi essent, collectio, quo vere tales libellos vel a prophetis ipsis exaratos

*) E defectu articuli της in formula πασα προφητεια γραφης effici non potest, sensum esse: quaecunque prophetia *scripta*, sive in litteras relata etc. Absona enim scripsisset Petrus, si certis terminis ac limitibus coarctasset enunciationem, quae universaliter vera est. Utcunque enim interpreteris ἐπιλυσιν, manifestum est, prophetiam in litteras nunquam relatam non magis ἰδιας esse ἐπιλυσεως quam vaticinium scripto consignatum.

vel ab eorum auditoribus ac discipulis compilatos iam extitisse et a Christianis cupide lectitatos esse, a veri specie neutiquam abhorret; hoc igitur tempore Apostolus huiusmodi libellos, quales modo descripsimus, sacris annumerare et sub nomine της γραφης eodem iure complecti poterat *), quo cap. 3, 15, 16. eas Paulli epistolas, quae ipsi forte innotuerant, licet nondum in corpusculum quoddam collectae, nec in omnibus Christianorum coetibus agnitae publicaque auctoritate receptae iam essent, cum ταις λοιπαις γραφαις componit. Iam vero, si Petrus huiusmodi libros, varia prophetarum christianorum oracula de δυναμει και παρουσια χριστου complectentes, noverat, eosque non aspernandos esse censebat, fieri facile potuit, ut simul in mentem ei venirent nonnulli librorum quorundam N. T. loci, qui, licet talia non continerent, quae capite nostro tertio describuntur,

---

*) Dudum observarunt viri docti, miram esse epistolae Iudae cum posteriori Petri epistola consonantiam. Suspicati etiam sunt nonnulli, convenientiam hanc utriusque epistolae derivandam forte esse e communi fonte, nimirum ex antiquiore quodam auctore iam deperdito, e quo ambo Apostoli ea, in quibus concinunt, hauserint. Quid? si paullo longius progressi, auctorem hunc coniiciamus prophetam fuisse christianum, e cuius carmine de παρουσια χριστου, ludibrio ab empaectis habito, uterque Apostolus suae epistolae nonnulla inseruerit, quo consensum suum cum auctore testaretur, eiusque prophetiae maiorem apud Christianos auctoritatem conciliaret, cavillatoribus autem linguam occluderet?

passim tamen de futuro Messiae adventu perquam glorioso loqui viderentur. Nimirum extabant iam Evangelia nonnulla, in quibus varii sermones Christi de futuro suo e coelis reditu occurrebant; extabant etiam plures epistolae Apostolorum, (Paulli, fortasse etiam Iudae,) in quibus mentio της ἡμερας του κυριου facta erat. Quid? quod prophetarum christianorum oracula in memoriam Petro revocare poterant iudaicorum etiam vatum carmina nonnulla. Nihil quidem his, si recte intelligantur, inest, quo exspectatio eiusmodi παρουσιας χριστου, qualem Petrus cap. 3. pinxit et nostro quoque loco in mente habuit, rite superstrui potuerit. Verum, quemadmodum Christi et Apostolorum tempore Iudaei multa prophetarum vaticinia ad Messiam spectare autumabant, quibus nos sensum longe alium subesse probe scimus, ita iidem homines nonnulla veterum prophetarum (v. c. Danielis) carmina facile in eum etiam sensum detorquere poterant, ut promissionem visibilis ac gloriosi in terram reditus Christi, qualem epistolae nostrae auctor mente concepisse videtur, continere putarentur. Quodsi enim vel nostra memoria viri docti nonnulli persuasi fuerunt, multa in prophetarum scriptis reperiri oracula nondum impleta, de universali Iudaeorum et ethnicorum conversione et de regno Christi in his terris quondam condendo, ab eo, cuius cives iamiam sunt omnes, qui doctrinam Christi salutarem sincero corde amplectuntur et sua sentiendi agendique modo exprimunt, valde diverso; quis miretur, Iudaeochristianos, in ista

hermeneuticae artis infantia, eo delapsos fuisse, ut in veterum vatum scriptis exspectationum suarum praesidia et quaererent et, ut fit, invenisse se opinarentur. Quae cum ita sint, προφητεια γραφης denotare potest vaticinia quaelibet, de quibus *e libris sacris* (h. e. ad religionem pertinentibus) quibuslibet constabat Petri lectoribus, vere prolata ea fuisse a quodam ἁγιῳ θεου ἀνθρωπῳ. Itaque vocabulum γραφης hoc duntaxat consilio adiici potuit, ut oracula *scripto* consignata, quae auctor noster eiusque lectores pro genuinis haberent, discernerentur a spuriis aut dubiis saltim vaticiniis, a nemine in literas relatis, sed per vagos tantum ac incertos rumores disseminatis.

Iam sensum commatum 20 et 21 paucis ita explanare licebit: „Nullum vaticinium, quod, testibus libris nostris sacris, verum prophetam auctorem habuit, clarum est per se, sed opus habet declaratione aliqua, aliunde arcessenda. Vaticiniorum enim longe aliter quam humanorum librorum comparata est ratio. Qui sui ingenii foetum edunt, animi sui sensa claris verbis cum lectoribus communicare et possunt et volunt et debent. Contra vero vaticinium ab eius qui id profatur arbitrio aut solertia neutiquam pendet. Omnes enim prophetae, quotquot sive patrum tempore sive hac nostra aetate divinorum decretorum interpretes extitere, non quae ipsi excogitaverant penitusque perspexerant, sed quae divini Spiritus afflatu edocti sciebant, et, ut hominibus annunciarent, impellebantur, prolocuti sunt.“

Copiosiori commatis 21. enarrationi operam dare iam nobis non licet, nec habemus, quod aliorum interpretum μελετήμασι addamus. Duo tantum coronidis loco adiicimus, quae negligenda non sunt his, qui hoc loco Petrino uti se posse putant ad finiendam θεοπνευστίας sacris libris vindicandae notionem. Primo igitur teneamus, auctorem unice hic loqui de prophetis proprie sic dictis, non de quibusvis librorum sacrorum scriptoribus. De vaticiniis sive futurorum eventuum praedictionibus disserit; de reliquo autem librorum sacrorum argumento (dogmatico, morali, historico,) nihil quidquam hoc loco vel affirmat vel negat. Deinde meminisse iuvabit, sermonem hic esse de librorum propheticorum *argumento*, non de libris ipsis, in quibus vaticinia continentur. Prophetas quidem, dum oracula sua proloquerentur, divino Spiritu actos fuisse, claris verbis auctor docet; an vero prophetae aliive, dum litteris mandarent ista vaticinia, eiusdem Spiritus afflatu gavisi sint, nec ne, id ex hoc quidem loco diiudicari nequit. Haec, etsi ab aliis observata iam sunt, tamen non praetermittenda hic videbantur, quoniam luculentius etiam observationum istarum veritas patet, si ea universae huius pericopae interpretatio, cui exornandae hasce paginas consecravimus, pro vera habeatur.

XIV.

Paschatos solemnia pie celebranda civibus indicit academia Jenensis. Inquiritur in fontes, unde Evangelistae suas de resurrectione Domini narrationes hauserint. Jenae. MDCCLXXXIII.

Etsi fides, qua resurrectionem Domini ac Salvatoris nostri firmissima persuasione credimus, non unice quatuor illorum virorum, qui memorabilia Iesu Christi, Evangelia vulgo dicta, scripto consignaverunt, auctoritate nititur, sed omnium Apostolorum unanimi testimonio firmatur, praetereaque multorum millium hominum, magna ex parte in ipsa Palaestina imo Hierosolymae viventium consensu corroboratur, qui narrationi Apostolorum caeterorumque αὐτοπτῶν, multo ante quam Evangelia conscripta et in publicam lucem edita essent, tam firmum assensum praebuerunt, ut missis religionibus patriis eam, quae dogmati de Iesu a morte suscitato tota superstructa est, non amplecterentur solum, verum etiam inter

innumeras molestias ac aerumnas et quotidiana mortis pericula profiterentur publice, suamque professionem laetabundi profuso sanguine suo obsignarent, quamvis haec religio cupiditatibus, quibus hominum plerique regi se patiuntur, plane adversa, terrenae felicitatis spe, qua mortales duci solent, allicere posset neminem, sed spiritalia tantum maximamque partem futura bona promitteret: etsi igitur singularis istius eventus testes habemus innumeros, inter quos, quod aequus nemo negaverit, fuere haud pauci viri graves, amantes veri, ac a levitate aeque ac a superstitione alieni, et omnibus subsidiis ad trutinandam curateque examinandam αὐτοπτῶν narrationem necessariis abunde instructi; tamen minime negligenda sunt quae ad illustrandam vindicandamve ipsorum etiam Evangelistarum fidem conducere possunt. Laudandum profecto est doctorum virorum studium, quo cum in asserenda universae historiae sacrae veritate, tum in firmandis et ab obiectionibus liberandis Evangelistarum de resurrectione Christi narrationibus, nostra praesertim aetate, elaborarunt. Neque tamen actum acturos operamve perdituros nos esse putamus, si iis, quae a viris doctis scite observata sunt, addamus nonnulla, quae in clariore quam adhuc posita videntur luce collocari posse existimamus. Cum igitur sacra Paschatos solemnitas indicenda, Vobisque Cives materia pro more solito suppeditanda sit, cui piis meditationibus per festos hosce dies inhaerere, tempusque a publicis devotionis actibus vacuum utiliter impendere queatis, observationes quasdam Vo-

biscum communicare decrevimus, quae partim ad delegendos fontes, e quibus Evangelistae suas narrationes hauserint (quorum cognitio quanti sit ad recte aestimandam cuiusque historici fidem momenti, Ipsi iudicabitis) viam Vobis monstrare, partim docere Vos, ut speramus, poterunt, iis ipsis in locis, ubi a summa narrationis ἀκριβείᾳ deflexisse videri forte possent Evangelistae, (utpote viri illiterati nec ad scholae formulam edocti, aut in artificiose contexendis commentariis historicis exercitati,) his ipsis inquam in locis, difficultatum potiorum originem latere saepe in religione summa, qua fontes suos presse sequi nec quidquam alieni eis admiscere sibi proposuerant sacri scriptores. Atque hinc patebit, tantum abesse, ut eiusmodi loci obscuriores aut minus quam tu quidem velles definite ac ἀκριβῶς expressi, sacrorum historicorum fidem imminuant, ut potius ad hanc stabiliendam nihil excogitari possit ipsis efficacius.

Curate perscrutanti et inter se comparanti quatuor Evangeliorum commentaria, animumque ad investigandas causas appellenti, cur quilibet auctor narrationem suam de Christi in vitam reditu sic nec aliter informarit, vix obscurum esse posse putamus, quemque Evangelistam eodem prorsus modo rem narrasse, quo ipse primum de ea certior factus et ad credendam eam perductus fuerat. MATTHAEUS quidem et IOANNES ipso resurrectionis die Christum in vitam reducem suis oculis ipsi viderant; at primum tamen nuntium de eventu tam mirabili uterque ab aliis acceperat. Neque Apostoli summo mane eius diei, quo Christus

e sepulcro vivus prodiit, uno eodemque loco congregati, sed per dissitas urbis Hierosolymae regiones dispersi et in plurium amicorum hospitia divisi erant. Hinc Maria Magdalena solis Ioanni atque Petro narrabat, quae apud sepulcrum ipsa observaverat, Io. 20, 2. caeteros autem Apostolos isto tempore nec vidit, nec de corpore Domini e sepulcro ablato certiores reddere potuit. Aliae contra mulieres alios Apostolos adierunt, et quae ipsae viderant his exposuerunt. Matth. 28, 8. 9. 10. Hinc evenit, ut Matthaeus ex suarum amicarum relatione περιστασεις resciseeret alias, quam Ioannes ex Magdalena eodem fere tempore audiret. Nullus vero Apostolus mulieres omnes simul vidit, nec ex omnium narrationibus inter se collatis et apte coniunctis de toto eventu, cuius quasi particulam tantum ab una alterave muliere acceperat, plenam et accuratam ideam efformare sibi potuit; sed tot περιστασεις sciebat quisque, quot eae mulieres, quae tremebundae prae gaudio et terrore ipsum offenderant, festinanter et satis forsitan confuse, ut fit in vehementioribus animi commotionibus, retulerant. Non dubitamus quidem, postea, sedato paullulum animorum tumultu, discipulos omnes amice et sedulo inter se contulisse ac in unum quasi acervum collegisse, quae quisque aut vidisset aut ex testibus fide dignis audivisset. Verum primis eius diei, quo Christus e sepulcro prorupit, horis, nemo eorum stupendum hunc eventum plane et cum omnibus περιστασεσι enarrare aut in litteras referre potuisset. Interim plures accurrunt mulieres, quarum quaevis, mox huic mox alii apo-

stolo aut discipulo Iesu obviam facta, caeterarum narrationibus nonnulla addit, sive penitius sibi cognita curatiusque a se quam a reliquis observata, sive ob nimiam festinationem summamque omnium trepidationem ab aliis praetermissa. Cum igitur in eo, in quo cardo rei vertebatur omnes satis conspirarent, licet neo omnes *περιστασεις* distincte scirentur, neque cunctae dubitationis ansae praecisae essent, Apostolorum animi sensim erigi coepere. Interdiu quidem, *Synedrii* timentes insidias, coire vix audent; sub noctem vero convolant, conventumque, timidiuscule tamen clausisque, ne ab inimicis inopinato opprimantur, ianuis celebrant. Hic omnibus congregatis Dominus ipse vivum se conspiciendum praebet, et vere se e morte surrexisse plenissime eos convincit. Iam fides eorum non amplius asseverationibus mulierculaium, sed propriorum sensuum testimonio, exceptione omni maiore, nititur; iam quilibet Apostolus eam mulierem, a qua laetum nuntium de resurrectione Domini primo acceperat, plane ut nobiles illi Samaritae civem suam Io. 4, 42, alloqui poterat: ουκετι δια την σην λαλιαν πιστευομεν· αὐτοι γαρ ἀκηκοαμεν (ἑωρακαμεν) και οἰδαμεν, ὁτι οὑτος ἐστιν ἀληϑως ὁ σωτηρ (ἐγηγερμενος ἐκ νεκρων). Attamen mulierum narrationes, per quas velut primus spei radius in animos discipulorum illapsus erat, quantumvis imperfectae mancae et confusae, aeterna memoria dignae videbantur Apostolis, tamque altas radices in mentibus eorum egerant, ut postea, cum aliis exponenda esset resurrectionis historia, vix pos-

sent rem aliter enarrare, quam ea olim per mulieres primum ipsis innotuerat. Qua enim via ipsi ad firmam persuasionem, Christum vere surrexisse, pedetentim se pervenisse recordabantur, eadem alios quoque ad eandem persuasionem adducere gestiebant.

Itaque Ioannes, cum in exarando Evangelio ad hunc usque locum progressus esset, ubi de resurrectione Domini exponendum erat, animum iucundissima laetissimi diei memoria pascebat. Eadem mulier, quae summo huius diei mane tremebunda ad ipsum accurrerat et ad sepulcrum eum arcessiverat, denuo praesto esse scribenti, denuo iisdem qua olim usa fuerat verbis narrationem suam repetere videbatur Ioanni. Pendet quasi ab eius ore Apostolus, et quae ipsa velut dictat, litteris summa fide mandat, nulla iam habita earum περιστάσεων ratione, quas aliis Apostolis aliae mulieres quondam narrasse perceperat. Religioni enim sibi ducit Evangelista sive demere sive addere quidquam Magdalenae verbis.

Igitur quicquid narrat Ioannes, id omne hausit vel ex relatione Magdalenae, vel ex αὐτοψίᾳ. Ex illo fonte profluxere quae leguntur cap. 20, 1. 2. 11-18. ex hoc vero promanarunt quae habentur cap. 20, 3-10. 19-29. et cap. 21. toto.

Contra vero Matthaeo primum de resurrectione Christi nuntium attulerant eae mulieres, quae postquam Magdalena, Petrum et Ioannem arcessitura, in urbem avolasset, apud sepulcrum remanserant, ibique primo angelum quendam, deinceps Dominum ipsum conspexerant. Magdalenam quidem cum cae-

sociis mulieribus summo mane sepulcrum petiisse resciverat Matthaeus; sed seiunxisse eam postea sese a reliquis, nec interfuisse his, cum Iesus eis appareret eosque alloqueretur; id vel ignorabat, vel memoratu vix dignum iudicabat. Nimirum ea mulier, quae prima Matthaeum laetissimo nuntio beaverat, (quam τὴν ἄλλην μαρίαν Matth. 28, 1. coll. cap. 27, 56. fuisse existimamus) narraverat quidem, se cum Magdalena (aliisque nonnullis Marc. 16, 1. Luc. 24, 10. quarum forte nomina tacuerat, accessisse ad sepulcrum; sed abitum Magdalenae a sepulcro ad Ioannem ac Petrum commemorare praetermiserat, numeroque plurali porro usa, quae post Magdalenae discessum sibi contigissent, exponere perrexerat. Matthaeus igitur optima fide Mariae narrationem repetiit suoque Evangelio cap. 28, 1. 5 - 10. inseruit.

Quae vero idem comm. 2 - 4. 11 - 15. de angelo lapidem e foribus sepulcri amovente et de fuga custodum refert, ex Maria audivisse non potest. Haec enim scire poterat nemo, praeter milites ipsos et eos qui ab his ea acceperant. Igitur vel miles aliquis ad sacra christiana postea perductus Matthaeo haec narravit, vel militis familiaris quae ex amico olim audiverat evulgavit, vel senator iudaicus, christianam religionem postea amplexus, rem patefecit. Vid. cap. 27, 62 - 66. et cap. 28, 11. 12.

His omnibus Matthaeus addit nonnulla ex αὐτοψίᾳ sibi cognita atque perspecta, cap. 28, 16 - 20.

Hactenus de Apostolis, Ioanne et Matthaeo diximus; pergamus iam ad MARCUM et LUCAM, Evangeli-

stae, quorum neuter Christum resuscitatum suis oculis vidit, aut discipulorum conventibus ipso resurrectionis die interfuit, cum mulieres visum a se esse Dominum nuntiarent, discipulique harum narrationes anxio et suspenso animo ruminarent. Uterque quae de resurrectione Christi habet, hausit partim ex amicorum, de quorum fide haud dubitabat, relationibus, partim ex eorum commentariis, qui antequam alteruter ad scribendam Iesu historiam animum adplicaret, eandem litteris iam consignaverant.

Lucas, quem in conscribendo suo Evangelio saepe Matthaei commentaria consuluisse, et ex his in suum librum haud pauca transtulisse scimus*), hic quoque in ea narrationis parte, qua cap. 24. 1-11. de mulieribus summo mane ad sepulcrum progressis exponit, Matthaei historiam ante oculos positam habuisse videtur. Neque tamen antecessoris sui vestigiis tam presse inhaeret, ut hunc ducem unice secutus esse videri possit. Nam non solum omisit nonnulla, v. c. quae Matthaeus ex militum relatione habet, sed addidit etiam περιστασεις quasdam a Matthaeo neglectas. Atque has innotuisse ei putamus ex narratione Ioannae, quam solus comm. 10. nominat, quamque satis ei notam fuisse e cap. 8, 3. ubi eiusdem mulieris apud solum Lucam mentio fit, coniicere li-

---

*) Vid. v. c. Luc. 3, 7. 8. 9. 16. 17. coll. Matth. 3, 7-12. Luc. 5, 20-38. coll. Matth. 9, 2-17. Luc. 6, 1-5. coll. Matth. 12, 1-8. Luc. 7, 22-28. coll. Matth. 11, 4-11. Luc. 12, 22-31. coll. Matth. 6, 25-33. etc.

cet. Ex huius igitur ore, vel saltim ab amico Ioannae, dudum resciverat, quae mulieribus apud sepulcrum obtigerant. Cum vero in describenda resurrectionis historia Matthaeum, pro more suo, consuleret atque ab hoc eundem eventum, cui Ioanna interfuerat, enarratum esse videret, haud spernenda esse putavit auctaria, quae ex Matthaei libro ad Ioannae narrationem accedere posse cerneret. Sed hoc ipsum narrationem alteram ex altera illustrandi studium, ἐναντιοφανείαις originem dedit, quarum solutio valde exercuit viros doctos, qui in componendis inter se Evangelistarum historiis desudarunt.

Nimirum, ex Ioannis comparatione cum Matthaeo, rem hoc ordine ac modo evenisse persuasum nobis est. Maria Magdalena, Maria Iacobi mater, Ioanna, aliaeque nonnullae primo diluculo sepulcrum Domini petiturae ex urbe egrediuntur. Ante vero quam eo pertingunt, terra contremiscit, saxum, aditum ad speluncam in qua Iesus sepultus erat occludens, fulmine forte percussum, disiicitur, custodesque perterrefacti, conspecta in apice saxi forma candida et corusca, quam coelestem genium esse nulli dubitant, in fugam se coniiciunt. Appropinquant interea mulieres, iam demum (ut sunt homines, praesertim vehementioribus animi adfectionibus agitati) secum reputantes, vix pares se esse futuras amovendo saxo, quo speluncae ostium vel muniri ipsae viderant, (Matth. 27, 60. 61.) vel munitum id esse, ex eo, quod vulgo fieri solebat, facile coniiciebant. Ingressae hortum, videntesque lapidem iam esse avo-

lutum, monstri aliquid subesse suspicantur, et meticulosae ante fores monumenti subsistunt. Introspicientes vero per ostium, (ut Ioannes, παρακυψας βλεπει κειμενα τα ὀθονια· οὐ μεντοι εἰσηλθεν. Io. 20, 5.) corpus non eo loco repositum esse animadvertunt, qui recipiendo cadaveri destinatus erat, ablatumque esse augurantur. Perterritis mulierculis omnibus, Magdalena, viros quosdam advocatura, celeri cursu redit in urbem; reliquae remanent, et postquam ex terrore sensim se collegissent paullulumque confirmassent, in speluncam introgrediuntur. (Conf. Matth. 28, 8. ἐξελθουσαι ἀπο του μνημειου) Hic binos conspiciunt angelos, quorum alter eas adloquitur, et Iesum a mortuis surrexisse confirmat, easque discipulis haec nuntiatum ire iubet. Post mulierum abitum, adveniunt Ioannes et Petrus, quos (alio ut videtur quam caeteri Apostoli hospitio Hierosolymis utentes, Io. 20, 2. 10. *Luc.* 24, 12.) acciverat Magdalena, quae et ipsa mox sequitur. Illi quidem, quum corpus Domini emortuum frustra quaesivissent in sepulcro, domum redeunt; haec vero, moerore oppressa, moratur aliquantisper, moxque in interiore monumenti parte duos angelos, quos tamen angelos esse ignorasse videtur, conspicit, paulloque post ad Domini ipsius, obviam sibi facti, pedes sese provolvit, (Ἐφανη πρωτον μαριᾳ τῃ μαγδαληνῃ. Marc. 16, 9.) et laetum de resurrectione magistri nuntium primo procul dubio Ioanni et Petro, deinde caeteris etiam, ut quisque ei occurrebat, discipulis affert. Interea, dum Magdalenae conspiciendum se praebet Iesus, altera

Maria, Ioanna et reliquae mulieres, discipulos, ut jussae erant, quaesiturae, pergunt in via. Verum percusso pastore, dispersae erant oves, Matth. 26, 31. longiori itinere conquirendae. Una quidem ex mulieribus, (eadem, ut conjicimus, Ioanna, e cujus relatione Lucam narrationem suam hausisse supra animabamus,) per proximam forte portam in urbem ingressa, occurrit iis discipulis, qui mox Emauntem iter instituerunt atque cum his communicat quae ex angelo audiverat; *) caeterae vero longius progrediuntur. Nempe Apostolos, si Petrum et Ioannem excipias, in remotioribus urbis regionibus delituisse, imo Bethaniae forsitan, quo Iesus etiam hostium insidias vitaturus noctu se recipere consueverat, commoratos esse credibile est. Utcumque hoc est, in ipsa adhuc via mulieribus obviam venit Iesus, iisque mandata ad discipulos suos dedit. Matth. 28, 10.

Iam si cum nostra hac delineatione comparare velis quae leguntur Luc. 24, 1 — 12. valde haec ab

---

*) Discipuli Emauntici ea quae narrant Luc. 24, 22. acceperant a muliere, quae angelos quidem in monumento, non vero Dominum ipsum viderat; igitur nec a Magdalena, neque ab iis mulieribus, quibus Christus in via obviam venit, Matth. 28, 9. ergo a muliere quae cum caeteris in sepulcrum intraverat, Matth. 28, 8. sed ab iis ante sese seiunxerat, quam Iesus conspiciendum se his praebuisset, comm. 9. Iidem discipuli Petrum quoque aut Ioannem viderant, Luc. 24, 24. post reditum a monumento, Io. 20, 10. priusquam Magdalena secundo eos convenisset, vs. 18.

illa et ab ipsa Matthaei ac Ioannis narratione *dissidere* videbuntur. Nam secundum Lucam 1) solos angelos viderunt mulieres, non Dominum ipsum; quod repugnat Matthaeo: 2) Magdalena una cum caeteris mulieribus intravit in monumentum, ibique ab angelo audivit ea quae habentur Matth. 28, 5-7. et Luc. 24, 5-7. id quod conciliari nequit cum Ioannis narratione: 3) Petrus accurrit ad monumentum sepulcrale, postquam ex Magdalena caeterisque mulieribus, angelos visos esse in sepulcro, jam resciverat; quod aliter relatum legimus apud Ioannem.

Ex omnibus hisce difficultatibus facili negotio ope eorum nos expediemus, quae supra de fontibus, unde sua hauserit Lucas, disseruimus. Nimirum 1) fidelissime, ne minima quidem περιστασει addita aut detracta, Lucas refert, quae Ioanna (aut alia, si mavis, mulier) discipulis Emaunticis, (et ipsi forsan Lucae), narraverat. Haec vero summa fide quae viderat et audiverat testata est; quae autem absente ipsa, postquam a caeteris mulieribus discessisset, contigerant, testari non potuit. Scilicet angelos et vidit et audivit; Iesum vero non vidit. Hoc posito, satis jam extricata essent omnia, nisi mulierum nomina, comm. 10. posita, in alias difficultates nos conjicerent. Nam quae ibi a Magdalena, Ioanna, et Maria Iacobi matre narrata esse perhibentur Apostolis, ea sola Ioanna narraverat familiaribus suis, inter quos forte etiam Apostoli nonnulli fuere; Magdalena vero colloquio isto cum angelis, de quo Lucas comm. 4-8 agit, haud interfuerat, sed antequam angeli visi essent a

mulieribus, abierat Ioannem vocatura; neque Maria Iacobi Apostolis nuntiavit *ea*, quae Lucas illam nuntiasse perhibet, sed narrationi suae de visione angelica statim addidit alteram de Domini ipsius apparitione. Perperam igitur a Luca posita videntur Magdalenae et Mariae nomina. Sed salva est Lucae fides. Nam a) Ioanna haud opus esse existimaverat scrupulosa enumeratione, quaenam mulieres ab initio ad finem usque praesentes adfuerint, neque necessarium duxerat, disertis commemorare verbis, discessisse Magdalenam a caeteris mulieribus. Lucas igitur nomina Magdalenae et Mariae Iacobi haud accepit a Ioanna, sed *sumsit ea ex Matthaeo*, hisque Ioannae nomen addidit. Atque in hoc a narrationis ἀκρίβεια paullulum deflexisse eum, nominaque quae commate 1. ponenda fuissent, non satis commodo loco versu 10. narrationi interseruisse, fatemur. Sed facile excusatur vir veri amantissimus, qui quanta potuit cura ex optimis et purissimis fontibus omnia haurire sategit. Rem sic tene. Mulierum quae cum Christo e Galilaea venerant, omissis tamen nominibus earum, mentionem iam fecerat Lucas capite 23. commate 49. et 55. *easdem*que, cum aliis nonnullis, die solis ad sepulcrum processisse indicaverat cap. 24, 1. Ad finem iam commate 9. perducta narratione de iis, quae, teste Ioanna, mulieribus apud sepulcrum contigerant, in mentem venit Lucae, maiorem narrationi posse conciliari fidem, si mulierum quarundam nomina apponerentur. Cum vero nullius praeter Ioannae nomen certo sciret, ignoraretque, utrum omnes an-

vero nonnullae tantum mulieres Galileae apparitioni angelorum interfuerint, Matthaeum, scriptorem fide dignissimum, consulere decrevit. Hunc igitur evolventi Magdalenae alteriusque Mariae nomina cap. 28. 1. occurrunt. Ignorans vero quae Magdalenae acciderant, (haec enim praetermissa a Matthaeo postea demum Ioannes accurate descripsit) nec satis edoctus de ea apparitione, quae mulieribus nonnullis post Ioannae abitum contigerat, nihil interesse existimavit, utrumne primo an decimo commate mulieres nominarentur. Sive enim sub initium narrationis sive sub eiusdem finem producerentur testes, perinde esse videbatur. Aliter procul dubio indicavisset, si Ioannem cum Matthaeo conferre potuisset. Hoc autem verum acutissime videndi adminiculo destitutus, insciens ac Matthaei se auctoritatem sequi putans, paullulum de via declinavit. Caeterum ipsa sermonis structura haud obscure prodit, adiectum esse demum hunc versum a Luca, cum quae scripserat relegisset, dictisque, maioris illustrationis causa, addere vellet, quae forte a lectore scrupuloso desiderari adhuc possent, testium scilicet nomina. Notatu vero dignum est, omissa esse a Luca, quae Matthaeus habet comm. 9. et 10. Nimirum haec silentio praetermiserat Ioanna. Lucas autem noluit integras historias Matthaeo quasi suffurari et ex hujus libro transfundere in suum, licet in exponendis eis, quae aliunde iam comperta haberet, interdum mutuaretur nonnulla a Matthaeo et hujus adeo verba nonnunquam propria sibi faceret. 3) Quod ad eam difficultatem

attinet, quam ex commate 12. oriri supra notavimus, haec quoque evanescet, si teneamus, fideliter retulisse haec Lucam, prout a discipulis Emaunticis ea acceperat. Hi vero, antequam iter sibi propositum inirent, audiverant quidem cum ex Ioanna, quae relata legimus Luc. 24, 1—8., tum ex Petro, quae narrantur Io. 20, 1—10; reliqua autem quae leguntur Matth. 28, 9. 10. et Io. 20, 11—18. nondum rescire, adeoque nec totam rem ordine narrare, omnesve eventus istius περιϛάσεως enodate exponere potuerant. Quid? quod γνησιότης istius commatis haud leves ob causas, quibus vero declarandis et ponderandis operam dare jam non licet, suspecta est.

Quae apud Lucam sequuntur comm. 13—49, ea omnia procul dubio acceperat ab alterutro discipulorum Emaunticorum. Fuere quidem nonnulli, qui alterum discipulum, cujus nomen comm. 18. subticetur, ipsum Lucam nostrum fuisse opinarentur. Sed quamvis hac hypothesi utilissime abuti possemus ad confirmanda mirum in modum ea quae hactenus disputavimus, nolumus tamen coniecturis cupide immorari, quas non nimis firmis fundamentis superstructas esse censemus.

Restat ut de fontibus dicamus, e quibus Marci narratio profluxit. Verum spatii angustia circumscripti, tribus tantum verbis, quid nobis simillimum videatur vero, indicabimus. Quicquid ad stabiliendam contrariam sententiam proferant viri quidam docti, tamen Marcum ubivis ante oculos sibi proposuisse Matthaei librum, praetereaque Lucae etiam

Evangelium saepe in auxilium adhibuisse, gravissimis rationibus permoti statuimus. In tradenda autem historia resurrectionis Christi, Lucam potissimum quem sequeretur ducem sibi elegit, Matthaeo tamen non penitus neglecto. Omissis nonnullis, aliisque quae illi habent, in compendium redactis, addidit quaedam ab his praetermissa, inter quae eminet, quod de Maria Magdalena comm. 9. narratur. Haec talia facillime in domo matris suae, ubi discipuli Domini conventus peragere solebant, Act. 12, 12. ab hominibus fide dignissimis resciscere potuerat.

Intelligitis, Cives Carissimi, quanta fide Evangelistae in tradenda historia resurrectionis Domini nostri versati sint. Vestrum iam est, deligenter per festos hosce dies considerare beneficiorum, quibus Deus dum Salvatorem nostrum e morte suscitaret nos affecit, cumulum, quorum magnitudinem et indolem copiose pro concione edisserent gravissimi Viri, religionis publicae administri. His igitur ut auditores Vos praebeatis cum dociles tum gratos et liberales, peramanter hortamur.

P. P. ipso Paschatos die, MDCCLXXXIII.

XV.

Pentecostes Solemnia pie celebranda civibus indicit academia Jenensis. Praemissa est commentatio de Spiritu Dei, quo abluti, sanctificati et justificati dicuntur Corinthii 1 *Cor. VI.* 11.

Locis Scripturae Sacrae, quorum interpretatio, propter vocabuli *πολυσημου Spiritus* ambiguitatem, multis difficultatibus obstructa est, e quibus nonnullos eadem Nobis oblata occasione, qua recurrente Vos, Cives Carissimi, hodie iterum alloquimur, explanare antehac aliquoties studuimus; merito accensetur Paulinus ille 1 Cor. VI, 11. Reprehensurus Apostolus Corinthios, qui, rixa forte inter christianae ecclesiae membra de rebus exigui momenti exorta, ad iudicum gentilium tribunalia rem deferebant, nec arbitris christianis tales controversias amice dirimendas permittere volebant, sed cuilibet, qui vel minimam iniuriam intulisse eis videretur, actionem

intendebant, paullo altius ascendit ad fontem ipsum, unde pravus ille mos, qui christiano nomini et coetui dedecori erat, promanaverat, humcque obturare satagit. Hoc consilio satius esse pronunciat iniurias pati quam inferre, ac homine christiano plane indignum esse monet, Christianum, hoc est fratrem, iniuria afficere, additque, injuriosos homines aeque ab omni consortio regni coelestis exclusos esse ac adulteros, cinaedos, idololatras, alioseque scelestissimos homines. Tandem, *tales*, h. e. huiusmodi vitiis inquinati, inquit, *fuere etiam e vestro grege nonnulli;* *ἀλλα ἀπελουσασθε, ἀλλα ἡγιασθητε, ἀλλ' ἐδικαιωθητε ἐν τῳ ὀνοματι του κυριου ἰησου, και ἐν τῳ πνευματι του θεου ἡμων.* Quibus verbis cum animos Corinthiorum, praegressa reprehensione fractos, erigit, tum in primis commemorata beneficiorum, quae ipsis christiana sacra amplectentibus obtigerant, magnitudine, eos excitat, ut ipsi secum reputent, quam diversam ab ante acta vitam postulet conditio, a pristina tantopere diversa, multoque nunc quam antea felicior. Hunc esse sensum verborum, si generatim ea spectes, facile largiuntur omnes; sed, si distincte indicari tibi postules, quaenam cuilibet vocabulo notio et potestas subsit, admodum dissonas deprehendes commentatorum sententias.

Atque cum duo sint, quae explicanda hic veniant, primum, quid sit *ablui*, *sanctificari et justificari*, deinde, quonam sensu Christianis haec beneficia contigisse perhibeantur *in nomine Domini Iesu et per Spiritum Dei nostri:* neutrum horum ab anti-

quioribus interpretibus sive graecis sive latinis curatius declaratum fuit. CHRYSOSTOMUS quidem plura atque distincta beneficia enumerari hic censet, nempe το των ἁμαρτηματων ἀπαλλαγηναι, et το μυριων ἐμπλησθηναι ἀγαθων: praeter vero haec vix quidquam profert, quod ad illustrandum locum nostrum facere possit. Nec utilior hic est THEODORETUS, qui, adstipulantibus THEOPHYLACTO et PELAGIO, sacrae Triados indicium hoc loco reperisse sibi visus est, et lectores vix tale quid exspectantes monet, colligi hinc posse Filii et Spiritus Sancti aequalitatem; per sanctae enim Trinitatis invocationem aquarum naturam sanctificari, et peccatorum exhiberi remissionem. Tacemus reliquos patres, satis leviter et negligenter locum nostrum tractantes, atque ad recentiores interpretes progredimur, multo subtilius quidem et diligentius oraculum hoc declarantes, verum in constituendo ejus sensu mirifice inter se dissentientes.

In definienda beneficiorum, quae tribus vocabulis ἀπολουειν, ἁγιαζειν et δικαιουν designantur, natura et indole, alii tria, alii duo beneficia describi, alii vero non nisi unicum omnibus istis verbis indicari, opinati sunt. Qui *tria distincta beneficia* cogitanda esse existimarunt, *vel* baptismum, Spiritum S. et progressum in justitia intelligi voluere, *) *vel*

*) Sic GROTIUS: „Baptizati estis, ac deinde accepistis Spiritum S. et maiores quotidie in iustitia progressus fecistis. Nam ita illud ἐδικαιωθητε h. l. sumi suadet ordo, et idem sensus Apoc. 22, 11.“

Cum tanta sit interpretum de vocabulorum ἀπολουειν, ἁγιαζειν et δικαιωσαι sensu discordia, in explicandis verbis ἐν τῳ ὀνοματι του κυριου Ἰησου και ἐν τῳ πνευματι του Θεου, ἡμων, non discrepare inter se non possunt. Quod ut eo clarius appareat, age adiiciamus potiores commentatorum de hisce formulis sententias. Igitur ERASMUS: *hoc vobis contigit non praesidio legis aut meritorum vestrorum, sed per Iesum Christum, cuius nomine baptizati estis, perque Spiritum Dei nostri, cuius arcano afflatu efficacia sunt ecclesiastica sacramenta.* IO. CALVINUS: *Christus nobis omnium bonorum fons est, ab ipso omnia obtinemus; sed Christus ipse cum omnibus suis bonis per Spiritum nobis communicatur; fide enim recipimus Christum et eius gratiae nobis applicantur: fidei auctor Spiritus.* ANDR. HYPERIUS: *Nomen significat virtutem seu potentiam Christi, sicut Act. 4. coniungitque Spiritum potentiae Christi, quia indivulse cooperatur Spiritus, et indistincta sunt opera Trinitatis, et Spiritus S. agit in cordibus nostris* etc. GUIL. ESTIUS: in nomine i. e. *per meritum Domini ac redemtoris nostri Iesu Christi,* et in Spiritu Dei, i. e. *virtute Spiritus S. a Deo no-*

„Meminisse vos oportet, istis praeteritis sordibus fuisse vos ablutos ex auctoritate Domini Iesu; sanctitatisque (in mente), et iustitiae, (in rebus omnibus agendis,) novum ordinem vos subiisse, docente spiritu (et salubri motu in mente) quem Deus noster impertiri non desinit. Itaque vos iam decet abstinere ab ista omnis vitae superioris consuetudine.“ Conf. etiam CLERICUM *ad Hammondum* ad h. l.

stro procedentis. GROTIUS: *per doctrinam Christi, quae doctrina per Spiritum obsignatur,* seu, ut IO. LOCKIUS scribit, *quae per Spiritus S. effectus extraordinarios confirmatur.* DAN. WHITBY: δικαιωθῆναι ἐν ὀνόματι κυρίου *idem valet ac* ἐν αὐτῷ, *hoc est, coll. Act.* 13, 39. *per fidem in Christum pro nobis mortuum,* IO. CRELLIUS: *per id quod nomini Domini adhaeserint, eiusque sanctissimam religionem et doctrinam amplexi sint, cuius tanta vis est, ut homines a peccatis ipsis expurgare, et ab omni peccatorum reatu liberare possit. Alterum medium est Spiritus S. Nam quod ad regenerationem nostram et ab ipsis peccatis liberationem attinet, Spiritus S. cum doctrina Christi coniunctus maximam vim ad eam perficiendam habet. Ipse enim est, quo illuminamur* etc. SAM. PRZIPCOVIUS: in nomine Iesu, i. e. *ex vi foederis, sanguine Domini obsignati et confirmati;* et in Spiritu Dei nostri, *quia ex vita secundum carnem et Satanam, traducti sunt ad vitam secundum spiritum et secundum Deum, quae nos Deo Christoque coniungit et acceptos reddit.* Sed satis est discordantium opinionum, quae licet interpretem magis fortasse turbare et confundere, quam in rectam viam deducere queant, tamen, quam necessaria sit curatissima in genuinum sensum inquisitio, ostendunt.

Ut igitur ex istis tricis nos expediamus et ansam habeamus, qua ancipitem vocabulorum tam πολυσήμων sensum quasi prehendere ac tenere possimus, probe attendenda est orationis Paulinae series, et videndum, utrum in sermonis contextu occurrat aliquid, quo ad tollendam ambiguitatem uti

queamus. Circumspicientes autem textum universum, duo deprehendimus, quae Apostolo occasionem praebere potuissent adhibendi h. l. vocabula ἁγιαζειν et δικαιουν: alterum comm. 7. 8. 9. alterum comm. 1. 2. 3. 4. et 6.

Nimirum comm. 7. seq. scripserat Apostolus: διατι οὐχι μαλλον ἀδικεισθε; ἀλλα ὑμεις ἀδικειτε. Ἀδικοι βασιλειαν θεου οὐ κληρονομησουσι. Cum his iungenda videri possent verba nostri oraculi: Ταυτα (ἀδικοι) τινες ἡτε· ἀλλ' ἐδικαιωθητε: hoc sensu: fuistis quidem olim, antequam fidem christianam amplecteremini, variis vitiis et in primis iniustitiae dediti; iam vero abiectis pravis moribus virtuti studetis, justitiam colitis, et universam vitam vestram ad sanctitatis normam conformatis. Placuit permultis interpretibus haec locum nostrum explicandi ratio, qui, ut significationem, quam vocabulo δικαιωθηναι vindicant, e loquendi usu corroborent, provocare solent ad Apoc. 22, 11. ubi tamen loco δικαιωθητω meliores codices δικαιοσυνην ποιησατω habent. Verum cum Paulus comm. 8. christianos Corinthios severe reprehendat, quod iniuriam et damnum aliis, idque vel ipsis fratribus suis, inferre haud vereantur, credibile non est, tam paucis interiectis hosce tales Corinthios eum laudibus voluisse cumulare verbis nostris, absque ulla conditione positis. Nec temere sceleratorum catalogum comm. 9. et 10. orationi suae interseruisse, aut lectores, ne talia crimina a Christianis impune committi posse sibi persuadeant, monuisse videtur Apo-

stolus; quae omnia rectius aberant, si Corinthii, universe spectati, tantis laudibus indigni haud erant. Perpendentes hoc interpretationis huius patroni, variis artificiis objectionem facile praevidendam eludere conati sunt. Fuere hinc, qui totam sententiam interrogative enunciandam esse statuerent, hoc modo: *Enimvero num abluti estis? num sanctificati, num iustificati estis?* *) Alii *logice*, ut aiunt, intelligenda haec esse praeceperunt, *non de eo quod vera re in Corinthiis fieret, sed de eo, quod vi christianae religionis quam amplexi fuerant, fieri et plane posset et omnino deberet.* **) Alii de sanctitatis *initiis* accipi haec posse putarunt. ***) Alii denique nodum satis pulcre expedivisse sibi visi sunt, si lectores monuissent, *non tam elogium quaerendum hic esse, quam divinum beneficium, cuius et participes facti essent et inposterum esse possent Corinthii, si admonitioni Paulinae audientes essent.* †) Sed hac glossae omnes, si quid iudicamus, Paulo invito obtruduntur, nec ullum vestigium impressum est formulis ab Apostolo usurpatis, e quo colligi possit, hasce ideas menti eius fuisse obversatas.

Quamobrem rectius vocabulorum ἁγιαζεσθαι et δικαιωθηναι illustratio petitur e comm. 1. ubi Apostolus eos vituperat, qui mallent κρινεσθαι ἐπι των

---

*) Oederus in *syntagm. observ. sacr.* p. 599.

**) Sic Crellius aliique.

***) Vide Grotii interpretationem supra laudatam.

†) Verba sunt Wolfii in *Curis* in h. l.

ἀδικων, quam ἐπι των ἁγιων, hoc est, qui ethnicos iudices pati mallent, quam arbitros christianos. Etenim ethnicos ἀδικους, ἁμαρτωλους etc. appellari, contra vero christianos ἁγιων, ἡγιασμενων etc. nomine venire, vel tironibus notum est. Atque eodem fere modo comm. 6. ὁ ἀπιστος h. e. ethnicus opponitur τῳ ἀδελφῳ i. e. christiano. Similiter comm. 4. multi interpretes, τους ἐξουθενημενους ἐν τῃ ἐκκλησιᾳ ethnicos esse, non sine veri specie statuunt. Sed utcunque hoc est, dubio tamen caret, partim, aptissima et eleganti dilogia usum esse Paulum, ethnicos iudices, a quorum tribunalibus Corinthios suos longissime abesse cupiebat, ἀδικους appellantem; partim, per totam hanc pericopam id agere Apostolum, ut in memoriam revocet lectoribus, quantum pius Christi cultor antecellat profano idololatrae, quamque sit absonum, ἁγιον deligere sibi iudicem ἀδικον, quam denique indignum, ἁγιους litigare cum fratribus ἁγιοις more ἀδικων; partim pleraque scelera quorum catalogus legitur comm. 9. et 10. raro a Iudaeis, creberrime vero a gentilibus admissa fuisse; unde probabile fit, verba ταυτα τινες ἠτε vs. 11. spectare potissimum ad eos Corinthios, qui ante suam ad Christum conversionem ethnici fuerant. Quo posito, pronum est ad intelligendum, verba proxime sequentia; ἀλλ' ἀπελουσασθε κ. τ. λ. optime cohaerere cum universae orationis argumento et auctoris consilio, si ea ita interpreteris: Vos, qui antehac iure meritoque habebamini in profanorum, impurorum, ἀνοσιων, ἁμαρ-

πωλων, ἀδικων numero, iam baptismo suscepto purificati, et sanctorum iustorumque coetui aggregati estis; sanctorum autem societati adscriptum neutiquam decent facta, quae ab ἀδικοις perpetrari vix mirum poterat cuiquam videri. Paucis: ἀπελουσασθε, ἡγιασθητε, ἐδικαιωθητε synonyma sunt, nec peccatorum veniam neque animi et morum emendationem h. l. indicantia, sed mutatam Christianorum conditionem describentia, quod scilicet segregati a profanis gentilibus et incredulis Iudaeis, ac participes facti sint beneficiorum et privilegiorum omnium, a Deo cunctis ecclesiae Christi membris concessorum, et per baptismum in singulos collatorum, quorum consideratio incitare Christianum quemque et potest et debet ad ingenuum sanctitatis studium.

Hac admissa istorum verborum interpretatione, reliquarum formularum sensus vix dubius esse potest. Nempe sanctificati et iustificati erant Corinthii ἐν τῳ ὀνοματι του κυριου Ἰησου, quoniam ad fidem christianam perducti et sacro lavacro abluti fuerant, non privato Pauli ausu, sed ex mandato et ex auctoritate Domini nostri. Atque ἐν πνευματι θεου sanctificati recte dici poterant, quia Spiritus S. in colligendo Corinthi coetu ἁγιων, suo auxilio, variis operationibus extraordinariis conspicuo, adfuerat Apostolo, eumque cum ad tradendam tum etiam ad confirmandam miraculis doctrinam salutarem idoneum reddiderat.

Sufficere haec possunt ei, quo haec scripsimus, consilio, ut scilicet Vobis Cives Carissimi, suppeditaremus materiam, quam solemni hoc tempore pia meditatione uberius pertractare possitis. Superest, ut peramanter Vos officii Vestri commonefaciamus, Vosque hortemur, ut sancte celebretis festos hosce dies, et Vestram pietatem cum erga Deum tum etiam erga doctrinae coelestis interpretes meritissimos, qui sacris sermonibus habendis utilissimam operam dabunt, re et factis commonstretis.

P. P. ipso Pentecostes die. MDCCLXXXIII.

XVI.

Nexum inter virtutem et religionem paucis illustrat

habendasque a viro summe reverendo atque excellentissimo

Ioanne Guilielmo Schmidio,

Theologiae professore publico ordinario,

impetrandorum summorum in Theologia honorum causa recitationes solemnes et disputationem inauguralem

indicit

D. Ioannes Iacobus Griesbach,

ordinis Theologorum h. t. decanus.

Jenae.

Firmiter persuasum fuit piae antiquitati, ad formandos hominum ad verae virtutis studia animos, opus omnino esse religione, hancque firmissimum esse omnium virtutum praesidium, nedum unicum fundamentum; quare neglecta in Deum pietate nec virtus locum habere posse putabatur. Atque tam al-

tas in hominum mentibus persuasio haec egerat radices, ut non solum parentes nihil prius haberent nihilque antiquius, quam ut liberos ad religionem institui curarent, verum legislatores etiam rerumque publicarum et imperiorum praesides ac rectores legibus aliisque institutis caverent, ne inter cives deprehenderetur quisquam ab omni religione prorsus alienus. Hi enim populum in officio contineri, adeoque rempublicam ipsam salvam sartamque et tectam esse posse haud putabant, absque religionis adminiculo; illi vero alia ratione nulla effici posse arbitrabantur, ut tenelli animi virtutis amore imbuerentur atque in eam viam, qua ad veram felicitatem pervenitur, manu velut deducerentur. Convenerant autem in hanc sententiam non solum Christiani omnes, cuicunque sectae sese addixissent, sed cuncti fere per terrarum orbem universum populi, quotquot deposita feritate mansuescere et excusso barbariei jugo in excolendis animi dotibus nonnihil operae collocare coepissent.

Verum nostris hisce temporibus non parum immutatam cernimus rerum faciem. Quod enim vix cuiquam in mentem olim venerat, saltim quod nemini impune, pro istorum seculorum more, profiteri licebat, id hodie coram et scriptis prae se ferre publice haud verentur viri, qui prae aliis sapere sibi videntur. Non de iis verba hic facere constitutum mihi est, qui virtuti sive palam sive clam bellum indicere non erubescunt, et eos tanquam stupidos et stulta superstitione infectos irri-

dent, quibus curae cordique est virtutem cum exercere, tum aliis eandem commendare: contra hos enim, quorum numerus exiguus est et semper, ut confidimus, manebit, disputare non adeo necessarium videri potest, longumque foret. Sed praeter hos sunt alii, qui non in aliis solum virtutem laudant et reverentur, sed ipsi etiam ejus studio teneantur, aut saltim pro talibus, qui sincero ejus amore ducantur, haberi cupiunt: at vero a communi plerorumque sententia in eo discedunt, quod virtutem absque religionis adminiculo hominum animis ingenerari posse statuunt. Atque hi iterum in varias partes abeunt.

Nonnulli religioni naturali soli vim virtutis studium excitandi et alendi concedunt, christianam vero ad producendum illum effectum minus idoneam, saltim supervacaneam esse pronuntiant: *alii* autem omni penitus religione, sive naturali sive revelata, carere posse putant homines, qui verae virtuti studere velint. Cum vero christianae religionis prae naturali praestantia et ad flectendos ad genuinam virtutem animos vis plane singularis facili negotio evinci queat, et a multis viris doctis egregie evicta sit, quid *priori adversariorum generi* opponi possit, nemo non videt. Quid enim? num doctrinae, religioni christianae cum naturali communes, nativam suam vim et efficaciam ideo amiserunt, quod Christus et apostoli eas repetierunt ac divina, qua pollebant, auctoritate confirmarunt? Atque praeter illas religio nostra complectitur com-

plura dogmata sibi peculiaria, quae vehementer ad virtutis studium animos movere ac inflammare possunt, quin immo nullum sacrae litterae credendum proponunt dogma, cujus insignis usus ad promovendum virtutis amorem demonstrari nequeat; id quod religionis interpretes populo saepe et diligenter inculcare atque dogmata tali semper ratione tractare deberent, ut manifestum fieret omnibus vinculum illud indissolubile, quod cum agendis arctissimo nexu credenda copulat. *Ac si vel maxime* unus et alter philosophus, naturalis theologiae satis gnarus, qui animi humani naturam sollicite pervestigavit, bonorum malorumque fines curiose indagavit, virtutis et singulorum officiorum fontes, naturam et ambitum accurate novit, verbo, qui ea omnia, quae ad penitius perspiciendam recte beateque vivendi disciplinam universam aut commendandum virtutis studium facere possunt, probe callet: hic igitur talis philosophus si forte autumat ad imbuendum animum suum virtutis amore carere se posse illo adjumento, quod christiana religio omnibus qui ipsam vera fide amplectuntur offert; reputare tamen secum debet, paucissimos homines esse aut fieri posse philosophos, sed plerosque ita esse comparatos, ut erepta ipsis religione revelata, quam pro vera habent, destituantur simul omni eo, quo ad veram virtutem animi ipsorum formari possent. Optime profecto consulitur populo, si de variis officiorum generibus admonetur per eos, quos ad erudiendum genus humanum caelitus missos voluntatis divinae

interpretes veneratur. Sic enim non solum de eo, quid sectandum quidve fugiendum sit, edoretur melius, h. e. cum plenius tum accuratius et distinctius, quam si suopte ingenio quisque quam late pateat quodque officiorum genus indagare debeat, quod sane perquam est difficile; sed longe etiam firmior est, si divino testimonio innitatur, persuasio, et felicius tollitur omnis dubitatio, veram esse ad quam vitam suam conformare decrevit regulam, licitum ab illicito, honestum a turpi, utile a noxio discernentem. Praeterea doctrina divinitus patefacta, quae de provida Numinis cura res humanas gubernante, de variis summi erga homines amoris divini documentis, de auxilio divino quod iis qui virtuti ingenue student nunquam deest, de animorum immortalitate, de futuris praemiis et de aliis his similibus certos nos reddit, longe aptior est ad movendos hominum animos, quam subtilissimae ratiocinationes, quibus, spreta revelata religione, philosophi ad praestandum id, quod nostrarum partium esse docent, excitare nos conantur. Nam si e sensu quodam recti et honesti, quo natura ipsa animum humanum imbuisse creditur, officia derivare et hoc adminiculo ad flectendos homines uti velis, admodum is est ambiguus et apud diversos populos varius, ac forte in nemine mortalium tam integer reperitur et intemeratus, ut nihil alieni ab educationis ratione, regiminis civilis forma, alios imitandi studio, consuetudine etc. admixtum habeat. Si vero utilitatis cogitatione homines in officio continere et ad servanda morum praecepta impellere stu-

deas, haud paucae suboriuntur dubitationes, quid pro περιστασεων discrimine vere sit utile, tam nobismet ipsis, (qui varia utilitatis specie saepenumero ludimur,) quam aliis et reipublicae; nec satis extricata est quaestio, utrum sola commodorum ex actione quadam percipiendorum spe ad agendum incitari deceat virtutis cultorem, contra vero omnia, quae certam utilitatem non promittunt, quantumvis honestatis laude commendabilia sint, omittere jus fas sit? ut taceam scrupulos, qui optimi cuiusque animo iniiciuntur, si quae sibi ipsi utilia existimat aliorum felicitati aut reipublicae saluti officere vel honestatis regulis repugnare deprehendit. Sin denique ex naturae humanae indole, aut ex consilio, cui exsequendo hominem destinavit creator, rerum expetendarum fugiendarumve notitias et impellentes ad agendum aut abstinendum ab actione quadam causas repetas, hanc quoque viam multis difficultatibus obstructam esse reperies. Quid multa? quibuscunque rationibus ad adducendos homines, ut monitis ac praeceptis suis morem gerant, utatur philosophus, experientia edoctus parum aut nihil his omnibus proficere se intelliget apud populum, qui auctoritatibus et regi mavult et felicius, si dicendum quod res est, regitur, quam artificiosarum ratiocinationum subtilitatibus, nedum contortulis conclusiunculis. Nec est, cur hanc ob causam populum, velut servili ingenio praeditum, aspernemur aut sortem eius miseram doleamus, dummodo theologi caeterique doctores suo officio non desint, sed docendo et monendo id caveant

sedulo, ne homines quamcunque auctoritatem temere sequantur coeco quasi impetu abrepti et absque examine praevio, sed tum demum auctoritatibus duci se patiantur, ubi iustas et validas eas esse cognitum perspectumque habent. Caeterum neminem esse autumo, qui naturalem religionem efficacem esse concedat ad promovendam inter homines virtutem, quin eandem immo maiorem etiam vim inesse largiatur christianae religioni, dummodo de huius veritate convictus sit. Atque hinc patet, quibus modis ad saniorem mentem perduci debeant doctrinae morum in sacris christianorum libris traditae contemtores.

Alterum adversariorum genus naturalem religionem aeque ac revelatam ad excitanda alendaque virtutis studia impotentem iudicat, et in hoc negotio nihil non educationi, assuefactioni, exemplis, et praesertim eorum qui reipublicae gubernacula tenent et penes quos legum ferendarum potestas est prudentiae, sapientique regiminis politici constitutioni, immo aëris coelique temperaturae, cibi et potus quo quisque nutritur conditioni, naturali organorum, quorum ope sentimus, conformationi corporisque habitui, et aliis huius generis rebus tribuendum esse censet. Quae opinio quam sit vana, satis apparebit, si paullo attentius in praecipuos fontes, unde ea manavit, inquiramus.

Primum quidem fraudi fuit viris, qui isto commento delectantur, notionis quae vocabulo virtus subiecta est ambiguitas, unde rerum valde inter se diversarum et sollicite discernendarum exorta est per-

mutatio atque confusio. Si quis enim ulla in re animum actionesque suas ad regulas iusti et honesti conformat, adeoque officii quo obstrictus tenetur partem aliquam explere videtur, hunc, licet multis aliis in rebus ab officio discedere soleat et variis vitiis indulgeat, tamen virtutis laude exornare solent; qua significatione admissa, multis virtutibus clarus esse potest homo a religione alienissimus. Sed virtus, de qua nobis sermo est, in universa animi indole conspicitur et totam hominis vitam agendique rationem regit. Lubentes igitur largimur, adiumentorum supra commemoratorum ope effici posse hoc, ut homines nonnulli absterreantur a caede, furto, crudelitate, iniustitia, inhumanitate; alii temperent sibi a variis cupiditatum generibus, libidine, ingluvie; alii ab aliis sese abstineant vitiis. Quin fieri etiam posse concedimus, ut singuli homines, immo populi etiam, istiusmodi subsidiis adiuti laudem prae aliis consequantur iustitiae, aequitatis, humanitatis, liberalitatis, hospitalitatis, comitatis, candoris, veracitatis, abstinentiae, temperantiae, frugalitatis, patientiae, constantiae, fortitudinis etc. Sed quid tum postea? Utrumne homo una aut altera ex modo enumeratis virtutibus praeditus comparari potest cum eo, cuius animus ad studium omnigenae virtutis per religionem, christianam praesertim, inflammatus est? Quodnam, obsecro, pretium statuemus virtuti, quae tota paene a rebus externis, quae in nostra potestate positae non sunt, pendet? Quot rerum fortuitarum concursu opus est, ut homo vel mediocres in colen-

da virtute progressus faciat? Quid fiet iis, qui virtutibus eminere nequeunt, quia istis adminiculis destituti sunt, et sive coeli inclementia, sive misero civitatis in qua vivunt statu, sive perversa legum quibus subsunt conditione, sive aliis eiusmodi rebus ab exercendis variis virtutum generibus velut cohibentur? Veneramur quidem creatoris benignitatem, qui naturam nostram ita efformavit, ut vel paucis et exiguis subsidiis adiuti ad altiores paullatim perfectionis gradus, velut aliud agentes, evehamur et mitiores sensim mores induamus; admiramur providentiae divinae sapientiam, quae res humanas ita moderatur, ut homines ferocitatem et barbariem pedetentim deponant et ad promovendam cum suam tum aliorum felicitatem tam domesticam quam publicam aptiores reddantur: sed ingrati essemus profecto erga Deum liberalissimum, si summum quod humano generi concessit beneficium, religionem puta, contemtim haberemus, nec ita eo uteremur, ut eius praesidio muniti ad perfectionis fastigium, quod quidem mortales attingere possunt, escenderemus.

Deinde manifesto errant adversarii, adminicula quaelibet, quaecunque ad excitandum acuendumve virtutis studium aliquantulum conducere possunt, confundentes cum illo fundamento, cui virtutem nostram, nisi admodum imperfectam et mancam sufficere forte statuamus, omnino superstruere debemus. Institutionem puerilem, disciplinam severiorem aut remissiorem, exempla, quae quotidie ante oculos nobis versantur, et leges ad quarum normam civitas

vel sapienter vel inepte regitur, magnam habere vim ad formandos mores et imbuendos sive virtutis sive vitiorum amore animos, quis est qui negare ausit? Sed istis omnibus, nisi simul religionis igniculos admoveas, frustra elaborabis tale virtutis studium accendere, quo solo ad illud perfectionis culmen, quo pervenire potest natura humana, eniti licet. Hocce enim studium aliunde non provenit quam e fide in Deum et providentiam divinam, ex certa vitae post mortem futurae exspectatione firmaque praemiorum iustissime aeque ac benignissime piis a Deo distribuendorum spe, e reverentia erga numen sanctissimum et omniscium, ex amóre erga creatorem et dominum, qui idem et pater noster est indulgentissimus, tali quo parentes suos prosequuntur liberi, e promta voluntate exsequendi quicquid leges divinae, ad promovendam felicitatem nostram sapientissime comparatae, a nobis postulant, verbo, ex sensibus quos diligens et seria doctrinarum et naturalis et christianae religionis consideratio cum progignit tum nutrit. Sed gravissimi huius argumenti uberiorem tractationem nostra non capit brevitas, nec opus esse videtur, ut diutius ei immoremur, cum ab aliis accurate demonstratum iam sit, religione sublata firmissimum omnium et praecipuum corruere genuinae virtutis fulcrum, nec posse omnibus numeris absolutam esse virtutem, si religionis praesidio denudetur. Quare in indicandis fontibus, e quibus error, quem reprehendimus, promanasse videtur, pergimus.

Nimirum offenderunt nonnullos placita antiquio-

rum Theologorum quorundam, docentium, omnis virtutis *unicum* fontem et principium esse religionem, nec posse quenquam officio satisfacere nec quidquam boni peragere, nisi religio ipsum ad hoc praestandum idoneum reddat; contra vero reliqua omnia, quae laudari solent, virtutis adiumenta et praesidia honorifico hoc nomine indigna esse, quippe quae, nisi religio accedat, omni vi ad emendandos animos adducendosque ad verae virtutis studium homines prorsus destituantur; inter barbaras itaque gentes, quae Deum colere nondum didicerint, nullum virtuti locum esse relictum, similiterque omnes religionis contemtores, inprimis Atheos, omnium virtutum omnino expertes esse, atque, si forte virtuti consequendae et vitio expellendo operam dare, ac mores actionesque suas ad aequitatis honestatis et probitatis leges componere videantur, pro hypocritis habendos esse. Quibus omnibus, inde ab Augustini tempore, addere consueverant Theologi, nullam religionem, si a christiana discedas, ad spargenda verae virtutis semina idoneam esse, adeoque christianos solos genuinae virtutis laude claros esse posse, ethnicorum autem virtutes et praeclare facta vera re vitia esse splendida, poenis digniora quam praemiis; quicquid enim aliunde quam ex fide proveniat, id omne peccatis esse accensendum. Talibus igitur decretis exacerbati nonnulli, in contrariam ruerunt sententiam et eo usque progressi sunt, ut religionem, praesertim christianam, parum aut nihil, caeteras autem supra commemoratas res, ut educationem, gubernationis politicae for-

mam etc. plurimum prodesse statuerent ad liberandos a vitiorum tyrannide animos adducendosque homines ut omni studio virtutem sectentur. Sed facili negotio ex istis tricis nos expediemus, si seposito omni partium studio, cum plura omnino sint virtutum adiumenta et vitiorum remedia; unicuique tantum attribuimus, quantum per cuiusque naturam licet et experientiae consentaneum est. Ultro igitur largimur, homines a christiana religione alienos, immo Atheos, permultis in rebus leges iustitiae, aequitatis, beneficentiae, temperantiae, honestatis servare et egregiis factis bene de amicis, civibus, republica mereri posse. Verum nobis contra concedendum omnino est, Atheorum virtutem admodum mancam, lubricam et incertam, atque vix quae virtutis titulo condecoretur dignam esse, ut quae firmo fundamento haud innitatur nec e limpidis fontibus profluat; quin nullam eam esse, nisi, miro consensu, egregia educationis et institutionis puerilis ratio, optimorum ad imitandum propositorum exemplorum copia, sapientissima reipublicae constitutio legumque conditio, et reliquae περιστασεις omnes amice conspirent ad excitandum qualemcunque recti honestique et sensum et amorem; ubi vero ista vel omnia vel ex parte saltim desint aut contraria sint, desperandum esse de Athei virtute. Quod vero ad eos homines attinet, qui Deum res humanas moderari agnoscunt eumque reverentur ac (pro suo quisque sensu) colunt, a christiana autem disciplina alieni sunt, dabunt nobis aequi arbitri, hos, si caetera adiumenta paria sint,

tanto facere posse maiores in virtutis studio progressus, quo tum ipsi religiosiores sunt, tum religionis, quam amplectuntur, formula ad perfectionis legem propius accedit. Christianam autem religionem prae caeteris omnibus ita esse comparatam, ut ad perfectissimam quae in humanam naturam cadit virtutem cultores suos adducere queat, comparatio eius cum omnibus, quotquot unquam extitere religionibus, abunde quemque edocebit.

Tandem adversarii, si quid iudico, ambiguitate vocabuli religio se aliosque fallunt. Qui religionem ad corrigendos hominum mores et ad vitia exstirpanda parum valere clamitant, dum religionem nominant, indicare velle videntur religionis theoriam, doctrinarum συστημα, catechismum s. compendium theologicum, aut qualemcunque religionis cognitionem. Quae si quis iudicet in se spectata parum prodesse ad virtutem consequendam et vitia expellenda, nos facile habebit consentientes, adstipulante ipsa etiam experientia, quae innumeros nobis sistit christianae h. e. praestantissimae religionis professores, qui virtutis expertes vitiis quotidie vitam suam turpiter commaculant. Sed de hoc non quaeritur. Nam religio, cuius efficaciam in emendandis animis regendisque moribus laudamus, neutiquam eo continetur, ut quis memoriae mandet doctrinae christianae capita et, praeiudicata opinione inductus, vera ea esse teneat ac adversus secus sentientes mordicus defendat, aut cerimonias praescriptas scrupulose observet. Sed is demum religionis vim experietur, qui non tantum

de veritate eorum fidei capitum, quae cum morum cultura coniunctionem aliquam habent, planissime compertum habet eaque fide inconcussa, iustis argumentis innixa, credit, et diligenti eorum consideratione delectatur, verum etiam ad animum suum ita ea refert, ut inde oriatur sensus reverentiae et amoris erga Deum una cum fiducia in eo collocata et perpetuo ei placendi studio. Haec religio, quae non solum memoria tenetur aut intelligentia comprehenditur, sed ipsum etiam animum intime afficit, in abditissimos eius recessus penetrat, et in ordinanda universa sentiendi volendi agendique ratione vim suam exserit, haec, inquam, a nobis propter efficaciam suam in excitando alendoque virtutis studio commendatur. Nec est cur religioni opponantur educatio, assuctudo virtutis, et alia quae saepius nominavimus. Neutiquam enim haec sibi opposita sunt, nec separari a se invicem debent, sed coniungenda potius sunt omnia; qua coniunctione fit, ut ista virtutis adiumenta, accedente ad ea religionis vi interna, multo adhuc reddantur efficaciora.

Sed abrumpendum est orationis filum et deveniendum ad id, quod haec praefandi occasionem nobis praebuit. Nempe summi in Theologia honores perendie conferentur in Candidatum dignissimum, quem de rebus ad se pertinentibus suis verbis exponentem Lectores lubenter audient.

Ego Ioannes Guilielmus Schmid *natus sum Ienae d.* xxx. *Augusti*, cIↃIↃcclxxxxiiii. *Patrem veneratus sum* Paulum Guilielmum Schmid, *Sereniss. Duci Sax. Co-*

burgensi a consiliis aulicis, Pandectarum in hac academia Professorem Publ. Ord. et Dicasteriorum Ienensium assessorem, anno CIↃIↃCCLXIII. *praematura morte, cum fasces academicos teneret, mihi ereptum; matrem autem* MARGARETHAM MARIAM CHRISTIANAM, *ex gente* BRÜCKNERIA, *qua iam infans orbatus, alteram matrem* ANNAM SOPHIAM IACOBINAM *natam* GÜNTHERIAM *colui, cuius, cum germanae matris partibus praeclare functa sit, memoriam gratissima semper recordatione colam. Parentes optimi nihil eorum omiserunt, quae ad excolendam mentem et vitae rationem necessaria duxere, ideoque mature privatorum me praeceptorum disciplinae tradiderunt, qui primis disciplinarum rudimentis me instruerent, quod illos quidem assidue, fideliter ac strenue perfecisse memini. Postea ad maturiorem aetatem progressus, ut ad academica studia auspicanda me pararem, scholam publicam urbis patriae adii, et in ea simul institutione praeclara summe reverendi et excellentissimi* BLASCHII, *nunc collegae mei coniunctissimi aestumatissimique usus sum. Optimis his primae aetatis meae ducibus et magistris non possum non gratam meam mentem palam profiteri, quod tanta fide ac industria cognitioni meae amplificandae animique indoli emendandae operam dederint, et largissimam illis numinis divini remunerationem ex animo apprecor. Anno academiae nostrae iubilaeo* CIↃIↃCCLVIII. *ad altiora studia transire et scholas academicas frequentare coepi, iam antea a b.* PARENTE *in civium academicorum numerum receptus. Prima cura fuit, ut illarum artium linguarumque probabilem cognitionem mihi compararem, quae ad theologiae studium felici cum successu prosequendum necessa-*

riae sunt, ideoque linguae latinae atque graecae nec non artis oratoriae et antiquitatum romanarum atque graecarum uberiorem notitiam ex praelectionibus theoreticis et practicis b. I. E. I. WALCHII *et* S. R. BLASCHII *hausi, et societati privatae latinae et teutonicae, quae sub praesidio posterioris floruit, per aliquot annos interfui; linguarum orientalium ingenium e scholis b.* TYMPII ZICKLERI *atque* HIRTII *cognovi; philosophiam me docuerunt Perill.* DARIESIUS *et b.* POLZIUS, *historiam cum annexis disciplinis b.* I. E. SCHMIDTIUS *et Ill.* MÜLLERUS, *mathematicas denique disciplinas viri Illustres* SUCCOVIUS *atque* WIEDEBURGIUS. *Praeterea per aliquot aunos ex numero eorum fui, qui sub moderamine b.* I. E. I. WALCHII *privatis ac publicis disputationibus exercebantur, et sub praesidio eius A.* cIↃIↃCCLXI. *disputationem:* de antiquitatibus Corinthiacis *publice defendi. His adminiculis instructus statim ad theologica studia me contuli et in theologia dogmatica, morali ac polemica, nec non in exegeticis, hermeneuticis, homileticis atque catecheticis studiis, in historia item ecclesiastica viros beatos et suo tempore meritissimos* I. G. WALCHIUM, KOECHERUM, ZICKLERUM *et* F. TH. MÜLLERUM *doctores colui. Tanta virorum illorum in me sunt merita, ut verbis ea non satis depraedicare valeam. His igitur doctrinae sanctioris partibus, quibus addiscendis praecipuam ut operam darem, consilium quod ceperam a me postulabat, iuris canonici studium iungere, non supervacaneum putavi, quare in illo aestumatissimi carissimique patruelis,* A. L. C. SCHMIDII, *tunc pandectarum Professoris P. O. postea Ser. Duci Sax. Vin. et Isenac. a consiliis intimis et Can-*

cellarii, nuper ad coelites transvecti, institutione usus sum, quem, cum non modo hac in re, sed in omnibus etiam, quae ad salutem meam spectarent, singulari cura ac sollicitudine tantopere de me meritus sit, ut alterius parentis munere fungeretur, immortali veneratione prosequar. Studiis academicis hac ratione finitis A. cIↃIↃCCLXIIII. *in terras Hannoveranas me contuli et Novoburgi trans Visurgim in comitatu Hoyensi praefecti cuiusdam* SCHLÜTERI *filium alterum in doctrina sacra et litteris humanioribus erudivi, tempus autem, quod mihi a negotiis illis reliquum fuit, in excolenda et amplificanda scientia acquisita consumsi. Quinquennio his occupationibus iucunde praeterlapso A.* cIↃIↃCCLXVIIII. *in patriam urbem et academiam redii, et ad summum in philosophia gradum promotus studiosae iuventuti erudiendae operam dedi, eumque in finem A.* cIↃIↃCCLXX. *pro facultate docendi* primam *dissertationem inscriptam*: Historia doctrinae immortalitatis animorum, historice et dogmatice spectata, alteram *autem eiusdem argumenti anno sequenti pro loco in Philosophorum Ordine obtinendo defendi. Primo tempore praelectionibus historiae philosophiae et linguae hebraicae, deinde, S. V. Theologorum Ordine consentiente, homileticis et catecheticis occupatus fui. Quibus negotiis felicius conficiendis magno adiumento fuit beneficium ex instituto b. lib. Bar.* NIC. CHRISTOPH *de* LYNCKER, *benevolentia supremi Senatus sacri Vinariensis et S. V. Theologorum collegii mihi concessum, quo ut aliquo modo dignum me redderem, ex mandato viri beati duas orationes:* De dignitate atque splendore Augustanae confessionis externo, ex com-

paratione cum reliquis confessionibus apparente, *in templo academico A.* cIↄIↄccLXX *et* LXXI. *recitavi atque typis exprimendas curavi. Academicis husce negotiis ut ecclesiastica quoque iungerem, providentia dei voluit, cum A.* cIↄIↄccLXXII. *munus pastoris in aede suburbana S. Ioannis, concionatoris militum et collaboratoris Ministerii Ienensis mihi deferretur, quod A.* cIↄIↄccLXXVI. *cum Diaconi in aede primaria S. Michaelis provincia a Senatu huius urbis ad eam vocatus, commutavi. Sub initium A.* cIↄIↄccLXXVIII. Io. Fried. Metichii, *Ser. Duci Sax. Cob. Meiningensi a Consiliis et praefecturae Neuenhausensis praepositi filiam natu maiorem,* Catharinam Mariam Christianam *uxorem duxi, quod quidem matrimonium ita respondit votis meis, ut id in praecipuis felicitatis meae partibus numerem. Interea pro viribus publice coetui sacro, privatim studiosis inservire pergebam, donec numini divino placuit, nuper me ab ecclesiastico avocatum ad academicum munus traducere. Praeterito enim anno* Serenissimi Duces Saxoniae, Academiae nostrae nutritores munificentissimi *ex singulari clementia professoris theologiae ordinarii provinciam mihi demandarunt, quam eodem anno oratione:* de psychologiae studio ecclesiae ministro admodum necessario *auspicatus sum, et ad eam audiendam prolusione academica*, disquisitionem brevem praeceptorum partitionis homileticae *continente invitavi. Nihil iam magis mihi curae est semperque erit, quam ut muneri gravissimo mihi tradito satisfaciam, eoque* Serenissimis Nutritoribus *pro tantis indulgentiae documentis gratissimam devotissimamque mentem profitear.*

Ut igitur locum in Theologorum Ordine sibi gratiosissime a SERENISSIMIS DOMINIS NOSTRIS assignatum ex praescripto statutorum academicorum sibi vindicaret Vir summe Reverendus atque Excellentissimus, Doctoris Theologi titulum et iura rite impetrare decrevit. Quod ut more maiorum fiat, crastino die horis XI. et II. praelectiones solemnes *de auctoritate librorum symbolicorum ecclesiae Lutheranae, pro ratione temporis nostri diiudicanda*, habebit, perendie autem dissertationis suae *de nexu inter fidem et virtutem christianam* partem priorem inauguralem publice defendet. Quibus omnibus peractis, summi in Theologia honores, quos ab Ordine nostro petiit, in Candidatum doctissimum pro suis meritis publice conferentur.

Utramque hanc solemnitatem, in auditorio theologico celebrandam, ut COMES S. R. I. ILLUSTRISSIMUS, PATRES ACADEMIAE VENERANDI, PROFESSORES ET DOCTORES QUIQUE CELEBERRIMI, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI ET COMMILITONES GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE sua praesentia splendidiorem reddere velint, cum Ipsius ACADEMIAE PRORECTORIS MAGNIFICI, Eiusdemque Brabeutae ad solemnem hunc actum legitime constituti, tum meis verbis ea qua quemque decet observantia et humanitate oro rogoque.

P. P. Ienae sub sigillo Collegii Theologorum, a. d. II. Sept. A. O. R. MDCCLXXXIV.

XVII.

Pentecostes solemnia pie celebranda civibus indicit academia Jenensis. Inest stricturarum in locum de theopneustia librorum sacrorum particula prima. Jenae. MDCCLXXXIV.

Gravissimus locus de scriptura sacra, si quis alius inter eos, qui dogmaticae disciplinae συστημα constituunt, multis naevis, si e vulgaribus libellis rem iudices, deformatus olim fuit, quos ei partim superiorum temporum sive inscitia sive negligentia, partim doctorum de demonstranda divina scripturae s. auctoritate nimis anxie sollicitorum et quamvis argumentationem, demonstrationis speciem mentientem, cupide amplectentium imprudentia, partim nimium et inconsideratum Pontificiorum placitis occurrendi studium ei contraxerat. Nam primum quamplurima admixta erant dogmaticae tractationi, ad historiam librorum sacrorum aut ad rem criticam spectantia, v. c. de textubus originalibus, versionibus,

canone, aliisque similibus rebus, quae profecto ignorare theologum dedecet, quae vero a religionis ipsius summa sollicite seiungenda sunt; quorum permixtio duplici modo doctrinae publicae noxia fuit. Non solum enim plerique, qui conscribendis dogmaticae doctrinae corporibus operam dedere, in hoc rerum genere parum periti et exercitati fuerunt, nec verum a falso, certum a dubio, probabile ab eo quod veri specie destituitur subtiliter discernere potuerunt; unde errores haud pauci, et inter hos putidi nonnulli, in vulgares libellos irrepsere: verum, quod magis etiam dolendum fuit, utpote solidae et liberali eruditioni theologicae perquam pestiferum, et ad alendam superstitionem admodum appositum, omnes istae hypotheses, sive verae sive falsae, dogmatum christianorum, quae absque impietate repudiare aut impugnare nemini liceret, auctoritatem sensim nactae, et quasi consecratae sunt. Quae enim in doctrinae christianae corpus assumta, et arcto vinculo cum primariis fidei capitibus connexa esse videbant homines, ea etiam omnia ad fidei ipsius formulam pertinere, facili errore sibi persuadebant, et ut secus sentientes profanorum gregi accenserent proni erant. Deinde parum commendabilis erat vulgata demonstrandae veritatis doctrinae christianae ratio. Plerique, de argumentorum numero magis quam de eorum pondere solliciti, valde frigida admiscebant gravioribus. Quid? ne de eo quidem, quid isto argumentorum apparatu probare sive velint sive possint, satis cogitasse videntur. Confundere enim solebant divinum *do-*

ctrinae ortum, nec non librorum sacrorum *divinam auctoritatem*, cum *origine* horum *librorum* divina; unde evenit, partim, ut argumentis ad solam doctrinae originem coelestem librorumque sacrorum auctoritatem divinam (quam ne a canonica quidem rite distinguebant) evincendam idoneis, etiam librorum divinam originem confirmari posse existimarent; partim, ut librorum et ipsius adeo religionis auctoritatem integram servari posse non putarent, nisi eam dogmati de librorum origine divina auctorumque theopneustia, velut fundamento, superstruerent; quae res multis dubitationibus ansam praebuit. Praeterea peccatum etiam a multis fuit in eo, quod *cunctos* bibliorum libros omnesque horum partes, neglecto insigni quod cum inter illos, tum inter has intercedit discrimine, pro partibus homogeneis eiusdem totius haberent, et, quicquid de nonnullis libris librorumve segmentis valet, id similiter eademque plane ratione de universis enunciari posse arbitrarentur; cui opinioni repugnat et auctorum longe differens conditio, et argumenti ab ipsis tractati varietas, et scopi quem sibi proposuerant diversitas. Denique in finiendis describendisque affectionibus, quas vocant, scripturae sacrae, e. gr. perspicuitate eius, multi studio adversariis contradicendi potius quam veritatis amore ducti fuisse videntur. Tandem, quae de theopneustia sacrorum librorum vulgo docebantur, ita comparata erant, ut dubitationibus ampla praeberetur occasio, ut mox videbimus.

Sed emendavit iam recentiorum Theologorum

solertia pleraque, quae antiquiorum admiserat incuria. Post Io. CLERICI*) concertationem cum RICH. SIMONIO, et Anglorum nonnullorum**), quos bella cum Deistis gerenda de quibusdam doctrinae publicae defectibus admonuerant, conatus; restituta iam maiore cogitandi libertate, cum ingenium populorum orientalium penitius cognosceretur, critica ars felicius exerceretur, librorum sacrorum interpretatio iustis regulis curatius attemperaretur, historia auctorum et librorum utriusque Testamenti in clariori luce collocaretur, librorum tam historicorum et propheticorum quam didacticorum vera indoles et interna quasi oeconomia multo quam antea studiosius pervestigaretur, et, reiectis theoriis ingeniose excogitatis, id potissimum attenderetur, quod ex curatis observationibus subtiliter inter se comparatis rite effici posset: rectius constitutus est a dogmaticis universus de scriptura s. locus.

Attamen vana spe se falleret, qui omnia iam in doctrina nostra publica ad liquidum perducta esse, nec quicquam, quod correctione aliqua egeat aut luculentius adhuc illustrari possit, restare putaret. Quod ut exemplo quodam declaremus, nonnulla ad doctrinam de theopneustia spectantia in medium proponere lubet; qui locus, etsi longe quam antehac rectius

*) Hic enim auctor fertur libellorum qui inscribuntur: *Sentimens de quelques Theologiens d' Hollande sur l' hist. crit. du V. T.* Amst. 1685. et: *Defense des Sentimens.* ib. 1686.

**) Nominasse sufficit *Doddridgium*, *Bensonium*, *Middletonum*, *Wartburtonum*.

posita fuerit operatio divina, quam inspirationem appellant, distinctius declaret; eo tamen prodest, ut intelligamus, in finienda theopneustiae notione cavendum esse eorum errorem, qui omnium idearum scripto consignandarum immediatam suggestionem necessario hac notione comprehendendam esse arbitrantur, et miraculorum numerum praeter necessitatem adaugent. Non minus utile est eorum praeceptum, qui plures inspirationis gradus admittendos esse monuerunt. Fatemur quidem, haud posse quemquam sibi arrogare iudicium, quisnam gradus cuilibet libro aut libri segmento assignandus sit, nec infitias imus, ab arbitrio fere cuiusque pendere, quot cogitando sibi effingere, et quibus discriminibus alterum ab altero distinguere velit. Sed multae tamen *dubitationes* praecluduntur, si teneamus, theopneustiam non inepte tribui posse iis etiam libris, quorum auctores infimo tantum gradu theopneustiam experti sunt, ac cogitemus, quemcunque gradum, imum aeque atque summum, sufficere ad vindicandam libris sacris eam auctoritatem, qua pollere eos oportet, si fides nostra tuto et absque perniciosi erroris periculo inniti iis debeat*). Cognatum cum hoc praecepto est alterum, quo in memoriam revocare iubemur discrimen inter textus historicos, doctrinales et propheticos; quos si omnes eodem modo a Spiritu S. scriptoribus inspira-

*) Vide quae subtiliter inprimis hac de re disputavit *Töllnerus*, *von der Eingebung der h. Schrift*, 1771. pag 101. seqq.

tos esse affirmas, talia defendis, quae sapientiae divinae, superflua et inutilia respuenti, parum consentanea sunt *). Eandem ob causam negligenda quoque non est argumenti, quod uno eodemque libro tractatur, diversitas. Nam principalium partium alia certe ratio est quam accessoriarum, quae ad scopum auctori propositum parum aut nihil conferunt, quamquam et hae non temere, sed propter utilitatem lectorum, eorum praesertim, ad quos primitus libellus quisque directus fuit, adiectae sint. Exemerunt igitur Theologi cordati ex textuum, quorum inspirationem defendendam susceperunt, numero, salutationes epistolis apostolicis adiunctas, captationes benevolentiae, tractationi interdum ab auctore praemissas, narratiunculas de rebus ad auctorem eiusque socios et amicos horumque vitam privatam et domesticam pertinentibus, et alia similia, quorum nulla est cum scopo, cui obtinendo ab auctore theopneusto libellus destinatus fuit, necessaria coniunctio; e quo genere etiam sunt interpretationes locorum Veteris Testamenti in Novo, et Evangelistarum piae meditationes de prophetarum oraculis per hunc illumve eventum iam impletis; item minutae historiarum in litteras relatarum περιστασεις, quas si vel ignoraremus penitus vel minus accurate teneremus, tamen de rerum gestarum ipsarum veritate et consilii divini, quo eventus ita dispositi fuerunt, salubritate certissime

*) Conf. *Kiddels Abhandl. von Eingebung der h. Schrift, mit freyern Zusätzen von D. I. S. Semler.* 1783.

personasi esse possemus: e. gr. utrum Dominus ad eam Hierichuntis portam, quae Galilaeam versus spectat, an vero ad eam, qua Hierosolymam itur, coeco homini lucis usuram concesserit? utrum mulieres, sepulcrum Salvatoris resuscitati summo mane Paschatos ingressae, binos angelos conspexerint, an unicum illum, qui allocutus eas est? Ponas enim, (etsi doctus interpres huius generis difficultates et ἐναντιοφανείας facili plerumque negotio extricabit, sed ponas,) historicos sacros nonnunquam ignorasse eiusmodi minutias, aut memoriae imbecillitate a summae ἀκριβείας lege paullulum in narrando hic ibi abevasse: ideone coelestem Iesu Christi doctrinam perperam ab iis traditam, historiamve restitutae per eum salutis humanae fundataeque religionis et ecclesiae *christianae* corruptam esse statuemus? aut saltim falli nescios ipsos fuisse in tradendis iis, quae christiano homini scitu necessaria sunt, dubitabimus? aut divini Spiritus afflatu in docendo et scribendo adjutos eos fuisse negabimus? Quin potius memores simus consilii, quo libri sacri a Deo concessi nobis sunt, quod profecto hoc fuit, ut haberent omnis aevi homines monumenta certa, e quibus citra erroris periculum discere possent, tum, quodnam fuerit argumentum doctrinae a viris ad collustrandum coelesti luce orbem a Deo missis propositae, tum etiam, quibus modis divina providentia procuraverit, ut veritatem coelitus patefactam homines pie amplecterentur, quave ratione latius propagata ea sit et conservata. Quicquid ad consequendum hunc finem necessarium fuit,

id providam numinis curam certissime sive naturali sive, ubi opus erat, supernaturali modo effecisse, gravissimis rationibus permoti, pie credimus; cur vero eo usque progredi nos oporteat, ut statuamus Deum quotiescunque verbulum aliquod a summa historicae veritatis ἀκρίβεια paullulum deflectens calamo sacri scriptoris elapsurum iam esse praevideret, miraculosa quadam operatione cavisse, ne verbulum istud scribenti excideret, idonea causa apparet nulla. Nimis certe meticulosi videntur, qui ne, his admissis, fidei nostrae fundamentum labefactetur et religionis cognoscendae principium dubium et incertum fiat, neve sacra biblia ad classem librorum mere humanorum detrudantur, verentur. Ecquis enim reformidet adversarium huiusmodi argumentatione utentem: si Deus non impedivit, quae omnipotenti sua vi impedire quidem potuit, quae vero salvo sapientissimo suo consilio permitti etiam poterant, sique non praestitit, quod praestare quidem poterat, quo vero non admodum opus erat: nec id censendus est praestitisse, sine quo irrita fierent divina consilia, neque impedivisse, quo admisso summum beneficium a Numine generi humano concessum inutile fere redderetur! Aut quis ferat ita ratiocinantem: si auctores sacri in eventuum, quos vel uti ab aliis eos acceperant referebant, vel quibus ipsi quidem, at plura lustra antequam ad scribendum animum appellerent, interfuerant, περιστασεσι enarrandis unquam errarunt, aut si in explicandis veterum prophetarum oraculis popularium suorum interpretandi me-

thodum parum probabilem interdum imitati *sunt*: sequitur, vanam esse eorum persuasionem, qui hosce scriptores a Spiritu Dei actos et in scribendo adiutos fuisse affirmant!

Plura commemoranda restant, quae recentiorum Theologorum diligentiam et prudentiam *in* melius constituendo loco de theopneustia demonstrant, e quibus vero potiora tantum, idque paucissimis, decerpemus. Itaque, cum antiquiores doctores miraculosas Dei operationes in inspirationis *negotio praeter* necessitatem multiplicarent, et fere *nihil* naturalibus auctorum viribus et providentiae ordinariae gubernationi tribuerent, sed tantum non omnia ἀμέσως a Spiritu S. effecta esse contenderent: correxit iam cordatorum Theologorum solertia id, quod in hac opinatione sapientiae divinae minus congruum esse videbatur. Inculcare enim iam solent doctores, Deum secundum naturae ordinem et per media naturalia tantum effecisse, quantum per haec et hoc modo praestari posset; supernaturales autem operationes ibi tantum locum habuisse, ubi naturales vires producendo effectui impares essent. Nempe in qualibet oratione divinitus inspirata plura discerni possunt quasi momenta, v. c. loquendi scribendive voluntas, materiei delectus, argumentorum dispositio, dictionis character etc. quorum quodque vel naturalem habet originem vel supernaturalem, et, quae supernaturali modo orta sunt, ea vel penitus et per omnia sunt supernaturalia, vel ex parte tantum. Atque hinc colligitur, orationi theopneustiam vindicandam

esse, si vel unicum istorum, idque ex parte tantum, causae supernaturalis effectus sit; nec minori auctoritate pollere librum, in quo paucula tantum, et ex parte solum, quam eum in quo plurima aut omnia supernaturali Spiritus S. operationi debentur *). Tandem egregie de hoc dogmate aeque ac de universa demonstratione veritatis religionis christianae meriti sunt, qui accurate ostenderunt, theopneustiam nullo vinculo necessario coniunctam esse cum religionis ipsius divina origine et auctoritate, sed doctrinam christianam pro vera et divina agnoscendam fuisse, si vel nullus liber biblicus esset theopneustus. Nimirum Christum et apostolos vere esse Dei ad homines legatos, hosque nil nisi quod verissimum et generi humano saluberrimum sit docuisse, id argumentis probatur, quae, negata etiam scriptorum sacrorum theopneustia, inconcussa manent. Genuinam autem Christi doctrinam ex libris Novi Testamenti accurate disci posse, fatebuntur omnes, qui cogitare velint, quosnam auctores habeant hi libri; scilicet eos, quos tam Iesus Christus ipse et ante et post mortem suam, Marc. 4. 34. Io. 15. 27. Act. 1, 3. quam post huius in coelum discessum Spiritus Sanctus in omnibus religionis capitibus erudiverat; Io 14, 26. 16, 13. quibus, sicubi opus erat, novae revelationes divinae, etiam post Spiritus Sancti effusionem, obtigerunt; 1 Cor. 2, 6-10. 2 Cor. 12, 1. seqq. Act. 10, 10. seqq. qui singulari quadam Spiritus divini operatione ad

*) Vid. *Töllnerus loc. cit.* pag. 110. seqq.

sustinendum munus doctorum idonei redditi et dotibus, naturae vires superantibus, exornati fuere; Luc. 24, 49. Act. 2. quos Dominus ipse novae religionis doctores constituit, Matth. 28, 19. 20. et quidem cum plenissima potestate Io. 17, 18. res ad religionem pertinentes definiendi legesque ferendi, Matth. 18, 18. idque hoc omine, ut Déus quae decernerentur ab ipsis rata sit habiturus, et homines, ipsorum praeceptis et monitis obtemperantes, Christo ipsi, immo Deo, obedire censeantur; Luc. 10, 16. quos denique in exponenda, repetenda, vindicanda doctrina hac omne tempus suum consumsisse, omnemque operam suam unice collocasse scimus. Hos igitur tales de doctrinae huius capitibus accurate scribere sine *novo* aliquo et *miraculoso* Spiritus Sancti auxilio haud potuisse, persuaderi nobis patiamur? At, fieri tamen *potuit*, ut aliqua in re, si sibi soli relicti essent, laberentur, aut saltim lectoribus erroris ansam darent? Audio. Verum scire velim, utrum tales, quos diximus, religionis doctores errasse credibile sit in rebus ad ipsam religionis formulam pertinentibus, et nobis scitu necessariis? Scire praeterea velim, an non per providentiam Dei ordinariam, quae omnibus rebus praeest, et cuius nutu minimae auctorum sacrorum περιστασεις (a quibus pendebat tam quid scriberent, quam quo modo,) aeque gubernabantur ac maximae orbis terrarum conversiones, satis caveri potuerint errores omnes, librorum scopo officientes; praesertim si interpres officio suo fungatur liberaliter, nec rabbinica sedulitate litterarum apices trutina pen-

sitet, sed comparatis inter se omnibus eiusdem argumenti locis, difficiliores ad normam clariorum explicet. Scire denique pervelim, utrum fieri omnino possit, ut *hominibus* scribatur liber, in quo religionis capita ita exponantur, ut lectores ab omni erroris periculo tuti praestentur? Ac si vel maxime, *posse* hoc fieri, vellemus dare, tamen experientia omnium temporum docuit, bibliorum lectores innumeros, eosque, ex parte saltim, veri amantes nec indoctos, multis erroribus de rebus ad religionem pertinentibus fuisse obnoxios; et Scripturae adeo loci indicari possunt, quorum ambiguitas fraudi eis fuit. Quod tamen non eo a nobis profertur animo, ut auctores suasoresque simus cuiquam, ut arcem causae; quam omnino defendi posse putamus, deserat et universum dogma de bibliorum theopneustia abiiciat; sed ut appareat utilitas et necessitas eius praecepti, quod gravissimam doctrinam de divina Scripturae Sacrae auctoritate dogmati de librorum sacrorum theopneustia superstrui vetat. Nam etiamsi Scriptura S. non esset θεόπνευστος, tamen cognoscendae religionis divinitus patefactae principium esset satis certum et divina auctoritate munitum; nec, licet θεόπνευστος sit, ita infallibilis est, ut omnes errandi occasiones penitus praecidat.

Caeterum silentio praeterimus quae de divino auctorum ad scribendum impulsu, de verborum theopneustia, et de argumentorum ad probandam librorum sacrorum inspirationem idoneorum delectu caute instituendo disputarunt Theologi egregii, quorum

studiis effectum iam est, ut multo quam antehac minus impedita sit universi loci de theopneustia tractatio. Ex his vero, quae paucis attigimus, abunde iam patere putamus id, cuius causa haec de Theologorum recentiorum meritis in istum locum praemisimus iis, quae de theopneustia dicenda nobis restant. Nempe ea propter haec hactenus scripsimus, ut facilius animadverterent lectores, pleraque tela, quibus Scripturarum theopneustia hodie a multis petitur, idonea tantum esse ad expugnanda antiquiorum doctorum ea de re placita, a quibus vero recentiorum Theologorum theoriam multum differre vidimus. Hanc qui tuendam in se suscipit, cur de reportanda ab adversariis victoria desperet, causa apparet nulla. Sed facilius adhuc, nisi nos omnia fallunt, defendi poterit dogma istud, si ei declarando ulteriorem operam suam impendant viri docti. Quae vero ea sint, quae, nostra quidem sententia, clariori luce collustrari queant, nedum debeant, et quanam ratione ea lucidius explanari posse existimemus, alio tempore exponemus.

Iam enim, Cives optimi, indicenda est Pentecostes solemnitas, quam ut sancte pieque celebretis, et erga meritissimos praecones eius Evangelii, cuius primi doctores olim hocce festo tempore, ad annunciandam universo orbi coelestem veritatem, Spiritus Sancti vi omnipotente, idonei redditi fuerunt, liberales Vos praebeatis, serio monemus atque hortamur.

P. P. ipso die Pentecostes. MDCCLXXXIV.

XVIII.

Pentecostes Solemnia pie celebranda civibus indicit academia Jenensis. Inest stricturarum in locum de theopneustia librórum sacrorum particula secunda. Jenae. MDCCLXXXV.

Cum anno praeterito ad Pentecostes solemnitatem sancte celebrandam Vos adhortaremur, Cives Optimi, paucis ostendimus, recentiorum Theologorum solertia et studio tum universum locum dogmaticum de Scriptura S. iam rectius esse constitutum, tum in primis in tractatione de librorum sacrorum theopneustia haud pauca subtilius quam antehac esse definita clariusque et accuratius explanata. Ne quis vero sibi persuadeat, nullum iam superesse de hac doctrinae christianae parte bene merendi locum, nec restare quidquam quod luculentius adhuc illustrari possit ac debeat, indigitare, hac iterum Nobis oblata opportunitate, decrevimus nonnulla ad dogma de theopneustia spectantia, quae a viris perdoctis haud paucis

vel hac nostra aetate ita tractari solent, ut non solum morosi adversarii quod reprehendant invenire queant, sed ii etiam, quibus de veritate illius dogmatis persuasum est, ulteriorem declarationem, quae scrupulos omnes eximat, non exoptare non possint.

Argumentis nonnullis, ut ab hoc ordiamur, utuntur viri docti ad evincendam librorum N. T. theopneustiam, quae notionem inspirationis occupant ab ea, cui tamen stabiliendae inservire censentur, non parum diversam iustoque latiorem; e quibus adeo, si accuratam iustisque limitibus circumscriptam inspirationis finitionem retinere velis, vix quidquam effici posse videtur. Nimirum distinguunt Theologi subtiliores theopneustiam, qua in conscribendis libris sacris gavisi sunt auctores, ab *ea* Spiritus S. operatione, quam memorabili illo Pentecostes die experti sunt Apostoli, qua effectum fuit, ut viri sancti doctrinae coelestis summam tum multo quam antea plenius ac penitius cognoscerent, tum ad eam tradendam miraculisque confirmandam idonei redderentur. Atque profecto, nisi verborum ambiguitate dubitationes et difficultates augere velimus, discernere illa inter se solicite debemus. Effusio Spiritus S. *uno* quasi *actu* miraculoso absolvebatur, quamquam effectus eius perdurarent; afflatus vero divinus, qui theopneustiae nomine insignitur, saepius *repetitisque* vicibus Apostolis obtigit. Illa spectabat ad doctrinam christianam *universam*; hic ad eas veritatis coelestis *partes*, quae certo quodam tempore et loco exponendae erant. Illa pertinebat ad ipsam religionis

formulam, quocunque tempore sive coram sive litteris ab Apostolis exponendam; hic ad *libros* ab iis exaratos, formulam illam eiusve partes declarantes. Ex illa donorum Spiritus Sancti participatione colligimus, Apostolos fuisse *doctores*, quos praeternaturali modo ad explanandam doctrinam, caelitus ipsis patefactam, Deus ipse *idoneos* reddiderit, adeoque *divina pollentes auctoritate*; e theopneustia vero praeterea efficitur, in *conficiendis libris* suis novo ac singulari auxilio a Deo ἀμέσως ita adiutos eos fuisse, ut hi libri aut saltim quaedam eorum partes quodammodo ad Deum ipsum tanquam auctorem referri recte possint. Patet enim cuilibet rem paullo accuratius perpendenti, potuisse Apostolos post accepta Spiritus S. dona, de rebus ad religionem christianam pertinentibus recte et accurate, populari praesertim methodo, disserere, licet nova auxilia ipsis, dum verba facerent aut scriberent, non subvenirent. At theopneustia omnino huiusmodi *nova* auxilia, quae in ipso *scriptionis momento* praesto fuerint, ponit. Tandem, si inspiratio ab illa Spiritus S. operatione, cuius memoriam festis hisce diebus pie recolimus, non differt, quid est, cur Theologi, post demonstratum dogma de divina Apostolorum auctoritate divinaque doctrinae eorum origine, in comprobanda theopneustia librorum apostolicorum elaborant? Quid, inquam, est, cur inspirationem a revelatione discernendam esse praecipiunt? aut salutationes huiusque generis alia in epistolis Apostolorum a theopneustis seiungere iubent? aut de singulorum verborum inspiratione disputant? Haec

enim omnia excusari vix possent, si theopneustia non differret ab ea permanente Apostolorum conditione, quae Pentecostes festo incepit.

Non ignoramus quidem, esse Theologos egregios, qui ipsis Apostolis caeterisque scriptoribus sacris inspirationem aeque ac eorum libris attribuant, et saepe de *viris theopneustis* loquantur; quae formula quandam theopneustiae in his viris quasi perpetuitatem indicare videtur. Sed malumus Paulinam retinere phrasin, qua *Scriptura* ipsa θεοπνευστος appellatur. Apostolos vero ac Prophetas *Spiritus S. donis instructos*, praetereaque non solum novis *revelationibus* interdum, sed in scribendo loquendoque ubi opus erat *afflatu* etiam *divino* gavisos fuisse, accommodate ad usum loquendi in sacris litteris obvium, docemus. Subtiliter quidem nuperrime de theopneustiae *statu* disputavit S. R. Hegelmaierus *) et plura protulit ad minuendas difficultates, quibus dogma hoc obstructum est, et ad repellendas nonnullas adversariorum obiectiones acute excogitata. Verum ex Viri doctissimi sententia pluribus distinctionibus, ut variis tricis nos exsolvamus, opus est. Non solum enim theopneustiae vocabulum mox latiori mox strictiori sensu accipiendum esse docet **), sed de ipso etiam theopneustiae statu tradit, fuisse eum alio respectu

---

*) De θεοπνευστια *eiusque statu in Viris sanctis librorum sacrorum auctoribus*. Tubing. 1784. 4.

**) pag. 16. seqq.

permanentem, alio transitorium *). Quare ingenue fatemur, ad intelligentiae facilitatem et institutionis simplicitatem accomodatius nobis videri, ut theopneustiae vox, in scholis saltim, constanter uno sensu, eo scilicet, quem strictiorem vulgo vocant, usurpetur; ea vero quae ad latiorem significatum referri solent, a theopneustiae notione plane seiungantur, aliisque aptioribus formulis describantur.

Nimirum virtute Spiritus S. Pentecostes die Apostolis illapsi, his praeter donum miracula patrandi, obtigerunt dotes animi insignes et supernaturales, quibus ad tradendam doctrinam christianam opus erat ipsis, utpote hominibus plebeiis, indoctis et subtimidis. Ac *primo* quidem instruebantur accurata et distincta cognitione universae summae religionis christianae, quatenus haec ex Dei consilio hominibus

---

*) Pag. 39. „*Duplici modo perseverantia ista intelligi potest. Sane Deus non videtur ab iis, queis semel indulserat* θεοπνευστιας *donum, illud iterum retraxisse, sic ut desierint esse viri* θεοπνευστοι. — *Ita suo modo perennabat semel collatum* θεοπνευστιας ἀξίωμα, *nec transitorium quid erat. Neque aliter iudicare potest, qui statum* θεοπνευστιας *dixerit habitualem rerum divinarum intelligentiam sanctis viris a Deo collatam.* — *Alia tamen huius rei facies existit, si ita intelligas quaestionem, num, qui semel* θεοπνευστιας *dono mactati fuerant, semper et ubique, quaecunque eis offerebantur,* θεοπνευστως *cognoverint egerintque? Hoc enim sensu negamus quaestionem, dicimusque* θεοπνευστιαν *non aliquid permanens; sed transitorium potius fuisse.* — *Plane superflua fecisset Deus, si semper ac continue actuali* θεοπνευστιᾳ *istis viris succurrisset.*"

tunc exponi debebat. Iam igitur discipuli, qui antea magistri sui sermones nonnullos non intellexerant, alios perperam interpretati fuerant, verum eorum sensum rite perspiciebant; Io. 14, 26 quin eas etiam doctrinae coelestis partes, quas Christus ipse dum in his terris viveret amicis suis explanare nondum potuerat, ita cognitas perspectasque iam habebant, Io. 16, 12. 13. ut doctorum novae religionis, divina auctoritate hanc provinciam administrantium, personam rite sustinere Matth. 18, 18. Luc. 10, 16. Io. 17, 18. fidei, cuius summam ac formulam probe callebant, capita singula pro re nata explicare, quid religionis christianae principiis consentaneum sit, quid ab iis abhorreat, diiudicare, ad quaestiones propositas promte respondere, obiectionesque diluere possent. Quod Paulo contigit, qui licet nec olim Christi ipsius neque postea aliorum doctorum institutione usus esset Gal. 1, 12. tamen universam doctrinae christianae formulam δι' ἀποκαλυψεως Gal. 1, 16. penitissime perspectam habuit, id caeteris quoque Apostolis suo modo obvenit. Cum vero Apostolorum plerique in perspiciendo dogmatum ad unum συστημα pertinentium multiplici nexu, in derivandis consectariis ex principiis cognitis, et in applicandis ad rem praesentem veritatibus aut praeceptis universalibus minime exercitati essent, opus erat omnino, ut *secundo* naturales ingenii quo quisque pollebat vires ita roborarentur ac augerentur omnipotenti Dei vi, Luc. 24, 49. ut iis quae modo enumeravimus praestandis pares fierent. *Praeterea* necesse erat, ut viri, verbis pu-

blice ad populum faciendis minime adsueti, iis etiam dotibus a Spiritu S. instruerentur, quibus carere non potest, qui doctrinam evangelicam populo non sine fructu sive commendare sive explicare, hominumque falsis opinionibus innutritorum vitiisque deditorum animos ad obsequium praeceptis Christi praestandum flectere vult. *Tandem*, statim post Spiritus S. effusionem in Apostolis antea meticulosis incredibilem cernere licet animi fortitudinem, praesentissima pericula spernentem, constantiam, nullis difficultatibus superabilem, et promovendae rei christianae studium intensissimum; quae omnia Spiritus sancti efficaciae eo attribuuntur rectius certiusque, quod insigni temperata erant et prudentia et moderatione, ac longissime differebant a fanaticorum ferocia et pertinacia.

Tot tantisque animi dotibus exornati, et tam ampla religionis christianae notitia instructi erant Apostoli, cum munus a Domino sibi demandatum auspicarentur. Sed ne sic quidem sibi relinquebantur soli, verum insecuto etiam tempore Spiritus S. suo auxilio ipsis duplici modo subveniebat. Primum enim *revelabat* eis nonnulla, quorum cognitione primo illo Pentecostes festo carere adhuc poterant, quae vero postea scitu eis necessaria erant. Sic v. c. nova demum revelatione edocti intellexerunt consilium Dei de gentilibus absque circumcisionis ritu ecclesiae christianae adiungendis, Act. 10, 10. seqq. cuius rei accuratiore scientia vix opus eis prius erat, quam iactis ecclesiae in Iudaea fundamentis

satis firmis Evangelium iam ex Dei voluntate ethnicis etiam annuntiari debebat. Quin alias etiam interdum, quid in exsequendo munere suo apostolico faciendum omittendumve esset, revelatione admoniti didicerunt, velut Gal. 2, 2. Act. 16, 6-10. 18, 9. 10. Deinde *theopneustiae*, a revelationibus illis distinguendae, beneficio adiuti fuerunt tum in sermonibus ex tempore habendis, praesertim apologeticis, Matth. 10, 19. 20. Marc. 13, 11. Luc. 21, 14. 15. tum etiam in exarandis libellis suis, quatenus doctrinae christianae capita in illis tradebant. Conf. 2 Tim. 3, 16.

Huius quidem theopneustiae, qua ad sacros libros spectabat, naturam et indolem, tacentibus sacris litteris, accurate delineare nemo potest. Etsi enim extra dubitationem positum est, cavisse Deum, ne doctores, qui divinorum legatorum ad genus humanum munere fungebantur, in scriptis illis, e quibus omnium temporum homines non solum veram et accuratam doctrinae salutaris intelligentiam tanquam e limpidissimo fonte haurire oportebat, sed quibus etiam fides potissimum inniti debebat, qua christianam religionem divinitus hominibus patefactam et luculentissimis documentis a Deo ipso comprobatam esse credimus, tales admitterent errores, qui interpretes voluntatis divinae omnino dedecerent aut scopo librorum officerent; tamen, quo modo quave ratione sapientia divina hoc praestiterit, non satis liquet. Nam statuere fas non est, quae ad obtinendum hunc finem necessaria erant omnia ἀμέσως et per miraculum effecta fuisse; pleraque enim, ut deinceps

copiosius demonstrabitur, per providentiam Dei ordinariam procurari potuere; sed nec sine temeritate pronuntiare licet, cuncta sine novo et ἀμέσῳ Numinis interventu peracta esse. At a vero tamen non aberrabimus, si Apostolos tum θεοπνεύστως scripsisse dicamus, quoties ea, quae de religionis christianae argumento et origine divina ex consilio Dei scribere debebant, absque afflatu divino vel non scripturi vel perperam tradituri fuissent. Hoc est, quotiés nec institutio Domini qua olim usi fuerant, nec insignia cognitionis augmenta quae Pentecostes illo die accesserant, nec seria meditatio virorum quorum naturales ingenii vires Spiritus S. roboraverat et auxerat, neque providentia Numinis ordinaria, omnes res circumstantes sapientissime disponens; haec igitur omnia quoties cavendis lapsibus, qui caveri debebant,*) non sufficerent, *theopneustiam* sive Spiritus sancti auxilium ἄμεσον scribentibus succurisse, credere fas est.

Strictim iam indicato discrimine, quo theopneustia proprie dicta a donis Spiritus sancti, Pentecostes die in Apostolos collatis, aeque ac a revelationibus,

---

*) Nostro iure dubitamus, utrum inter errores, qui caveri omnino *debebant*, referenda etiam sint quaecunque παροράματα in narrandis historiarum περιστάσεσι, et huius generis alia, quae fraudi esse possunt nemini, nisi ei, qui praeconcepta opinione de singulis librorum sacrorum commatibus ac verbis a Spiritu S. ἀμέσως inspiratis imbutus ad lectionem scripturae S. accedit.

quae postea eis obtigerunt, et a directione auctorum sacrorum per providentiam Dei ordinariam, differt: licet nemo mortalium quid quantumve unicuique horum tribuendum sit in singulis libri cuiusque capitibus et versibus definire queat; pronum erit ad intelligendum quod supra diximus, nempe ad stabiliendam librorum N. T. theopneustiam nonnulla vulgo proferri oracula Christi et Apostolorum, e quibus id, quod ex iis efficere volunt viri docti, cogi legitima ratione non potest. Ex hoc genere nobis esse videntur promissiones Christi omnes, quae apud *Ioannem* leguntur de παρακλητῳ, discipulis post magistri optimi e terrena hac vita discessum a Patre mittendum. His enim locis, si quid iudicamus, describuntur insignes et per totam Apostolorum vitam duraturi effectus illius ἐνεργειας spiritus sancti, quam proximo instante Pentecostes festo experturi erant futuri rei christianae statores. Alia autem, ab illo diversa, Spiritus S. auxilia, Apostolis doctrinam salutarem coram vel scripto expositituris nunquam non adfutura, istis quidem locis Christus pollicitus non est. Qua de re ut rectius iudicare Ipsi possitis, Cives optimi, oraculorum illorum sensum, paucissimis tamen pro instituto nostro, declarabimus.

Ioh. 14, 16. 17. Dominus post discessum suum ad Patrem discipulis suis promittit alium doctorem (ἀλλον παρακλητον.) nimirum spiritum S. perfectissimum coelestis sapientiae magistrum, (το πνευμα της ἀληθειας,) qui nunquam ab iis sit discessurus. (μενει μεθ' ὑμων εἰς τον αἰωνα). Itaque vices Do-

mini, discipulis iam eripiendi, expleturus erat Spiritus S. Verum Iesus, cum olim ablegasset eos ad annuntiandum Evangelium, Matth. 10, 5. non ipse praesto iis semper fuerat nec loquentibus dicenda suggesserat, sed id quoad viveret indefesso studio egerat, ut genuinae religionis notitia eos imbueret, mentis eorum aciem acueret, ac sincero veri amore ingenuoque promovendae gloriae divinae studio eos impleret, et hac ratione ad obeundum munus apostolicum idoneos redderet. Idem hoc praestiturus erat novus ille a Christo promissus doctor. Atque praestitit id profecto Spiritus S. Pentecostes iam festo, quo tempore Apostolorum mentes coelestis luminis radiis ita collustravit eosque sic edocuit, ut quaecunque scitu ipsis iam essent necessaria penitus perspecta haberent, nec magisterio Christi ipsius porro opus eis esset, sed munus demandatum suscipere iam possent. Tam altas vero radices in eorum pectoribus (ἐν ὑμιν ἐσται) egit haec novi doctoris institutio, ut ex ea uberrimos fructus quoad viverent (μενει εἰς τον αἰωνα) perciperent, nec unquam quae hoc magistro didicissent obliviscerentur. Quin si forte procedente tempore novis cognitionis incrementis ex Dei consilio locupletandi essent, haec quoque per revelationes idem Spiritus eis impertiebatur. Atque hoc sensu μενειν παρ' αὐτοις εἰς τον αἰωνα rectissime dici poterat. Saltim nimis haec verba premenda non esse inde patet, quod manifeste hac φρασει Christus eo tantum consilio usus est, ut novi doctoris semper apud discipulos *manentis* promissione magistri *abitum*

iamiam parantis desiderium leniret. Quid? quod ii etiam, qui aliter hunc locum interpretantur, a propria vocabulorum vi aliquantum recedere aeque ac nos coguntur. Inspiratio enim, quae ad docendi scribendique munus spectat, quibuscunque finibus eam circumscribas, non fuit tam continua, ut phrasis: *το πνευμα παῤ ὑμιν μενει εἰς τον αἰωνα, και ἐν ὑμιν ἐσται*, sensu maxime proprio accipi possit.

Io. 14, 26. Christus, universam, inquit, doctrinae meae formulam Spiritus Sancti beneficio cognitam perspectamque habebitis; (*ἐκεινος ὑμας διδαξει παντα*) hisque notitiis instructi, non solum sermonum meorum, quibus de iisdem rebus disserueram, facile recordabimini, sed eae etiam institutionis meae partes quae adhuc obscurae vobis videntur, *dissipatis* tandem vanarum opinionum nebulis collustratisque divina luce mentis vestrae oculis, ultro vobis patebunt facilesque erunt intellectu (*ὑπομνησει ὑμας παντα, ἁ εἰπον ὑμιν*). His verbis, Spiritus Sancti effusionem huiusque effectus describentibus, nil omnino continetur de theopneustia, quae loquentibus scribentibusve dicenda sit suppeditatura, eosque in exponenda doctrina christiana supernaturali modo adiutura; nec ulla apparet causa idonea, cur existimemus, praedixisse hic Christum, fore, ut eo ipso temporis momento, quo ad scribendum animum applicaturi sint Apostoli, Spiritus S. sermones Domini in memoriam ipsis per miraculum revocet; multoque minus de Evangelistarum commentariis, vitam ac sermones Iesu enarrantibus, intelligi potest

promissio Christi. Si enim ad consilium loquentis et orationis συναφειαν animum advertamus, spectare verba haec deprehendemus ad ea, quae inde a commate 20 praecesserant. Dixerat scilicet Dominus, post resurrectionem suam (vs. 18. 19) et Spiritus S. effusionem (vs. 16. 17) fore, ut discipuli consilium Patris in mittendo Messia, Filio suo, cogitatione rite complectantur, vs. 20. et tum genuinorum discipulorum officia tum praemia his proposita penitius perspecta habeant. vs. 21. Unus vero ex auditoribus, qui sensum verborum Christi non recte perceperat, interrogatione interposita vs. 22, occasionem praebuit Domino, repetendi quae dixerat eademque aliis verbis declarandi. vs. 23. 24. Quo facto, pergit vs. 25. Iesus: Quae modo dixi, iam antehac saepius vobis exposui. (Vos vero dictorum sensum non recte perspexistis, ac ne nunc quidem satis eum perspicere videmini). At post accepta Spiritus S. dona, vobis iterum iterumque promissa, quae ad me meamque doctrinam pertinent omnia intelligetis, eorumque quae ex me audivistis sensum assequemini. — — Quis quaeso sibi persuadeat, in hac orationis serie Christum describere voluisse illud supernaturale Spiritus S. auxilium, quod Evangelistae in conscribendis suis de rebus gestis et de doctrina Domini narrationibus experturi sint?

Nec Io. 16, 8. seqq. de theopneustia, quae proprie dicitur, agit. Nam quo de Spiritu S. vs. 8. legitur: ἐλεγξει τον κοσμον κ. τ. λ. id recte quidem de Apostolis intelligitur, nec dubium est, post collata demum in eos dona Spiritus S. inde a Pentecostes

festo ad ἐλεγχον του κοσμου satis idoneos eos fuisse. Atque hanc ipsam ob causam Christus arcte connectit elenchi huius mentionem cum promissione Spiritus S. Sed praeter dona illa opus etiam fuisse Apostolis inspiratione, quo mundum incredulum arguere possent, id his verbis neutiquam continetur. Quae vero comm. 12. 13. 14. sequuntur, commodissime sic explicantur: Equidem haud ignoro, a populo Iudaico me reiectum iri; (ἁμαρτια) at resurrectio mea et reditus in coelum clarissimo erunt documento, Patrem quaecunque docui et peregi probare; (δικαιοσυνη coll. 1 Tim. 3, 16) iudaica autem gens (ὁ ἀρχων του κοσμου coll. 2 Cor. 2, 8.) pervicaciae suae poenas dabit gravissimas. De his igitur omnibus aliisque, quae me neutiquam latent, et quae a vobis suo *tempore* clarius exponenda sunt, edocere iam vos possem. At cum vos talibus rebus, quae ab opinionibus vestris de Messia eiusque regno vehementer abhorrent, intellectu consequendis nondum aptos esse videam, silentio ea nunc praetermitto. Atque eandem ob causam dixeram, (scil. vs. 8. ἐκεινος ἐλθων ἐλεγξει) post Spiritus S. effusionem demum haec talia in clariori luce esse ponenda. Huius enim divini Spiritus ἐνεργεια illuminati et de consilio Dei universo regnique mei indole melius edocti, planissime cognoscere poteritis, quaecunque nunc obscura nedum incredibilia vobis videntur. (πασα ἀληθεια.) Latent tamen perfectioris istius cognitionis semina in sermonibus meis, nec Spiritus S. alia vobis tradet, quam quae a me iam audivistis, sed haec ipsa (ἐκ του ἐμου

λήψεται) uberius declarabit, i. e. efficiet, ut ea et ipsi perspicere et aliis explicare queatis. Tunc etiam, quae de futuris eventibus, (τα ἐρχομενα) scilicet de Iudaeorum obstinata pertinacia gentisque iudaicae reiectione etc. obscurius indigitabam, clarius intelligetis. Atque sic tandem planissime vobis patebit, qualem quantumque habueritis magistrum. (ἐμε δοξασει) Eadem, inquam, quae ego a Patre, qui omnium consiliorum suorum participem me fecit, (ὁσα ἐχει ὁ πατηρ, ἐμα ἐστι) accepi vobisque exposui, ille similiter a Patre accepit, (ὁσα ἀν ἀκουσῃ, λαλησει,) eamque ob causam non potest non mecum consentire etc.

De reliquis cum Evangeliorum tum epistolarum locis, qui huc pertinere putantur, alio tempore dicemus. Iam enim superest, Cives Carissimi, ut peramanter sed serio officii Vestri Vos commonefaciamus, et pro paterno, quo Vos prosequimur affectu, hortemur, ut festos hosce dies sancte pieque ita celebretis, ut uberrimi inde fructus ad Vos redeant. Piis animi sensibus et excitandis in Vobis et alendis studebunt viri meritissimi, gravissima religionis nostrae capita, quae his praesertim diebus pie meditari Vos decet, pro concione explicaturi, quibus ut gratum animum Vestrum re factisque testemini, monemus.

P. P. ipso Pentecostes die. MDCCLXXXV.

XIX.

Pentecostes solemnia pie celebranda civibus indicit academia Jenensis. Inest stricturarum in locum de theopneustia librorum sacrorum particula tertia. Jenae. MDCCLXXXVI.

In antecedente stricturarum nostrarum in locum de theopneustia parte paucis de discrimine disseruimus, quo inspiratio, quae proprie dicitur, a donis Spiritus sancti Pentecostes die in Apostolos collatis, aeque ac a revelationibus, quae Domini legatis postea obtigerunt, et a directione auctorum sacrorum per providentiam Dei ordinariam, nostra quidem sententia, differt. Hoc vero discrimine admisso, negari vix poterit, ad stabiliendam librorum Novi T. theopneustiam nonnulla vulgo proferri Christi et Apostolorum oracula, e quibus id, quod ex iis efficere volunt viri docti, legitima ratione cogi nequit. Ex hoc genere esse vidimus promissiones Christi apud Ioannem de παρακλήτῳ, discipulis post magistri

abitum in coelos a Patre mittendo. Iam ad alios locos pergimus, ad quos Theologi in hac caussa provocare solent.

Proferuntur igitur oracula Salvatoris Matth. 10, 19. Marc. 13, 11. Luc. 12, 11. et cap. 21, 41. in quibus Dominus Apostolos bono animo nec anxie solicitos esse (μη μεριμνᾳν seu μελετᾳν) iubet, si quando coram regibus et iudicibus, velut rei, caussam dicturi rationemque doctrinae et vitae suae reddituri, sistantur: non enim solos sibi futuros esse relictos: (οὐχ ὑμεις οἱ λαλουντες) fore potius ut Spiritus sanctus (Pentecostes die in ipsos effundendus) eis suo auxilio adsit et dicenda suppeditet. (ὁ ἐαν δοθῃ ὑμιν, τουτο λαλειτε, et το πνευμα διδαξει ὑμας ἐν αὐτῃ τῃ ὡρᾳ, ἁ δει εἰπειν seu πως και τι ἀπολογησησθε.) Nolimus quidem morosi esse in trutinando pondere argumentationis a minore, ut vocant, ad maius, qua efficere vulgo conantur, auxilium divinum, ad habendas apologeticas orationes Apostolis verbis hisce promissum, multo magis necessarium ipsis fuisse ad negotium exsequendum longe gravius et cum omnium cuiusvis aevi Christianorum utilitate nedum aeterna felicitate coniunctum, ad exaranda scilicet monumenta aere perenniora, e quibus tot hominum millia salutaris doctrinae cognitionem haurire debebant; quamvis, si verum fateri velimus, ista ratiocinatione hoc tantum conficiatur, *consentaneum nobis videri*, ut Deus apostolis de capitibus fidei christianae scribentibus haud denegarit auxilium, quod locuturis coram magistratibus pollicitus erat. Nec id urgebimus, homi-

nes illiteratos et plebeios, in iudicum, iniquorum praesertim, consessu verba ex tempore facientes, principum et magistratuum maiestate iudiciique solemnitate perculsos ac imminente mortis periculo consternatos, videri posse indiguisse auxilio, quo forte carere poterant iidem, quando de rebus probe cognitis et perspectis, praevia meditatione, intra privatos parietes nec ulla re perterriti, scriberent, quae priusquam in lectorum manus traderentur saepius relegi ac, sicubi opus videretur, refingi poterant. Sed utut haec sunt, id potissimum quaeritur, quid sit id, quod verbis supra laudatis promiserit Christus discipulis? utrum ἄμεσον Spiritus sancti auxilium et rerum verborumque coram seu scripto proferendorum suggestionem sive inspirationem, an vero scientiam, fortitudinem, praesentiam animi, constantiam, prudentiam, paucis, dotes mentis, ad divinum spiritum tanquam auctorem referendas, tales, quibus idonei redderentur ad moderandos pro re nata suos sermones tum doctrinales tum apologeticos? Prius placuit plerisque. Sed si Lucam, cap. 21, 15. locupletissimum profecto de sensu verborum, a caeteris Evangelistis, imo a se ipso alibi cap. 12, 12. adhibitorum, testem et authenticum eorum interpretem audiamus, Christus Apostolis promisit στομα και σοφιαν, hoc est, animum intrepidum et παῤῥησιαν eximiam, coniunctam cum singulari prudentia. Neque dixit Salvator, Spiritum sanctum ἀμεσῳ ἐνεργεια praestiturum esse, ut Apostolis loquentibus scribentibusve nunquam verbulum a veritatis linea vel minimum de-

flectens excidat; sed hoc sperare eos iussit, fore ut tanta polleant prudentia, ut adversarii i. e. accusatores et calumniatores non possint ἀντειπεῖν ἢ ἀντιστῆναι, sed pudore perfusi conticescere cogantur, apostoli vero ab improbis iudicibus evadant. Memorabile etiam est, apud Lucam, cap. 21, 15. Christo ipsi attribui, (ΕΓΩ inquit Dominus δώσω ὑμῖν στόμα) quod a Marco, cap. 13, 11. et in caeteris locis ad Spiritum sanctum, per Apostolos locuturum, refertur; ex quo haud improbabili ratione colligitur, verborum: το πνευμα ἐστι το λαλουν ἐν ὑμιν, hanc esse vim: *post accepta Spiritus sancti a me promissa dona, apte perorandi facultate, qua adhuc caretis, instructi eritis ac sermones habebitis, quibus habendis nunc quidem impares prorsus estis semperque maneretis, nisi imperitiae et imbecillitati vestrae succurreret Spiritus divinus, quem mox post abitum meum in coelos a Patre in vos demittam.* Haec verborum interpretatio si vera est, vix eis inest promissio auxilii diversi ab ea Spiritus sancti ἐνεργείᾳ, quam Apostoli Pentecostes die experti sunt, cuius vero effectus quoad ipsi viverent perdurarunt. Quo posito, omnia ista carmina leve admodum praesidium essent doctrinae de theopneustia stricte sic dicta. Sed officere videtur huic locorum explicationi formula: το πνευμα διδαξει ὑμας ΕΝ ΑΥΤΗι ΤΗι ΩΡΑι, ἁ δει εἰπειν, e qua colligitur, repetitis vicibus, quotiescunque opus esset, Spiritum divinum dicenda suggessisse Apostolis eo ipso temporis, quo iamiam perorarent aut ad dicendum saltim sese accingerent, momento.

Posset quidem formula illa significari, *Apostolos*, licet imparati ideoque timidi hostiumque suorum furorem metuentes in concionem prodeant, tamen idoneos fore, qui *pro re nata* proferant *ex tempore* ea, quae ad causam suam defendendam, mitigandos iudices, et confundendos adversarios maxime accommodata sint; quae facultas sine meditatione praeeunte apte dicendi, profecto haud naturalis erat Apostolis, nec acquisita exercitatione ad rhetorum praecepta instituta, sed tota debebatur Spiritui sancto. Insignis enim, qua hoc largiente pollebant, coelestis doctrinae scientia, eximia quam eidem acceptam referebant prudentia, incredibilis animi praesentissima pericula spernentis magnitudo, ardor divinitus inflammatus omnia ipsamque vitam religioni eiusque propagandae studio lubenter impendens, hae caeteraeque dotes a Spiritu sancto Apostolis concessae tantum valebant, ut inusitatam dicendi vim progignerent eosque vere, quamvis non ad scholae legem, disertos redderent, ita ut auditores et στομα et σοφιαν eorum admirarentur. Attamen, cum Apostolorum scripta theopneusta omnino sint, 2 Tim. 3, 16. et Christi oracula hactenus a nobis illustrata eam interpretationem quam modo protulimus non postulent plane, sed admittant tantum, non magnopere repugnamus, si quis theopneustiae proprie sic dictae promissionem eis inesse statuere malit, dummodo nobis largiatur, primo, argumentum inde ductum in numero *probabilium* tantum esse habendum; deinde *continuam* inspirationem, quae Apostolis *quotiescunque* pro muneris sui ratione

doctrinam christianam vel exponerent vel defenderent dicenda *omnia* suppeditaverit, e promissione Christi exsculpi non posse, sed hoc tantum pollicitum esse Dominum, opem laturum esse Spiritum sanctum Apostolis, supernaturalibus donis inde a Pentecostes festo iam instructis, ubi et quando absque novo et ἀμεσῳ eius auxilio provinciam legatorum Christi minus recte administraturi atque dicenda vel tacituri vel parum apte prolocuturi essent; denique, verbis πως ἢ τι Christum unum non esse ad indicandam, praeter rerum dicendarum theopneustiam, etiam *verborum singulorum* inspirationem, sed recte interpretatum esse Lucam στομα και σοφιαν, quorum alterum ad intrepidam animi constantiam, παῤῥησιαν, et singularem oratoris in dicendo fervorem, alterum tum ad prudentem delectum argumenti orationis, tum ad modum tractationis, auditoribus ac rebus circumstantibus omnibus accomodatum, referendum esse censemus.

Sed missis Evangelistarum commentariis pergimus ad Epistolarum locos. Primo nobis hic occurrit secundum prioris ad Corinthios epistolae caput, e quo pro theopneustia librorum sacrorum, et verborum adeo, argumenta peti solent. Sed si ad universam orationis seriem et auctoris consilium probe attendamus, (quibus declarandis operam dare hoc loco non licet) facile intelligemus, λογους διδακτους πνευματος, comm. 13. qui a διδακτοις ἀνθρωπινης σοφιας λογοις distinguuntur, non esse *verba* divinitus inspirata, sed *argumenta* ad probanda abstrusiora religio-

nis christianae capita adaptata, quae Apostoli non in scholis Rabbinorum aut philosophorum gentilium, verum Spiritu sancto magistro didicerant. *Modum* autem, quo discipulos de his edocuerit divinus magister, neutiquam distincte definiteque designavit Paulus; sed hoc tantum generatim tradit, partim, nota isthaec Apostolis esse ex *revelatione* divina, comm. 10. partim, rebus his tum mente recte concipiendis tum apte explicandis idoneos eos redditos esse *Spiritus sancti efficacia*, comm. 12. et 16. Quanam autem in re posita fuerit haec operatio divina, id hoc quidem loco non definitur; nimirum, utrum Spiritus sanctus Apostolis eo ipso quo scriberent aut loquerentur momento scribenda dicendave ἀμεσως suggesserit, an vero dona Spiritus sancti *semel in Apostolos* collata tantum valuerint, ut postea quovis tempore absque alio auxilio (nisi forte novae necdum cognitae veritates per revelationem patefaciendae ipsis essent) dogmata christiana apte exponere firmisque argumentis confirmare ac vindicare possent.

Alia praesidia doctrinae de theopneustia Apostolorum proprie sic dicta quaeruntur capite eiusdem epistolae septimo, ubi comm. 10. 12. 25. 40. accurate Paulum discernere putant ea, quae ex inspiratione scripserit a reliquis, quae de suo addiderit, indeque colligi posse existimant, ex theopneustia profluxisse omnia, quibus adiecta non sit admonitio lectorem commonefaciens, privatam tantum sententiam suam heic proposuisse Apostolum. Verum Paulus comm. 10. τοις γεγαμηκοσι, inquiens, παραγγελλω οὐκ ἐγω, ἀλλ' ὁ κυριος, γυναικα ἀπ' ἀνδρος μη χωρι-

σθηναι, procul dubio ad disertum Christi mandatum Matth. 5, 32. et cap. 19, 3-9. de indissolubili matrimonii vinculo respexit; contra vero verbis: ἐγω λεγω, οὐχ ὁ κυριος, comm. 11. et ἐπιταγην κυριου οὐκ ἐχω, γνωμην δε διδωμι, comm. 25. indicat, nec de matrimonio cum coniuge infideli sive continuando sive dissolvendo, neque de abstinentia a nuptiis, Christum quidquam praecepisse; quare, cum etiam per revelationem Apostolis nihil innotuerit, quod istis quaestionibus decidendis sufficiat, non posse se his de rebus legem ferre, qua Christiani omnes teneantur; at velle se tamen Corinthiis consilium dare, quod eos omnino sequi deceat, quoniam et ipse πνευμα θεου (comm. 40.) habeat; hoc est, quoniam Apostoli de iis etiam rebus, de quibus Christus nihil praescripserit nec Deus quidquam revelaverit, tamen prae caeteris omnibus recte iudicare possint, utpote qui tantis animi dotibus a Spiritu sancto exornati sint et universam religionis christianae formulam tam accurate perspectam habeant, ut metuendum non sit, suasuros eos esse quidquam, quod fidei christianae adversum sit, aut Christianis, auctoritatem eorum pie sequentibus, detrimentum afferre queat. Iam si hic est verborum Pauli sensus, temere ad dirimendam de theopneustia proprie dicta litem ad ea provocari, manifestum est.

Eadem fere ratio est loci cap. XIV, 37. ubi Paulus prophetas caeterosque Corinthios extraordinariis donis exornatos (πνευματικους) hortatur, ut praeceptis suis morem gerant, quoniam κυριου ἐντολαι sint, hoc est, quoniam proficiscantur ab Apostolo

divina auctoritate pollente, cui Dominus leges ferendi potestatem eo omine concesserit, Matth. 18, 18. ut qui legati divini mandata spernat, Dei ipsius auctoritatem contemsisse censeatur. Luc. 10, 16.

Perperam etiam provocatur ad eos N. T. locos, quibus Apostoli haec illave dogmata e revelatione se didicisse profitentur e. gr. Gal. 1, 11. 12. Revelationem enim differre a theopneustia, tralatitium est, ut in antecedentibus iam monuimus.

Neque plus roboris habet argumentum e 2 Petr. 1, 21. petitum, ubi ἁγιους θεου ἀνθρωπους legimus oracula sua edidisse φερομενους ὑπο πνευματος ἁγιου. Dubitari enim non potest, de solis prophetis locum istum agere. Ex eo vero, quod vatibus futura praenuntiantibus obtigit, cogi non potest, Apostolis *etiam* doctrinae christianae capita tradentibus idem evenisse. Etsi enim ultro largimur, quod viros doctos nonnullos urgere videmus, maiorem fuisse Apostolorum quam prophetarum auctoritatem dignitatemque, 1 Cor. 12, 28. Eph. 4, 11. hinc tamen non consequitur, theopneustiae eundem modum et gradum statui debere in Apostolis, qui in prophetis lubenter conceditur. Apostolorum enim prae caeteris doctoribus praestantia longe aliis rebus cernitur, quam maiore theopneustiae gradu. Quin si plane θεοπνευστοι non fuissent, tamen inter omnes prophetas longe eminuissent, ut v. c. Ioannes baptista Matth. 11, 9-11. prophetis antecelluisse traditur, licet nusquam theopneustiae proprie dictae dono eum gavisum esse legamus. Caeterum eam etiam ob causam e loco illo Petrino theopneustia *librorum* apostolicorum probari non potest,

quia de vaticiniis prophetarum ipsis, non autem de libris, in quibus vatum oracula posteritati mandata fuere, sermo ibi est.

Haec sufficere possunt de Evangelistarum et Apostolorum locis, e quibus theologi nonnulli placitorum suorum de theopneustia librorum Novi Testamenti stricte dicta confirmationem irrito, si quid iudicamus, conatu extorquere voluerunt. Quae vero de inspiratione divina adhuc dicenda restant, arctius inter se cohaerent, quam ut in plures quasi particulas divelli queant. Quare, cum hae paginae eorum quae dictis addere decrevimus non capiant tractationem, in aliud tempus eam differimus, et ad Vos orationem nostram convertimus, Cives Carissimi, Vosque officii Vestri, sed paucissimis, quia pluribus opus non esse censemus, commonefacimus. Etenim instare iam scitis eos dies, quibus eventus illustris, quo impletum fuit, quod Christus Apostolis de mittendo a Patre Spiritu sancto promiserat, memoria inter Christianos celebratur. Quasnam hocce potissimum tempore veritatis divinitus patefactae partes meditari Vos deceat, haud ignoratis; nec est, cur Vos hortemur, ut frequentes in templa confluatis, et Evangelii praeconibus auditores Vos praebeatis attentos, modestos, et obsequentes: id enim ultro Vos facturos esse speramus et confidimus. Itaque admonendi tantum videmini, ut Viris istis, de re sacra inter nos optime meritis, gratum animum, quo eos colere Vos decet, ipsa etiam re et factis significetis.

P. P. ipso die Pentecostes. MDCCLXXXVI.

XX.

Pentecostes Solemnia pie celebranda civibus indicit academia Jenensis. Inest stricturarum in locum de theopneustia librorum sacrorum particula quarta. Jenae. MDCCLXXXVII.

In antecedentibus huius commentationis particulis ostendere conati sumus, differre operationem divinam, cuius effectus Apostoli primo Pentecostes festo experti, quaque donis extraordinariis exornati et ad munus legatorum divinorum rite obeundum idonei redditi sunt, ab ea Spiritus sancti ἐνεργεία, quam solam, ut notionum diversarum confusio caveretur, theopneustiae nomine insigniendam esse monuimus *). Strictim etiam exposuimus, quanam in re tum illam operationem **), tum hanc ἐνεργειαν positam fuisse censeremus ***). Verum ea tantum consilio haec

---

*) Vid. stricturarum harum part. II. pag. 4. (v. supr. p. 304.)

**) Vid. ibidem pag. 6. (v. supr. p. 307.)

***) Ibidem pag. 7. 8. (v. supr. p. 309 — 311.)

paucis supra praemisimus, ut appareret, quamobrem complura Scripturae S. oracula, quae vulgo ad probandam librorum Novi Test. theopneustiam proferuntur, perperam adhiberi statueremus *). Iam restare adhuc videtur, ut paullo curatius, quantum quidem in re perquam difficili et abstrusa fieri potest nostraque brevitas permittit, utriusque effectus indolem et naturam describamus, et quae obscura adhuc aut dubia videri possent, illustrare studeamus.

Sacrarum litterarum auctoritatem qui reverentur, facile nobiscum consentient, primo illo post resurrectionem Domini Pentecostes festo apostolos partim novis et insignibus cognitionis augmentis donatos, partim miracula patrandi, exterorum linguis loquendi, aliaque quibus praestandis impares antea fuissent, perficiendi facultate instructos, partim inusitata animi alacritate et fortitudine exornatos vereque divino religionis promovendae fervore inflammatos esse. Et haec quidem omnia, quae ad πνευμα ἁγιον a Christo Apostolis promissum recte referuntur, non multum difficultatis habent. Praeterea vero, ut intelligi facilius queat, qui fieri potuerit, ut apostoli, utpote ἰδιωται et in formandis ratiociniis, deducendis consectariis e veritatibus cognitis, perspiciendis nexibus quibus dogma quodque caeteris omnibus copulatur, refutandis adversariorum obiectionibus, perspicue explicandis animi sui sensibus, diiudicandis quae locis

---

*) Vid. partic. II. pag. 9. (v. supr. p. 312 sqq.) et partic. III. tota.

temporibus et hominibus quibusvis apta essent etc. neutiquam exercitati, statim post Spiritus sancti participationem doctorum publicorum munere tam egregie tantoque cum successu fungerentur: hoc igitur ut cogitando facilius assequi possint homines, theologi nonnulli docere solent, naturales etiam ingenii, quo apostolus quisque praeditus erat, vires roboratas a Spiritu sancto auctasque esse. Nobis quidem haud displicere hanc rationem, supra professi sumus *). Cum autem viri perdocti, quibus novissimus etiam de theopneustia scriptor, Cl. LAURENTIUS MEYER, calculum suum adiecit **), eam repudient atque existiment, theologos qui talem facultatum animi exaltationem (ut hoc verbo a viris doctis usurpato utamur) defendunt, aut terminos adhibere mente cassos ac significatu commodo destitutos, aut nihil dicere diversum ab iis, qui ideas singulas una cum verbis iis respondentibus a Deo viris theopneustis suggestas esse contendunt ***): nostrum esse putamus, hac de re quid sentiamus paucis declarare.

Theopneustiae quidem proprie sic dictae, h. e. eius ἐνεργείας ἀμέσου Dei, qua effectum fuisse statuitur, ut apostoli, donis Spiritus sancti iam antea exornati et universam religionis formulam dudum pro-

*) Part. II. pag. 7. (v. supr. p. 308.)

**) Conf. *Laur. Meyeri commentatio de inspiratione scripturae S. qua ejus indolem explanare conatus est.* Ultrajecti, 1784. 8.

***) Vid. Cl. *Meyerus* l. c. pag. 167. seq.

be tenentes, dum scriberent aut publice loquerentur ea proferrent, quae absque illa nova ἐνεργεία scripturi dicturive non fuissent; huius inquam *inspirationis*, quae semper ad certam aliquam orationem sive coram sive scripto prolatam spectat, naturam et conditionem parum commode per virium ingenii exaltationem quandam explicari, lubentissime concedimus. Verum de hoc iam non disputatur, sed de eo potius, utrum *solemni illa Pentecostes die* eiusmodi quid experti sint apostoli, quod virium mentis exaltatio haud inepte appellari possit? Utrum igitur inde ab hac die per totam vitam suam reliquam maiore quam antea polluerint facultate ratiocinandi, iudicandi, nexum veritatum perspiciendi, in memoriam praeterita revocandi, grandes vividasque imagines animo effingendi etc. hoc est, quod quaerimus.

Si unquam animi vires, homini cuidam a Deo naturae auctore concessae, deinceps auctae et quasi exaltatae fuerunt, factum id est vel ἀμέσῳ summi Numinis efficientia, vel μέσως. Et posse quidem Deum omnipotentem facultates mentis, quas largitus est homini, postea ἀμέσως augere, inficias ire nolimus. Utrum vero hoc operationis genus, qua revera ipsa hominis natura immutaretur, summae sapientiae Dei satis consentaneum sit, nec ne, dictu valde est difficile. Nec satis intelligitur, quomodo homo animi viribus, hac ratione unoque temporis momento non autem exercitatione et successive adauctis, uti recte possit. Nam iustus virium usus vix sine praevio exercitio mente concipi potest. Tandem in sacris lit-

teris nullibi clare docetur, immediatae Dei operationi deberi ista facultatum mentis apud apostolos incrementa. Itaque satius esse videtur, ut mediate Deum haec effecisse statuamus, ita tamen, ut caussam, a qua potissimum ista virium augmenta derivamus, ex parte saltim ab immediata et miraculosa Dei dispositione profectam esse contendamus. Rem, ex nostra sententia, sic tene.

Elegerat procul dubio Iesus discipulos eos, quos non tantum viros probos honestos et pios, verum haud mediocribus etiam ingenii dotibus praeditos esse sciret, licet animi facultates, quibus pollebant, neglectae vere et incultae hactenus iacuissent. Torporem, cum plebe Palaestinensi istius aevi ipsis communem, excussit quidem aliquantulum magistri optimi institutio, qua per triennium uti ipsis licuit. Attamen ex colloquiis, quae cum Domino paullo ante eius mortem habuere, parum eos tum profecisse manifestum est. Nempe fraudi ipsis adhuc fuerat praeiudiciorum iudaicorum, quibus laborabant, ingens copia. Post mortem vero Salvatoris, opiniunculis illis partim per hanc ipsam mortem insecutamque resurrectionem Christi labefactatis, partim a Domino, quadraginta dies cum iis iterum versante, debellatis, partim per discessum Christi in coelum refutatis, apostoli, rectiora nunc de pluribus religionis capitibus edocti, liberalius iam et felicius uti iam incipiebant naturalibus suis mentis facultatibus, quae hoc ipso exercitio sensim invalescebant et, quotidianis meditationibus ac colloquiis de rebus ad religionem spe-

ctantibus Act. I. 14. quasi nutritae, magis in dies corroborabantur. Sed ne sic quidem satis idonei erant exsequendo muneri gravissimo, quod propediem obire debebant. Nec profecto tam paucorum dierum spatium sufficiebat ingeniis eorum, si ulteriori auxilio destituti manerent, ita exercendis et acuendis, ut iam legatorum divinorum et novae religionis doctorum provinciam rite suscipere possent; praesertim, cum dogmata nonnulla ad christianam formulam necessario pertinentia adhuc vel ignorasse vel perperam intellexisse videantur, id quod non impedire eos non poterat, quo minus universum doctrinarum salutarium συστημα earumque inter se nexum penitus cognitum perspectumque habere possent. Ipsi etiam, suae imbecillitatis sibi conscii, avide ut promissiones Domini saepe repetitae Io. XIV. 16. 26. XVI. 7—15. Luc. XXIV. 49. Act. I. 5. 8. implerentur, exspectabant. Tandem illuxit memorandus ille dies, solemnissima novorum mundi doctorum inauguratione illustris. Indubia praesentis Numinis symbola, luculentissima illabentis iamiam ipsis promissi Spiritus divina indicia, novarum dotum, quibus instructos se esse intime sentiebant, conscientia ipso experimento, dum v. c. peregrinorum linguis τα μεγαλεια του θεου praedicarent, confirmata; orationum ad populum magno numero confluentem habitarum effectus admirandi; haec igitur omnia, ad quae novae veritatum ignotarum vel minus recte intellectarum revelationes simul accessisse credere fas est, mentem apostolorum non tantum percellebant summaque laetitia

perfundebant, sed incredibilem quoque *alacritatem fiduciam* et παῤῥησιαν gignebant, quippe quae manifesto ipsis erant documento, vere iam evenisse quae Christus pollicitus fuerat, scilicet adesse παρακλητον, Spiritum illum divinum, nunquam ab ipsis recessurum, ad plenam veritatis salutaris cognitionem ipsos manuducturum, eaque omnia largiter suppeditaturum, quibus opus esset Evangelii praeconibus, qui divina auctoritate doctrinam coelestem per orbem terrarum propagare, et Deo Christoque ubique locorum coetus colligere, atque novam civitatem sacram sapienter constituere eique praeesse deberent. Hac vero novae virtutis donorumque caelitus acceptorum *conscientia freti* et certissimo *Spiritus Sancti auxilio* nunquam ipsis defuturo *confisi*, abiectis multis praeiudicatis opinionibus et popularibus commentis, *sapere iam audebant.* Quae impossibilia antehac ipsis fuerant, nunc facilia videbantur. Intelligendis, exponendis, vindicandis, riteque applicandis, doctrinis, quae antea inextricabiles nedum absonae (μωρια και σκανδαλον) ipsis visae fuerant, *pares se esse intime sentiebant.* Nec σοφιαν sibi deesse neque στομα, (utrumque enim promiserat Christus Luc. XXI. 15.) firmissime persuasum ipsis erat. Atque vicit exspectationem eventus, piaeque fiduciae novum robur addidit. Sic confortatis et erectis apostolorum animis, mentis eorum acies multo iam erat acutior, intelligendi iudicandi ratiocinandi facultas longe vegetior, animus excelsior magisque imperterritus, veram Dei et Christi cognitionem promovendi studium

acrius. Quae si ita sunt, quis neget, naturales animi vires, quibus apostolus quisque praeditus erat, mirum quantum *exaltatas* tum esse, brevissimoque temporis intervallo stupenda cepisse incrementa? Ultro fatemur quidem, hancce virium exaltationem, naturae animi humani convenienter, derivari posse partim ex novis notitiis, quibus antea caruerant, nunc autem in veri indagatione regundoque suo de rebus ad religionem pertinentibus iudicio mirifice iuvabantur, partim e singulari plane confidentia illa, qua, ut dicebamus, sapere iam audebant. Cum autem notitiae illae deberentur revelationi divinae ἀμεσῳ; et inusitata fiducia, quae acres et vegetos reddebat ad veritatis fastigium enitentes, orta esset potissimum e phaenomenis miraculosis, quae Pentecostes die plenissime convincebant apostolos, iamiam impleri promissiones Christi de mittendo a Patre Spiritu sancto et indui ipso δυναμιν ἐξ ὑψους Luc. XXIV, 49. baptizarique ἐν πνευματι ἁγιῳ Act. I, 25: haud inepte ipsa etiam virium ingenii inusitata illa incrementa referri videntur ad δυναμιν ἐπελθοντος του ἁγιου πνευματος ἐπ αὐτους. Act. I, 8. Caeterum non negamus, accedente quotidiano virium ita auctarum usu et exercitio, has magis etiam postea in dies validiores factas esse et corroboratas.

Sed haec hactenus de ea ἐνεργειᾳ divina, qua apostoli inter Pentecostes solemnia eminentissimis dotibus ornati et ad sustinendam legatorum divinorum personam ac dignitatem idonei redditi sunt. Ab hac vero theopneustiam proprie dictam discernendam

esse affirmavimus. Ad huius igitur indolem utcunque illustrandam quae in hunc locum reservavimus nunc addemus. Nimirum alibi a nobis observatum iam est*), pleraque per providentiam Dei ordinariam procurari potuisse, quae Theologi antiquiores, nulla urgente necessitate, a theopneustia ἀμέσῳ derivare solebant; idque paullo uberius declarare polliciti sumus. Hoc igitur praestare nunc tentabimus.

Divina providentia mundum non solum physicum sed intelligibilem etiam et moralem regi, nemo dubitare potest. Ac si generatim recte statuitur, minimas vicissitudines aeque ac maximas rerum conversiones divinae subesse gubernationi, eo profecto confidentius hanc Numinis providentiam res ad apostolos et munus his demandatum pertinentes, utut minimas, moderatam esse pronuntiamus, quod Deus hisce viris non solum tanquam instrumentis ad consilia sua optima maxima exsequenda prae aliis uteretur, sed etiam legatorum ad homines a se missorum auctoritate eos valere, ipsisque a discipulis reverentiam et obsequium Luc. V. 16. praestari vellet. Itaque omnes περιστάσεις ad apostolos spectantes sapientissime a Deo ita dispositas fuisse credere fas est, ut hac ipsa rerum circumstantium concatenatione caveretur, ne apostoli in officii sui functione quidquam committerent, quod consilio Dei contrarium legatique divini persona indignum esset, nec negligerent,

---

*) Stricturarum harum partic. I. pag. 9. (v. supr. p. 298.) et partic. II. pag. 8. (v. supr. p. 310. 311.)

quae Deus ab ipsis perfici decrevisset. Cum vero providentia divina ad obtinendos fines sibi propositos media adhibere ordinaria et viribus naturalibus ad naturae leges agentibus uti soleat, ac in eo praecipue spectetur, ut per rerum circumstantium aptissimam dispositionem creaturarum ratione praeditarum actiones sic dirigat, prout scopo suo convenientissimum est, miraculose vero non nisi rarissime, scilicet tum demum operetur, ubi naturae vires effectui ita uti Deus decrevit producendo non sufficiunt: idem etiam in dirigendis doctoribus scriptoribusque sacris locum habuisse nostro iure statuimus; quo admisso, plana, si quid iudicamus, et extricata erunt omnia. Poterant autem ea quibus opus erat tantum non semper per providentiam ordinariam eo certius procurari, quod apostoli ad obeundum doctorum munus singulari ratione optime praeparati iam essent. Nam, ut vidimus, 1) multo antequam ad scribendum animum appellerent, universam doctrinam salutarem tum ex Christi institutione, tum ex novis revelationibus divinis, tum etiam piarum meditationum ope penitus callebant, et quotidie in hoc fere unice occupati erant, ut eam coram auditoribus suis repeterent ac explanarent, et ad eius normam quaestiones sibi propositas definirent, vel controversias sive cum infidelibus sive inter Christianos ipsos agitatas dirimerent; 2) Deus dona Spiritus Sancti extraordinaria Pentecostes iam festo hanc ipsam ob causam apostolis concesserat, et naturales ingenii dotes, quibus quisque ornatus erat, insigniter augeri curaverat, ut fidei christianae capita

cum accuratius perspicere, tum aptius sive scripto sive coram exponere possent.

Iam, his sic constitutis, fac, libellum ab apostolo tam egregie instructo fuisse scribendum aut epistolam exarandam. Ante omnia necesse erat, ut scribere *vellet*. Hoc ut fieret, vix unquam opus fuisse videtur impulsu quodam miraculoso. Nam conditio eorum, quibus libellus destinandus erat, et nuncii quos ea de re acceperat apostolus, virum desiderio commodis horum hominum *inserviendi flagrantem* sibique conscium, prodesse se iis *posse*, ad *scribendum* ultro permovebant. Hinc commentatores, priusquam libri cuiusdam sacri interpretationem ordiuntur, in scribendi occasionem diligenter inquirere solent. Sic Paullus, per litteras, quas Corinthii ad ipsum dederant, et familiarium Chloes cuiusdam de ecclesiae Corinthiacae statu turbulento narrationes, ad exarandam priorem ad Corinthios epistolam exercitatus fuit. Et paullo post, cum Titus a Paullo Corinthum missus inde reversus esset, et de effectibus prioris epistolae praesentique coetus istius conditione apostolum certiorem reddidisset, hic statim posteriorem ad eosdem perscribere decrevit. Nec quid Lucam impulerit, ut ad conscribendum suum Evangelium animum induceret, libri prooemium legentibus obscurum esse potest.

Si vero apostolus exarandi libelli cuiusdam consilium ceperat, in eligendo quod tractaret *argumento* non erat, quod dubius haereret. Eaedem enim *περιστασεις*, quibus permotus apud se constituerat, ut

scriberet, scriptionis materiam ultro suppeditabant. Nam non ignorabat, quaenam doctrinae christianae partes lectoribus, pro praesenti eorum statu ac conditione, utilissimae essent scituque prae aliis necessariae, aut ad obtinendum finem, quem auctor sibi proposuerat, maxime accommodatae. Definito autem libri argumento apostolus, universum doctrinarum salutarium ambitum earumque inter se nexum penitus perspiciens, nullo negotio diiudicare poterat, quaenam fidei capita ad primarium illud argumentum sive confirmandum, sive illustrandum, sive commendandum, sive vindicandum aptissime adhiberi possent. Paullus v. c. Romanis scripturus de eligendo epistolae argumento sollicitus esse nullo modo poterat. Dudum enim non solum noverat, quasnam doctrinae christianae partes Iudaizantes impugnare aut corrumpere solerent, sed experientia edoctus probe etiam sciebat, quibusnam dogmatibus Christiani nonnulli e Gentilibus abuterentur ad excusandam vitam suam vitiis inquinatam; nec latebat eum, quid utrique hominum generi, quocum decertandum ei quotidie erat, opponi et posset et deberet. Cum igitur rescivisset, metuendum esse, ne sive ab hoc sive ab illo pseudodoctorum genere ecclesia romana detrimenti quid caperet ac genuina Christi doctrina obscuraretur, facile intelligebat, in epistola Romam mittenda praecipue tractanda esse dogmata de iustificatione per fidem absque legis operibus, de libertatis christianae vera indole et studii virtutis haud fucatae necessitate, de Iudaeorum reprobatione et Gentilium in ecclesiam

cooptatione, deque aliis horum similibus, aut cum iis propius coniunctis. Praeterea in materiae delectu nonnihil pendebat a cogitandi ratione, cui apostolorum quisque maxime adsuetus esset, huius vero origines porro quaerendae sunt partim in apostoli educatione, institutione, et hominum inter quos versatus erat quosque doctrina christiana instituerat ingenio, partim in revelationum quae ei prae aliis apostolis contigerant argumento. Hinc alia dogmata saepius a Ioanne, alia a Paullo saepius tractata esse invenimus. Paullus, ut hoc utar, crebro *sui* Evangelii *), quod non ab hominibus sed per revelationem didicerit, mentionem facit, et in omnibus fere, quas scripsit, epistolis summo inculcat studio, abrogatam esse legem mosaicam, πιστιν conditionem esse unicam et omnibus pariter praescriptam ad consequendam salutem, Christianos ex Gentilibus paribus gaudere iuribus cum fidelibus ex Iudaeis, et alia his similia, rarius in caeterorum scriptorum sacrorum libris obvia. Tandem animi etiam, eo ipso quo ad scribendum auctor sese accingeret tempore, affectio, aliaeque res circumstantes, e. gr. sermones quos forte cum aliis paullo antea contulerat, et huius generis innumera alia, efficiebant, ut meditanti de libelli argumento haec potius quam alia in mentem venirent. Istae autem περιστασεις procul dubio sapientissime a providentia sic erant ordinatae ac dispositae, ut

*) Quid hoc nomine intelligat, satis clare indicat Gal. I, 11, 12. II, 2. 7. Eph. III. 2—9.

scripturi cogitationes ad ea dirigerentur, quae ex Dei consilio scribenda iam essent.

Delectu facto rerum scribendarum, hae scite *ordinandae* erant. In nonnullis quidem apostolorum libris, velut in epistolis ad Romanos et Ebraeos, ordinem deprehendimus lucidum et praemeditatum. Singulae enim partes, saltim maiores, tam prudenter sunt distributae, ut non solum inter se omnes apte cohaereant, sed antecedentes etiam sua luce collustrent subsequentes, nec quidquam ante proferatur, quam praemissa essent ea, quae ad praeparandos lectorum animos idonea iudicaret auctor. Sed mirum hoc videbitur nemini, qui reputare secum velit, tum eximiis dotibus a Deo instructos fuisse apostolos, tum scripsisse eos de rebus quas penitissime cognitas haberent, quasque sexcenties iam pertractassent; unde sponte sua enascebatur insignis materiam quamque in omnes partes versandi facilitas. Interim plerique apostolorum libelli, quod ad dispositionem partium attinet, ita comparati sunt, ut manifeste appareat, auctores non nimis de ordine, quo singulae partes commode excipere se possent, laborasse. Saepe idearum quam vocant consociatio ultro offerebat ea, quae praecedentibus subiuncta cernimus; quin ultimum nonnunquam vocabulum periodi antecedentis occasionem praebuisse videtur annectendi ea, quae in proxime sequentibus leguntur. Utut est, vix unquam talem ordinem in tractando argumento suo observarunt scriptores Novi Testamenti, cuius ratio

aliunde reddi non possit, quam e theopneustia stricte sic dicta.

Restant quidem complura curate ante examinanda, quam ad quaestionem nobis propositam: utrum scilicet quae theopneustiae proprie dictae attribui vulgo solent, ab ordinariae providentiae moderamine derivari possint omnia? solide responderi queat. Sed alii tempori haec reservanda sunt. Iam enim paucis saltim verbis attingendum id est, quod haec proludendi occasionem nobis praebuit. *Adesse scitis*, Cives Optimi, dies festos, qui in memoriam *Vobis* revocant beneficium insigne, quo Deus, dona Spiritus sancti discipulis Iesu larga manu impertiens, pro immensa sua erga homines clementia, non apostolos solos, sed omnes omnium temporum *Christianos* affecit. Ut enim in praemissa commentatione monstravimus, et volente Deo in continuatione eius porro ostendemus, prima illa post Domini ad Patrem reditum Pentecoste apostoli per Spiritum S. idonei redditi sunt tum ad intelligendam tum ad tradendam absque erroris periculo doctrinam eam, quae ad veram virtutem, adeoque etiam ad summam aeternamque felicitatem non viam tantum monstrat, verum etiam ad hanc metam, quo tendere hominem ratione praeditum quemlibet decet, a qua vero facillime aberratur, tuto perducit omnes, qui doctoribus illis promtum praestant obsequium. Itaque Vos Ipsos quoque, Carissimi, participes esse voluit Deus fructuum istius beneficii, quod ante tot secula contigit apostolis. Atque hinc Ipsi Vobiscum reputabitis, Vestram

omnino esse, tanti beneficii immensam amplitudinem pia grataque mente recolere, festos dies huiusmodi meditationibus praecipue destinatos sancte celebrare, atque erga Evangelii praecones, qui pro concione officii Vestri Vos admonebunt et uberiorem meditandi materiam subministrabunt, tales Vos praebere, ut viri meritissimi ipsi intelligant, memores Vos esse Paullini illius: *εἰ ἡμεις ὑμιν τα πνευματικα ἐσπειραμεν, μεγα, εἰ ἡμεις ὑμων τα σαρκικα θερισομεν;*

P. P. ipso die Pentecostes MDCCLXXXVII.

XXI.

Pentecostes solemnia pie celebranda civibus indicit academia Jenensis. Inest stricturarum in locum de theopneustia librorum sacrorum particula quinta et ultima. Jenae. MDCCLXXXVIII.

Monstrare coepimus anno praeterito, cum eiusdem festi, quod hodie, quae Dei est gratia, iterum celebramus, solemnitas publice Vos, Cives, alloquendi opportunitatem Nobis praeberet, theopneustiae strictius sic dictae a superiorum seculorum Theologis attributa esse haud pauca, quae sacris litteris, quippe quae modum rei nusquam distincte declarant, neutiquam repugnantibus ab ordinaria Dei providentia derivari omnino posse videantur. Ostendimus nimirum, *tum* ad excitandos apostolos, ut ad scribendum libellum aliquem appellerent animum, miraculoso impulsu opus non fuisse; *tum* argumenti in libello isto potissimum pertractandi delectum a scriptore sacro, licet non inspirato, fieri rite potuisse; *tum* in ordine

etiam, quo potiores libelli cuiusque partes sese excipiunt, nihil deprehendi, quod statuere nos cogat, a Deo ipso praeternaturali modo huncce talem ordinem auctori esse suppeditatum. Haec enim omnia, scribendi scilicet voluntas, rerumque scribendarum et delectus et ordo, pendebant a rerum circumstantium, sapientissime a Deo dispositarum, conditione. Praeter haec vero, de quibus in antecedente commentationis huius particula disputavimus, alia plura in libris sacris, si eorum originem spectes, consideranda restant, quae plerisque theopneusta esse videntur, nostro autem iudicio, aeque ac illa de quibus modo loquebamur, per ordinariam Dei providentiam, salva librorum apostolicorum auctoritate divina, procurari potuerunt.

Si apostolus, quaenam doctrinae capita in libello, quem huic illive ecclesiae destinaverat, explicare vellet, constitutum haberet, ac ad exponendum id, quod primo omnium loco tradere sibi proposuerat, iamiam sese accingeret, ante omnia, quin ea de re accommodate ad istius ecclesiae statum dicendum esset, diligenter secum reputare debebat. Hic vero duo veniebant expendenda: primum quaerebatur, *quid ex doctrinae christianae formula* hac de re statuendum esset; deinde, cum libellorum apostolicorum brevitas non omnia quae de argumento aliquo dici potuissent caperet, sapientique consilio apostoli fidei capita non universim et (ut aiunt) in abstracto, sed accommodate ad ecclesiarum singularum conditionem tractare soliti essent, diiudicari debebat, *quid heic dicto*

potissimum opus esset, ut eius cui scriberetur *ecclesiae* commodis prudentissime consuleretur. Sed in definiendo utroque dubium vix unquam haesisse apostolum, credibile est.

Prior enim quaestio illa, quid doctrinae christianae ἀξιώμασι convenienter de hac illave materia affirmandum aut negandum sit, negotium facessere nequibat viro, qui vel ex institutione ipsius Domini, vel saltim Spiritu Sancto magistro universam doctrinae salutaris formulam didicerat *eamque dudum penitissime* cognitam atque perspectam habebat. Imo ne memoriae quidem lapsu errare in enarrandis fidei capitibus facile poterat doctor publicus, qui omne tempus suum unice in eo consumebat, ut quotidie doctrinam illam sive secum meditaretur, sive *aliis* enodaret, quique sexcenties iam easdem veritates coram diversis auditoribus repetierat. Memoratu etiam dignum est, nec sine Numinis provida cura contigisse videtur, ut apostoli non primis statim diebus aut mensibus post solemnissimum illum Pentecostes diem, sed plures annos post demum libellos suos exararent, quam tradendae doctrinae suae quotidianam operam iam navassent, adeoque in ea enucleanda perquam exercitati essent; id quod de Paullo etiam valet, cuius primae epistolae aliquot saltim annos scriptae sunt, postquam doctoris publici munus auctor suscepisset. Taceo summam doctrinae ab apostolis traditae simplicitatem, nullis philosophorum aut theologorum argutiis impeditam, nec spinosis quaestionibus subtilibusve distinctionibus intrica-

tam, sed explicatu aeque ac intellectu facilem, praesertim cum neutiquam systematice aut ad severioris methodi, cui scholae se adstringunt, leges sed populariter explananda esset. Quis quaeso doctores tam praeclaris dotibus a Deo instructos, tam bene institutos, et tam diu exercitatos talem doctrinam absque erroris periculo scripto comprehendere haud potuisse, aut de re aliqua ad religionem pertinente quid statuendum sit ignorasse dubiosve fluctuasse sibi persuadebit?

Quod vero ad *alteram* quaestionem supra propositam attinet, existimare videntur nonnulli, apostolos, licet ipsam doctrinae summam et singulas eius partes optime callerent, tamen si sermones suos de dogmatibus christianis rei praesenti accommodare et haec ita, prouti lectorum rationibus convenientissimum esset, exponere vellent, ad lapsum proniores fuisse. Quid? si proloquebatur apostolus, quae prudentia silentio hic premere iubebat, aut tacebat, quae urgere heic maxime oportebat. Quid? si vera quidem scribebat et doctrinae christianae consentanea; sed non ea, quae huic lectorum generi hoc ipso temporis momento utilissima aut prae aliis necessaria erant. Nonne igitur Spiritus sancti quasi manuductione, h. e. inspiratione, opus fuit apostolis? Sic quidem illi. Nobis vero secus sentire absque impietatis crimine licebit. Clare enim perspicere nobis videmur, *plerumque* saltim auctores sacros sine ἀμέσῳ Dei auxilio diiudicare potuisse, quid hominum, temporum, locorumque rationes postularent. Nam scribere sole-

bant non hominibus ignotis, sed discipulis, amicis, et iis, quibuscum per temporis aliquod spatium familiariter vixerant, et quorum praesentem etiam statum et conditionem sive ex relatione hominum fide dignorum sive ex epistolis ad se datis noverant. Satis accurate sciebant, quibusnam vitiis antehac dediti maxime fuissent urbis aut provinciae cuiusque incolae, et quorumnam errorum semina iam ibi dispergerentur. Imo homines adeo noverant, qui ecclesiae cuiusque pacem et tranquillitatem turbare aut falsa dogmata disseminare conarentur, nec obscurum ipsis erat, quibus artificiis et quonam lenociniorum genere isti ψευδοδιδασκαλοι christianos imprudentes in suas partes allicere, quibus coloribus errores suos infucare, et quibus argumentis tum suis placitis veri speciem conciliare, tum genuinam apostolorum doctrinam convellere aut suspectam reddere niterentur. Haec omnia vero qui non nescit, is profecto non facile errabit in seligendis remediis, curando morbo idoneis. Colligere etiam ex apostolorum epistolis licet, omnium paene ecclesiarum isto aevo eandem fere fuisse conditionem, et cum eosdem errores tum vitia eadem ubivis locorum, servato tamen inter ecclesias e Iudaeis et ex Gentilibus collectas discrimine, debellari debuisse; quare difficultas iudicii, quid cuique ecclesiae conveniret, non parum minuebatur. Praeterea apostoli, si forte ecclesiae cuiusdam singularem statum non omni ex parte perspectum haberent, pro eximia sua prudentia, in conscribendis epistolis suis multa cautione, ut scripta ipsorum testantur,

usi sunt. Nonnunquam optare se narrant, ut ipsi praesentes adesse possint, quo accuratius omnia cognoscere ac pro re nata admonitiones aut reprehensiones suas temperare et variare possint, e. gr. Gal. 4, 20. 1 Cor. 4, 19 — 21. 2 Cor. 12, 20. 21. Interdum e familiaribus et administris suis ablegarunt nonnullos, ut per hos certiora de talium ecclesiarum statu resciscerent, v. c. 2 Cor. 7, 7 — 9. Col 4, 8. Atque horum legatorum suorum reditum anxie exspectare se, ingenue profitentur, velut 2 Cor. 2, 12. Cap. 7, 5. 6. Quibus omnibus supersedere potuissent apostoli, si theopneustia de eiusmodi περιστασεσι eos edocuisset, ipsisque, ecclesiae cuiusdam conditionem ignorantibus et eam ob causam de epistolae exarandae argumento et modo solicitis, scribenda ultro et ἀμεσως suggessisset. Nec talis inspirationis vestigia in apostolorum libris inveniri censemus. Nullibi enim in iis legere nos meminimus sive admonitiones sive dogmatis cuiusdam explanationes sive errorum refutationes tales, quarum ratio reddi non posset e περιστασεων scientia, quam auctores sacri per media ordinaria et naturalia comparare sibi potuissent. Itaque, QUID de re pertractanda quavis tum ad summam religionis christianae accommodate, tum apte ad lectorum suorum conditionem scribere deberent, nisi semper, *plerumque* tamen facile inveniebant apostoli, si vel maxime hoc quo scriberent tempore theopneustiae beneficio haud gauderent.

Superest ut dispiciamus, utrum forte maiores difficultates superandae fuerint apostolis, cum quae

scribere decrevissent, litteris iam mandare animique sui sensa verbis exprimere vellent. Iam enim quaerebatur, QUOMODO rectissime, distinctissime, et scopo convenientissime fieri id posset? Quae quidem quaestio complures alias sub se continet, velut: *quid explicatione uberiore, aut illustratione egeat? quid argumentis confirmari, seu ab obiectionibus vindicari debeat? quid contra his omnibus carere et paucis verbis perorari queat? quodnam argumentationum et illustrationum genus caeteris hoc loco praeferendum sit? quid proprie, quid vero figurate enuntiari debeat? quaenam similitudines, imagines, metaphorae etc. aliis praeferendae sint? quaenam phrases et loquendi formulae aptissime adhiberi queant? Nam in his omnibus et eius generis aliis iudicandis si peccaret auctor, verendum erat, ne exiguum aut nullum utilitatis fructum e tali libello perperam intellecto perciperent lectores, imo falsis et noxiis de rebus ad religionem pertinentibus imbuerentur opinionibus. Maximi momenti fuisse, ut eiusmodi lapsus auctorum sacrorum, qui divinorum legatorum personam sustinebant, caverentur, nemo infitias ibit. Sed quanam ratione hoc fieri potuerit et debuerit, hoc est, de quo disputatur. Multi quidem theologi sine theopneustiae adiumento apostolos ab erroris periculo non satis tutos fuisse autumant. Ex nostra vero sententia scriptores sacri vel absque illo auxilio supernaturali discernere tantum non semper facile poterant, non tantum *quid*, sed etiam *quomodo* scribere deberent, dummodo partim lectorum indolem et conditionem

paullo accuratius cognitam haberent, partim sufficiente iudicandi, quid talibus hominibus maxime conveniret, facultate pollerent. Atqui lectores, quorum commodis consulere vellent, sat notos ipsis fuisse, modo vidimus. Iudicium autem subactum in apostolis nemo desiderabit, qui in memoriam sibi ea revocare volet, quae de egregiis dotibus, quibus exornati a Deo erant, in antecedentibus disseruimus. Ad has dotes accedebat usus diuturnus et multorum annorum experientia, quibus rebus nil efficacius est ad vim iudicii acuendam et corroborandam. Nec nova plane aut antea nunquam a se tractata tradebant in libellis suis, sed repetebant fere eadem, quae saepius non uni auditorum generi coram exposuerant. Probe igitur, experientia edocti, sciebant, quaenam methodus et quodnam scribendi genus apud varias Christianorum sive Exiudaeorum sive Exgentilium classes utilissime adhiberetur, quaenam argumentationes plurimum ad tales homines convincendos valerent, quibusnam e contrario ratiocinationibus parum aut nihil apud eos efficeretur; quasnam metaphoras illi perperam interpretari solerent; quibusnam dogma aliquod explicandi aut illustrandi modis facile abuti possent adversarii; et quae sunt reliqua. Praeterea in doctrinarum christianarum declaratione et in vocabulorum, phrasium, troporum ac figurarum delectu propterea etiam peccare vix poterant apostoli, quod haec talia non invenire demum suopte ingenio deberent, sed partim in sermonibus magistri sui, partim in Veteris Testamenti libris, quorum dictionem ubi-

vis imitabantur, partim in usu loquendi Iudaeorum, praesertim graecorum, promta et parata fere omnia, quibus opus ipsis esset, deprehenderent.

Fac vero, accidisse aliquando, ut auctor sacer proclivis esset ad errorem, qui lectoribus fraudi esse potuisset, quid quaeso obstat, quo minus existimemus, providentiam divinam ad reducendum apostolum in rectam viam usam esse adminiculis eiusdem generis, quibus aliis etiam viris bonis et piis in vero indagando succurrere eam persuasum nobis est. Sane omnis aevi viris sapientibus, quibus Numen benignissimum in veritatibus magni momenti vel inveniendis vel, si oblivione obliteratae essent, instaurandis uti tanquam instrumentis voluit, suo auxilio Deus adfuit; non *ἀμέσως* quidem, at certissime *μέσως*. Nimirum res circumstantes omnes sapientissime ita disposuit, ut occasiones et adminicula ultro se ipsis offerrent, quorum ope mirifice in vero perspiciendo et erroribus vulgaribus excutiendis adiuvarentur. Sic, ut hoc utamur, Lutherus, vir vere magnus nec de iis tantum, qui denominari ab ipso solent, sed omnino de parte generis humani haud exigua praeclare meritus, errores putidos et abusus intolerabiles permultos non impugnavit solum strenue sed felicissime etiam debellavit, quos ante eum viri aeque cordati et veri amantes, variaque eruditione ei pares vel etiam superiores ne animadverterant quidem, aut si eos detexissent, irrito tamen conatu extorquere hominibus studuerant, nec coaevis suis veriora ac meliora probare potuerant, imo interdum Charybdin

evitare annitentes in Scyllam ipsi inciderant. Quod autem Luthero felicius omnia cesserint, id divinae providentiae debetur, quae omnia partim iam antea sic praeparaverat, partim iusto tempore ita disposuit, ut non solum innumeri homines assensum viro optimo praeberent et monitis eius lubenter obtemperarent, sed ut ipse etiam Lutherus absconditum malorum fontem alios viros perspicacissimos latentem indagare posset, genuinam doctrinae christianae in sacris litteris traditae formulam rectius quam alii assequeretur, ac invitus paene, ab ipsis adversariis suis quasi coactus et velut irresistibili περιστασεων vi abreptus, ulterius longe quam ipse animo constituerat in oppugnandis erroneis opinionibus progrederetur. Quidni igitur apostolos eodem adminiculorum genere in cognoscendis veritatibus ad religionem pertinentibus suisque lectoribus scitu necessariis adiutos et in administranda doctorum provincia quasi directos fuisse statuimus? Aut quid causae subest, cur, tacente scriptura sacra, credere nos oporteat, per inspirationem miraculosam effectum fuisse, cui praestando naturalia media sufficere poterant? Atque in hac sententia ipsa apostolorum historia nos confirmat. Scimus v. c. Paullum, cum diutius in Asia et Bithynia commorari vellet, Act. 16, 6. 7. per somnium admonitum esse, ut relictis istis regionibus in Macedoniam ad praedicandum Evangelium properaret, comm. 9. 10. Similiter Petrus Antiochiae a iusto tramite deflectens in rectam viam deductus fuit a Paullo. Gal. 2, 11—21. Eodem modo saepius, divina

gubernante providentia, per colloquia cum aliis doctoribus habita apostolo notiones novae suppeditari, et eae, quas mente conceperat, corrigi poterant. Huius generis naturalia media innumera sunt, quibus Deus cogitationes hominum ad certum aliquem finem dirigere potest. Quoties enim circumstantiae hominem velut undique circumdantes immutantur, quod infinitis modis fieri potest, ideae aliae excitantur, aliaque capiuntur consilia. Quare cum minimae etiam res apostolos circumstantes *provida Numinis* cura ordinarentur, per has ipsas meditatio auctorum sacrorum, dum libellos suos scriberent, ita dirigi potuit, ut secundum leges psychologicas in animum ipsis venirent eae non solum cogitationes, sed loquendi etiam formulae, imagines, metaphorae, reliqua, quae ex Dei consilio litteris consignari deberent.

Etsi vero haec ita se habere omnino videntur, ultro tamen largimur, contingere *nonnunquam*, utut rarius quam vulgo putatur, *potuisse*, ut media huiusmodi naturalia ad cavendos apostolorum errores omnino omnes non sufficerent. Veri quidem longe dissimillimum est, apostolos, postquam δυναμιν ἐπελθοντος πνευματος ἁγιου ἐπ' αὐτους induti essent, Act. 1, 8. scripturos unquam fuisse, quae religionis christianae συστηματι repugnarent et a vera Dei et Christi cognitione lectores abducerent vel genuinae virtutis ac pietatis exercitium impedirent. Sed in explanandis, illustrandis, vindicandis et accommodandis in rem praesentem dogmatibus singulis, admiscere fortasse potuissent nonnulla, quae vel parum digna fuis-

sent legatorum divinorum persona et dedecuissent eos religionis magistros, quorum auctoritatem in constituenda doctrinae suae salutaris formula supremam esse voluerat Christus, vel incautos lectores fallere et opinionibus perversis et noxiis ansam praebere potuissent. Quoties igitur huiusmodi quid prolaturi essent apostoli, nec μεσως caveri lapsus posset, ἀμέσως Deum opem illis tulisse, credere fas est. Sed hoc pluribus modis fieri potuit. Nonnunquam revelatione veritatis alicuius, apostolo adhuc non satis cognitae, opus potius fuisse videtur, quam inspiratione, ab illa, ut suo loco diximus, distinguenda. Interdum per ὅραμα aliquod suppeditatum fortasse apostolo fuit id, quo efficiebatur, ut errorem, quem alias commissurus fuisset, evitaret. Quemadmodum enim Petrus per ὅραμα ἐν ἐκστάσει Act. 10, 10 seqq Cap. 11, 5. admonitus fuit, ut neminem, quamvis ethnicum et circumcisionis ritu haud initiatum, impurum reputaret ac profanum, Cap. 10, 28. 34. 35. nec gentilibus Evangelium annuntiare eisque baptismum impertire dubitaret: ita simili fere modo scriptores etiam sacri edoceri potuerunt de iis, quae satis perspecta nondum haberent, adeoque perperam aut ad scopum saltim minus accommodate tractare in suis libellis potuissent. Si vero haec omnia ad finem consequendum nondum sufficerent, sed hic vel unice vel omnium optime obtineri posset, si Deus apostolo scribenda *inspiraret;* tum demum *theopneustiam* proprie sic dictam, cuius notionem alibi Partic. II. pag. 4—8. (v. sup. p. 304 sqq.) informavimus, locum habuisse censemus.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, effici iam posse videntur, quae coronidis loco hic apponimus.

I. *Omnia* quae in libris Novi Testamenti leguntur, e theopneustia (stricte sumta) scripta esse, probari nequit. Nam neque e scripturae sacrae oraculis cogi hoc potest, neque res ipsa et librorum sacrorum destinatio necessario id postulat.

II. In collectione librorum Novi Testamenti continentur fortasse scripta nonnulla apostolica, eaque genuina, quibus *nihil* inest theopneusti. Et nihilo tamen secius talia scripta suo iure et merito locum suum in canone obtinent.

III. Liber Novi Testamenti constare potest partibus diversae indolis; inspiratis admixtae esse possunt non inspiratae.

IV. Non datur criterium certum, cuius ope id quod ex theopneustia profectum est, ab eo quod absque inspiratione dictum aut scriptum est, dignosci queat.

V. Dubitare licet, utrum apostoli ipsi discernere semper potuerint, an hae illaeve sententiae, quas iam scriberent, theopneustae essent, nec ne.

VI. Multo minus hodie absque temeritate definire quisquam potest, quibusnam libris insint oracula theopneusta, aut quibusnam libri partibus ea contineantur.

VII. Hoc tamen non obstat, quo minus libris Novi Testamenti tuto ac confidenter uti queamus tanquam fonte limpidissimo, e quo omnis de religione christiana cognitio hauriri et potest et debet, seu ve-

lut lydio lapide, ad quem quicquid pro doctrinae salutaris parte venditatur examinandum est. Nam librorum istorum auctoritas quae theologis vocatur canonica neutiquam pendet ab inspiratione divina, sed fundamentis nititur talibus, quae firma et inconcussa manerent, tametsi ne unica quidem syllaba ex inspiratione provenisset.

VIII. Numinis providentia cautum fuit certissime, ut ne errores in apostolorum libros irreperent, quibus iustus eorum usus impediretur.

IX. Quo autem modo effectum hoc fuerit, scire nostra nil interest.

Hisce positionibus uberius declarandis operam dare hic non possumus, nec eas verbosa illustratione indigere putamus. In antecedentibus enim curate, etsi breviter, exposita a nobis sunt ea, quibus haec consectaria superstructa sunt. Quare ad id iam deproperamus, cuius causa haec prolusimus. Vestri scilicet officii, Cives Optimi, Vos commonefacere et pro eo quo Vos complectimur amore adhortari Vos volebamus, ut festos hosce dies ita peragatis, ut Vestrum erga religionem a Christo traditam et ab apostolis, multiplici ut vidimus Dei auxilio adiutis, copiosius declaratam studium tum omnes quibuscum vivitis intelligant, tum inprimis publici doctrinae salutaris praecones, qui pietatem Vestram suis sermonibus incendere ac alere studebunt, experiantur.

P. P. die Pentecostes, A. O. R. MDCCLXXXVIII.

XXII.

Io. Iac. Griesbachii Theol. D. et Prof. Primar in academia Jenensi commentatio qua Marci Evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse monstratur, scripta nomine Academiae Jenensis, (1789. 1790.) jam recognita multisque augmentis locupletata. *)

Ad historicorum libros accurate interpretandos, fidem auctorum iusta lance trutinandam, et veram eventuum, quos literis illi consignarunt, indolem perspiciendam subtiliterque iudicandam, magni prae aliis momenti est, fontes nosse, e quibus ea, quae in commentarios suos retulere, hauserint. Hinc alio iam tempore **) de fontibus, unde Evangelistarum de resurrectione Christi narrationes promanaverint, disseruimus. Verum tunc unice ad Evangeliorum par-

*) Extat haec recognita commentatio in Commentatt. theol. a Velthusen Kuinoël et Ruperti editis, Vol. I. Lips. 1794. p. 360. sqq. G.

**) In Programm. paschali anni 1783 (vid. supr. p. 241).

tem eam, qua historia de Iesu in vitam reditu continetur, respiciebamus et tantum de Matthaeo, Luca ac Ioanne paullo copiosius agebamus, de Marco autem vix paucis verbis velut in transcursu exponebamus nostram sententiam. Quare, cum de Marco potissimum, unde sua desumserit, disceptetur, nec tantum de historiae resurrectionis sed de totius Evangelii fontibus dubitetur, virique docti, qui hanc quaestionem, nuperrime etiam, tractarunt, ea argumenta, quae liti dirimendae maxime idonea nos quidem arbitramur, neglexisse fere videantur; huic rei declarandae operam nunc dabimus.

Antiquissimi scriptores, inde a PAPIA, uno fere ore Marcum ea, quae a Petro, cuius interpretem ipsum nominant, audivisset, litteris mandasse tradiderunt. Primus, quod sciamus, *Augustinus*, Marcum tanquam pedisequum et breviatorem subsecutum esse Matthaeum *), iudicavit. Ex eo tempore plerique viri docti utramque sententiam coniungere, et Marcum partim e Matthaei libro partim e Petri ore ea quae scriberet derivasse, statuere solebant. Recentiores vero nonnulli scite observarunt, tantam esse Marci cum Luca etiam convenientiam, ut huius quoque Evangelium ille ad manus habuisse videatur. Contra vero *Lardnerus* **) Matthaeum a Marco lectum plane non fuisse multis argumentis vincere studuit,

*) De consensu Evangeliorum Libr. I. cap. 2.

**) Supplement to the credibility of the gospel history. Vol. I. cap. 10.

Hasce libelli primaevi versiones saepius iam fuisse transscriptas, *) et ab interpretibus vel librariis vel lectoribus passim variis additamentis auctas, qualia etiam in ebraicum archetypum, antequam in graecam linguam transferretur, irrepserint. Quin plurium exemplarium augmenta in unum esse conflata ab iis, qui exemplar habere cuperent quantum fieri posset πληρεστατον. **) Huiusmodi igitur exemplaria trium primaevi scripti versionum, sed non purarum, verum diversimode iam commixtarum et adiectis multis auctariis interpolatarum, *ad manus fuisse* tum tribus nostris Evangelistis, ***) qui e sua penu additamenta nova adiecerint, tum etiam aliis similium de vita Christi libellorum auctoribus. — Superstructa est haec Clar. *Eichhornii* hypothesis argumentis potissimum his: nec Matthaeus Marco aut Luca,

*) l. c. pag. 823.

**) Ibid pag. 920.

***) Temporis spatium, quo primaevi scripti ebraici et nostrorum Evangeliorum natales inter se distant, angustius nobis videtur, quam ut tot archetypi recensiones novas ac locupletiores, tot recensionum permixtiones, tot denique earum versiones capere queat. Librorum conscribendorum et divulgandorum modus, coetuumque christianorum per longe dissitas provincias dispersorum nec communi quodam vinculo inter se connexorum conditio ac status, isto aevo, si quid iudicamus, tam velocem libelli alicuius non solum propagationem sed etiam in tam multiplices formas conversionem, vix admittebant. Si Evangelia nostra non ante seculum secundum medium conscripta essent, facilius hypothesi Eichhornianae assentiremur.

nec Marcus Matthaeo aut Luca, nec Lucas Matthaeo aut Marco usi fuerunt; consensus igitur inter ipsos repetendus est a communi quodam fonte, e quo omnes hausere; ebraicum hunc fuisse, plura produnt indicia, (alio deinceps loco a nobis commemoranda;) attamen nostra Evangelia, quippe quae per plures *στιχους* in graeca phrasi saepenumero consonant, ex ebraico isto textu immediate non videntur profluxisse; *) ante igitur, quam nostra Evangelia conscriberentur, ebraicus archetypus in graecam linguam iam erat conversus; plures autem versiones extitisse necesse est, quia Evangelistae, licet eandem rem eodem modo ac ordine narrent, phrasibus tamen plerumque utuntur diversis; tandem exemplaria tam ebraica quam graeca posterioribus curis aucta novis additamentis fuisse, ex eo cogitur, quod auctaria, quae primitus abfuerant ab ebraico archetypo, iam uniformiter comparent mox in Matthaeo et Marco, mox

---

*) Ex Cel. *Eichhornii* sententia, ni fallimur, non archetypus sed versiones ejus praesto fuerunt nostrorum Evangeliorum auctoribus. Matthaeus saltim ebraicum archetypum non adhibuit. Nam in graeco Matthaei textu, si Viri doctissimi iudicio standum est, plura deprehenduntur *παροραματα*, e vocum ebraicarum archetypi similium permutatione eruta. Quis vero Matthaeum ipsum tales errores commisisse sibi persuadeat? Atqui si Matthaeus graeca archetypi versione usus est, idem sane de Luca et Marco statuendum erit.

in Matthaeo et Luca, mox in Luca et Marco.*) — Denique, ut aliorum cogitata praetereamus, anonymus auctor **) persuadere nobis conatus est, primum omnium scriptum esse Evangelium Ebraeorum; huius diversas recensiones, sed minus perpolitas, esse Nazaraeorum et Ebionitarum Evangelia; postea prodiisse Evangelium illud, quo Marcion usus fuit, nec non libellum Marci; tum secuta esse *ἀπομνημονευματα των ἀποστολων*, a Iustino M. laudata, et Matthaei commentaria; deinceps Lucae Evangelium evulgatum esse; de Ioannis autem Evangelio, utrum *istis* omnibus posterius, an nonnullis eorum prius sit, haud liquere.

Tantum doctissimorum virorum dissensum non mirari non possumus, cum, nostro quidem iudicio, vel ex sola trium Evangeliorum inter se comparatione attenta abunde patescat, quonam cognationis gradu se invicem contingant. Quod ut planum faciamus

---

*) De his argumentis, *quatenus* ad impugnandam *nostram* de Marci Evangelio hypothesin adhiberi possent, infra nonnulla dicenda erunt, eamque ob causam eorum mentionem hoc loco fecimus. Cardo autem rei vertitur in eo, ut dispiciatur, 1) utrum indubia adsint fontis *ebraici* indicia, 2) num e diverso eandem rem enuntiandi modo, item ex omissionibus et ἐναντιοφανειαις nonnullis cogi possit, alterum auctorem altero usum non esse. Nam utrumque hoc si recte negatur, non est cur hypothesin a nobis defensam novae huic postponamus.

**) *In den Beyträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion.* Partic. XVI. pag. 57.

Lectoribus, I. sententiam nostram distincte exponemus, II. paucis, sed selectis, argumentis eandem confirmabimus, III. ad obiectiones, quibus impugnari ea posset, respondebimus, et IV. consectaria ex nostra hypothesi derivanda indicabimus.

Sectio I.

Sententiae quam defendimus summa haec est: *Marcum in conscribendo libro suo ante oculos positum habuisse non solum Matthaeum sed et Lucam, atque ex his decerpsisse quicquid de rebus gestis, sermonibus et fatis Servatoris memoriae mandaret*, ita tamen, ut

1) Matthaeum quidem potissimum et plerumque sequeretur ducem, at

2) interdum tamen, relicto Matthaeo, Lucae sese adiungeret comitem;

3) ubi Matthaei insisteret vestigiis, Lucam tamen ex oculis non dimitteret, sed hunc cum Matthaeo compararet, et vicissim;

4) brevitati studeret, quippe qui libellum mole exiguum conscribere vellet; hinc non solum

5) omitteret, quae ad munus doctoris, quo Dominus publice functus est, non pertinerent, Matth. 1 et 2. Luc. 1 et 2. sed etiam

6) praeteriret sermones complures Christi verbosiores, *) e. gr. Matth. 5. 6. et 7. 10, 16-42. 11, 20-30.

*) Sicubi longiores sermones retinuit, veluti cap. 4. et 13. tamen in his quoque brevitati studuit. Certe, si lo-

12, 33 -- 45. 13, 37 -- 54. 18, 10 — 35. 20, 1 — 16. 22, 1 — 14. 23, 2 — 39. 24, 37 — 51. 25, 1 — 46. Luc. 6, 17 — 49. 19, 11 — 28. Imo inde a Luc. 10, 1. ad cap. 18, 14. tertiam fere Evangelii Lucae partem intactam praetermitteret, quoniam tota fere sermonibus Christi constat. Porro in excerpendis Matthaei et Lucae Evangeliis ita versatus est, ut

7) rationem haberet suorum lectorum, hoc est, hominum a Palaestina remotiorum, quibus Palaestinensium Iudaeorum, nominatim *Pharisaeorum*, placita et instituta minus cognita nec scitu admodum necessaria essent; eamque ob causam partim

8) resecaret nonnulla apud Matthaeum vel Lucam obvia, ad solos Iudaeos et inprimis ad Palaestinenses spectantia, aut horum cogitandi modo accommodata*) v. c. Matth. 16, 2. 3. 19, 28. Luc. 4, 16 -- 30. 23, 28 — 32. et

---

eos Matthaei parallelos compares, Marcum utroque loco laudato haud pauca resecuisse deprehendes.

*) Neque tamen omnia, quae propius ad Iudaeos et Palaestinenses spectant, penitus a suo libello excludere potuit. Cum enim Christus nunquam alios habuisset auditores quam Iudaeos, ipseque sapientissime institutionem suam semper attemperasset audientium conditioni, fieri non poterat, quin sermonibus ipsius tantum non omnibus inesset aliquid, quod ad Iudaeos maxime pertineret. Praeterea, cum omnes Christianorum coetus isto tempore collecti una cum Exgentilibus etiam Exiudaeos complecterentur, inter Marci quoque lectores procul dubio fuere iudaicis sacris addicti. Horum causa transfundere e Matthaei Evangelio

9) parcior esset in allegandis Vet. Test. dictis, e. gr. Matth. 4, 14. 12, 17—21. 13, 14. 15. partim

---

in suum Marcus quaedam potuit, quae ad Iudaeos potissimum horumque cogitandi vivendive modum respicerent. Interim a) haud pauca huius generis prorsus intacta reliquit, b) in iis, quae retinenda censuit, brevior esse solet Matthaeo, c) nonnullos sermones, ad Iudaeos spectantes, duntaxat propter eximias quasdam et perutiles sententias, in ipsis obvias transscripsisse videtur; d) multa, quae Palaestinensibus Iudaeis dicta fuerant, ab aliis etiam non sine utilitatis fructu legi poterant. Haec qui attendere velit, de nonnullis Marci locis, quos *Storrius V. V.* in dissertatione modo laudata pag. 65. nostrae thesi opposuit, nullo negotio iudicium feret. Nempe Marci 2, 16 — 18. servatum fuit propter commata 17. 20. 27. 28. Quae cap. 3, 22 — 30. leguntur, omittere Marcus noluit, quia extra Palaestinam quoque Christianae religionis hostes Iesum et Apostolos magicis artibus daemonumque ope miracula patrasse caussabantur. Narratio de Nazaretanis cap. 6, 1 — 6. utilis esse poterat omnibus, qui mirarentur, quid sit, quod tam pauci e popularibus Iesu tanti doctoris monitis aures praebuissent dociles. Mandata, quae Dominus, cap. 6, 8 — 11. apostolis, cum eos primum futuri officii quasi rudimentum ponere iuberet, dederat, haud indigna sane erant, quae omnium locorum Christianis innotescerent; quamquam Marcus, Lucae imitatus exemplum paucis versibus complexus est, quae Matthaeus verbosa oratione persecutus erat. Marci 8, 1 — 23. servatum fuit ob vs. 15 — 23. Cap. 8, 11. 12. non solum reprehenduntur omnes quorumcunque locorum homines σημεια ἐπιζητουντες, verum referri etiam hic locus potest inter eos, e quibus patet, Iesum nunquam eo consilio miracula edidisse, ut vanae spectatorum curiositati satisfaceret; qua de re infra Sect. II. observ. 3. plura di-

10) adderet illustrationis causa, quae suis lectoribus ad rectius intelligendam narrationem vel necessaria vel utilia putaret; e. gr. Marci 7, 3. 4. 8. 11, 13. 12, 42.

11) persaepe quidem easdem formulas, phrases et constructiones, quas Matthaeus et Lucas usurpassent, retineret, et inter has multas paullo inusitatiores; e. gr. Marc. 2, 10. λεγει τῳ παραλυτικῳ, 10, 22. ἦν γαρ ἐχων κτηματα πολλα. 12, 14. οὐ μελει σοι περι οὐδενος, οὐ γαρ βλεπεις εἰς προσωπον ἀνθρωπων, 13, 14. το βδελυγμα της ἐρημωσεως, et parentheticum illud ὁ ἀναγινωσκων νοειτω, et alibi saepe;

12) attamen illorum libros neutiquam ad verbum exscriberet, sed *suo* modo, hoc est aliis formulis ac phrasibus, ea, quae legisset apud illos, narraret; imo haud raro

13) παραφραστικως exprimeret ac planius et distinctius exponeret, quae illi brevius tradidissent, licet caeteroqui in seligendis rebus gestis et orationibus Christi, quas in commentarios suos quasi transplantare vellet, brevitatis studio duceretur, multasque ac nobiles utriusque Evangelii partes plane, ut vidimus, silentio praeteriret; (Paraphrasin agnosces v. c. Marc. 6, 17—29. 30. 31. 9, 14—29. 38—50. 11, 11—26.)

---

centur. Tandem cap. 12, 38 — 40. praeeunte Luca paucissimis tantum Marcus attingit sermonem Domini, quo Pharisaei et Scribae reprehendebantur; quem locum Matthaeus copiosissime tractaverat.

14) adderet ad Matthaei et Lucae narrationes haud paucas περιστασεις singulares, quas suis lectoribus gratas esse futuras forte iudicasset, velut Marc. 2, 14. ὁ του ἀλφαιου 5, 42. ἠν γαρ ἐτων δωδεκα. 6, 3. ὁ τεκτων. 6, 13. ἠλειφον ἐλαιῳ ἀῤῥωστους. 10, 46. υἱος τιμαιου βαρτιμαιος. 13, 3. πετρος και ἰακωβος και ἰωαννης και ἀνδρεας. 14, 51. 52. και εἱς τις νεανισκος ἠκολουθει αὐτῳ κ. τ. λ. 15, 21. πατερα ἀλεξανδρου και ῥουφου. 15, 40. et 16, 1. και σαλωμη, et eiusdem fere generis innumera alia; tandem

15) adiungeret narratiunculas quasdam, a Matthaeo aeque ac Luca praetermissas, sed pauculas et perbreves, (deinceps enumerandas) quas quo consilio adiecerit Marcus, lector attentus facile, dummodo curiose eas inter se conferre velit, coniicere poterit.

Sectio. II.

Ad confirmandam vindicandamve hanc sententiam nostram nolumus dicta ab aliis, qui nobiscum Matthaeum a Marco adhibitum esse statuunt, repetere, nec argumenta multa coacervabimus, sed *tribus* observationibus id quod volumus evicturos nos esse confidimus.

I. Marcus totum libellum suum, si viginti et quatuor circiter commata, quae de sua penu addidit, excipias, de quibus posthaec dicetur, e Matthaei et Lucae commentariis

α) sic compilavit, ut nullo negotio monstrari queat, quid ex hoc, quid ex illo desumserit;

β) ordinem a Matthaeo observatum ita retinuit, ut, sicubi ab eo recederet, Lucae vestigiis insisteret et hunc ordinemque narrationis eius κατα ποδα sequeretur, adeo ut

γ) commata et vocabula, ubi a Matthaeo transit ad Lucam aut a Luca redit ad Matthaeum, non indicari tantum possint, sed

δ) ratio etiam probabilis reddi plerumque possit, cur Matthaeum, licet hoc tanquam praecipuo duce uti statuisset, interdum deseruerit et Lucae sese adiunxerit, aut cur posthabito Luca ad Matthaeum suum iterum sese receperit, imo

ε) intelligi etiam possit, quamobrem hoc praecise Matthaei loco, nec alio, filum quod antea, transiliens ad Lucam, abrupisset, rursum annectat. Paucis: veluti oculis cernere potes Marcum et Matthaei et Lucae volumina ad manus habentem, utraque perpetuo consulentem, ex utrisque quae suis lectoribus maxime profutura esse autumaret decerpentem, mox Matthaeum mox Lucam paullulum e manibus seponentem, semper vero ad eum ipsum utriuslibet locum, ubi divertere ab eo coepisset, redeuntem. Quod ut clarius appareat, rem in tabula, quam notulis nonnullis illustrabimus, *adspiciendam* exhibebimus.

MAT.	MAR.	LUC.
[Cap. 1 et 2.] *)	———	
3, 1 — 4, 22. **)	1, 1 — 20.	
	1, 21 — 39.	4, 31 — 44. ***)
	———	[5, 1 — 11.] †)
	1, 40 — 3, 6.	5, 12 — 6, 11
12, 15. 16. ††)	3, 7 — 12.	
[17 — 21]	———	

---

*) Omittuntur haec capita integra, quia Marcus res a Christo, tanquam doctore publico, gestas enarrare tantum voluit.

**) Marcus, ad Matth. 4, 21. progressus, seponit Matthaeum et transit ad Lucam, quoniam orationem Christi in monte habitam, quae apud Matthaeum hic sequitur, praeterire decreverat. Nimis enim verbosa videbatur ei, exiguum libellum scripturo, et multa praeterea complectitur, quae proxime ad eos tantum homines pertinebant, qui Christum coram in monte loquentem audirent.

***) Quae leguntur Marc. 1, 14. parallela sunt loco Luc. 4, 14. Iis vero quae sequuntur Luc. 4, 15 — 30. nempe sermone in synagoga Nazaretana habito, accommodatione loci Esaiae, et exemplis ex historia Eliae et Elisaei petitis, his igitur omnibus Marcus suos lectores facile carere posse censebat. Praeterea Marc. 6, 1 — 6. de Nazaretanis narrantur nonnulla e Matthaeo, quae cum Luc. 4, 15 sqq. comparari possunt. Hinc patet, quomodo Marcus, a Matthaeo ad Lucam transiliens, ad Lucae 4, 31. devenerit.

†) Omittitur, quia apud Marcum cap. 1, 16 — 20. jam praecesserat narratio e Matthaeo ducta, huic, quae apud Lucam h. l. legitur, haud absimilis.

††) Vide notam x. (pag. 372. not. **))

Mat.	Mar.	Luc.
	3, 13 — 19.	6, 12 — 16 *)
12, 22. 23.	3, 20. 21.	
12, 24 — 32 **)	3, 22 — 30.	

*) Marcus hic abrumpit filum, propter orationem montanam h. l. apud Lucam sequentem, et transit ad Matthaeum.

**) Causa cur Marcus, a Luca rediens ad Matthaeum, ab eo commate capitis 12, quod tabula indicat, novam quasi telam exorsus sit, in aprico posita est. *Scilicet Luca duce* (Luc. 6, 11.) Marcus pervenerat usque ad capitis sui 3 comma 6, ita tamen, ut quoad narrationis ordinem Lucam quidem secutus esset, at Matthaeum tamen simul, ubi *hic* eadem cum Luca traderet, semper contulisset. Iam locus Marci modo laudatus cap. 3, 6. 7. parallelus est Matthaei 12, 14. 15. Quae sequuntur Marc. 3, 7 — 12. uberius et fere παραφραστικως exprimunt commata Matthaei cap. 12, 15 — 21. sed ita, ut Marcus 1) consulto omitteret locum prophetae comm. 17 — 21. laudatum, 2) simul conferret Luc. 6, 17 — 19. et 3) de suo adderet comm. 9. circumstantias quasdam. Nimirum, cum comma suum 6. (parallelum Matth. 12, 14. et Luc. 6, 11.) scripsisset Marcus, statim in perlegendo Lucae commentario, quem inde a Luc. 5, 21. ad cap. 6, 11. ducem secutus fuerat, perrexisse videtur usque ad Luc. 6, 20. ubi oratio incipit montana, quam cum omittere decrevisset seposito Luca ad illum se convertit Matthaei locum, qui suo commati 6 parallelus est, scil. Matth. 12, 15. Hanc, ut diximus, paraphrastice expressit, insertis nonnullis, quae e Lucae loco, quem modo perlustraverat, (Luc. 6, 17 — 19) menti ipsius adhuc obversabantur. Iam cum scripsisset comma suum 12, quod exacte respondet Matthaei commati 16, progrediendum fuisset (praetermisso prophetico loco) ad Matthaei comm. 22. 23.

Mat.	Mar.	Luc.
[12, 33 — 37] *)	———	
[12, 38 — 45] **)	———	
12, 46 — 50.	3, 31 — 35.	
13, 1 — 23.	4, 1 — 20.	
	4, 21 — 25. ***)	8, 16 — 18.

Sed hic Marcus animadvertit, catalogum Apostolorum, quem modo apud Lucam legerat, nondum in suo extare libello. Matthaeus quidem alio iam loco (Matth. 10, 2—4.) eum anticipaverat; sed illum locum (imo omnia a Matth. 4, 23. ad cap. 12, 14.) Marcus transsilierat. Ne igitur sui lectores tali catalogo plane carerent, praeeunte Luca (Luc. 6, 12 — 16.) antequam hunc seponeret, Apostolorum delectum et nomina heic (Marc. 13 — 19.) enarravit. His insertis, redit ad eum Matthaei locum, in quo, ut vidimus, substiterat, scilicet Matth. 12, 22. Hic, admonitus a Matthaeo (Matth. 12, 23. ἐξισταντο παντες, και ἐλεγον μητι οὗτος ἐστιν κ. τ. λ.) singulares quasdam περιστασεις a Matthaeo vel neglectas vel saltim perobscure indigitatas, quas ipse penitius cognitas haberet, inserendas esse putavit Marc. 3, 20. 21. Quo peracto, facem iam praeferente Matthaeo, (cap. 12, 24 seqq.) strenue pergit Marcus cap. 3, 22. usque ad cap. 4, 20.

*) Omittitur, quia sententias his similes Marcus legerat in oratione montana, Matth. 7, 16 — 20. quam a suo libro abesse volebat.

**) Omittitur haec oratio Christi, utpote ad Palaestinenses, quibus Christum coram loquentem audire contigit, potissimum spectans. Praeterea similis his, quae h. l. apud Matthaeum leguntur (comm. 38. 39.) recurrunt mox apud eundem cap. 16, 1 — 4. unde Marcus ea in suum librum (cap. 8. 11. 12.) transtulit.

***) Antecedentia et consequentia e Matthaeo decerpta sunt; haec vero quinque commata Lucas suppeditavit.

Mat.	Mar.	Luc.
[13, 24—30] *)	4, 26—29.	
13, 31. 32.	4, 30—32.	
13, 34. 35. **)	4, 33. 34.	
	———	[8, 19—21.] ***)

Nempe praecedentia, Marc. 4, 1—20. quae desumta erant e Matth. 13, 1—23. respondens Lucae 8, 1—15. Lucam igitur cum Matthaeo contulerat Marcus. Iam vero apud Lucam commate proxime sequente, *nimirum cap. 8, 16.* inveniebat parabolam elegantem eandemque brevissimam, quam excipiebant comm. 17. 18. gnomae nonnullae itidem perbreves sed memorabiles. Tria haec commata, ad quae Matthaeus eum quasi deduxerat, a suo libello abesse noluit Marcus.

*) Parabola, quae habetur Matth. 13, 24—30. et mentionem iniicit *agricolarum dormientium*, in memoriam revocabat Marco aliam de *agricola dormiente* parabolam brevitate sua non minus quam elegantia commendabilem, et cum argumento parabolarum et gnomarum proximo antecedentium et sequentium magis adhuc, quam illa apud Matthaeum parabola, consentientem. Hanc igitur in locum substituit alterius, quae praeterea explicationem uberiorem (Matth. 13, 36—43) quam Marcus, brevitati studens, in libellum suum transfundere nolebat, adiunctam haberet.

**) Sat multas parabolas e Matthaeo iam descripserat Marcus. Cum vero Matthaeus porro parabolis adderet parabolas, Marcus velut fatigatus hunc ducem aliquantisper valere iussit, et ad Lucam se recepit.

***) In decerpendo Luca Marcus pervenerat usque ad Luc. 8, 18. Narratiunculam comm. 19—21. hic omisit, quia supra iam (Marc. 3, 31—35) eo loco et ordine, quo apud Matthaeum eam invenerat, in suos commentarios retulerat.

Mat.	Mar.	Luc.
	4, 35—41.	8, 22—25.
	5, 1—43. *)	8, 26—56.
13, 53—58. **)	6, 1—6.	
	6, 7—13.	9, 1—6.
14, 1—2.	6, 14—16.	9, 7—9.
14, 3,—12.	6, 17—29.	
	6, 30. 31.	9, 10.
14, 13—21.	6, 32—44.	9, 11—17.
14, 22.—16, 12.	6, 45—8, 21.	
————	8, 22—26. ***)	
16, 13—18, 9.	8, 27—9, 50. †)	9, 18—51.

Itaque devenit ad comma proxime sequens Luc. 8, 22. Hic igitur pergit.

*) Quae Marci capite 5. continentur, leguntur quidem etiam apud Matthaeum, sed partim alio loco et ordine, partim paucioribus verbis. Manifestum erit unicuique tres Evangelistas comparanti, Marcum haec omnia non Matthaeo accepta referre; sed Lucae.

**) Marcum nimia parabolarum Matthaei cap. 13. copia quasi obrutum, Lucae se adiunxisse comitem, nota c. (p. praec. not. **)) vidimus. Verumtamen cum Matthaeum potissimum sibi elegisset, ad cuius ductum memorabilia Christi scripto consignaret, iam ad Matthaeum suum redit, et quidem ad eum ipsum locum, quo parabolae istae finiuntur, nempe ad Matth. 13, 53. 54. Interim Lucam non tamen plane negligit, sed diligenter eum cum Matthaeo confert. Hinc pericopae sequentes mox ex hoc mox ex illo sunt decerptae.

***) Haec solus habet Marcus. De his vero, quae apud Marcum tantum occurrunt, posthaec disseretur.

†) In hac pericopa, Matthaei potissimum vestigia premit, collato tamen Luca.

Mat.	Mar.	Luc.
[18, 10—35.]*)	———	
	———	[9, 51—18, 14]**)
19, 1—12.	10, 1—12.	
19, 13—23, 1.	10, 13—12, 38.***)	18, 15—20, 45.
[23, 1—39.] †)	———	
	12, 38—44.	20, 45—21. 4. ††)
24, 1—36.	13, 1—32.	21, 5. sqq.
[24, 37—25, 46.]	13, 33—36. †††)	
26, 1—28, 8.	14, 1—16, 8.	
	16, 9. ††††)	

---

*) Omittitur prolixior haec Christi oratio apud Marcum.

**) Omittuntur haec Lucae capita. Continentur enim iis, qua partem maximam, orationes Christi verbosiores, quibus paucae tantum de rebus a Christo gestis narratiunculae adspersae sunt

***) Marcus hic Matthaeum adhibet ducem, et praeterit ea, quae Lucae sunt peculiaria, velut Luc. 19, 1—28. Sed Lucas etiam praesto ipsi fuit. Vide e. gr. Marc. 10, 15-29.

†) Omittitur satis verbosa Christi oratio.

††) Marci 12, 37. 38. parallelum erat Lucae 20, 44. 45. Hinc Marcus iam pergit Luc. 20, 45.

†††) Prolixiores sermones, quos Matthaeus exhibet, praetermittit Marcus, et in eorum locum substituit perbrevem oratiunculam, eiusdem fere cum sermonibus apud Matthaeum extantibus argumenti.

††††) Quae inde ab hoc commate leguntur apud Marcum, dubia sunt. Si vero genuina esse censes, facile videbis e tabula nostra, ea esse partim ex Matthaeo partim e Luca desumta et in epitomen quasi redacta, (quod posterius ta-

Mat.	Mar.	Luc.
[28, 9—15.] *)	————	
[28, 16. 17.] **)	————	
	16, 10—13.	24, 10—35.
	16. 14.	24, 36—43.
28, 18—20.	16, 15—18.	
	16, 19.	24, 50. 51.
	16, 20.	

Cum igitur, posita nostra sententia absque multarum hypothesium nimis artificiose excogitatarum adminiculo, planissime tum ostendi queat cur Marcus haec illa in suos commentarios retulerit, alia au-

---

men a more Marci abhorrere videtur,) adspersis etiam nonnullis, quae in neutro illorum occurrunt.

*) Quae de custodibus tradit Matthaeus, omittit Marcus, uti etiam Matth. 27, 62—66. narrationem de sepulcro custodibus munito silentio praeteriverat. Recte enim iudicabat lectores ab Hierosolymis remotos, ad quorum aures non pervenerant rumores a Matthaeo cap. 28, 15. memorati, non magis has narratiunculas esse desideraturos, quam illam, de Iudae proditoris morte et de agri Haceldama dicti emtione. Matth. 27, 3—10.

**) Si genuina essent postrema Marci commata, nec authentica clausula Evangelii, quae versum 8. excipiebat, intercidisse videretur, mirari omnino fas esset, quid sit quod Marcus, qui commate 6. et cap. 14, 28. mentionem fecerat promissi, discipulos in Galilaea visuros esse Dominum, prorsus sileat de itinere in Galilaeam, quanquam apud Matthaeum relatum legerit, vidisse omnino discipulos, uti promissum fuerat, Christum in Galilaea.

tem omiserit, tum etiam perspicue ratio reddi possit, cur quidque, ne unico quidem commate excepto, eo loco, *) quo apud ipsum id legimus, positum sit: iam sic, quod volebamus, effecisse nos putamus. Sed idem alia adhuc ratione confirmari et evinci potest. Progredimur itaque ad alteram observationem nostram.

II. In tanta rerum memorabilium a I. C. gestarum multitudine sermonumque a Domino quotidie sive ad populum sive ad discipulos *ac familiares suos* habitorum incredibili varietate, casu utique fortuito non accidit, ut Marcus quod litteris consignaret haberet plane nihil, praeter id, quod Matthaeus aut Lucas similiter memoriae mandassent, vel cuius commemorandi saltim occasionem alteruter praebuisset. Lucas et Ioannes haud pauca tradiderunt, quae Matthaeus prorsus intacta reliquerat, et Evangelistae ipsi pluribus locis innuunt, multa in libris suis praetermissa esse gesta Christi illustria et mirifica, multosque praeteritos Domini sermones, quos Evangeliorum brevitas non caperet. Quid igitur causae est,

**) Notatu inprimis dignum est, Marcum ne tum quidem ab ordine, quem praeivit Matthaeus, recedere, ubi hic plane arbitrarius est. E. gr. cap. 14, 12. commemorat Matthaeus, suspicatum esse Herodem, Iesum, multis miraculis clarum, esse Ioannem baptistam a mortuis resuscitatum; et hac arrepta occasione caedem Ioannis velut in transcursu enarrat. Eandem rem eodem modo et loco et ordine, qui sane quam maxime fortuitus est et arbitrarius, Marcus quoque refert cap. 6, 14.

cur ex tam immmensa παραλειπομενων copia Marcus non proferat saltim nonnulla, sed eadem plane narret, quae ex amplissima scribendi materia Matthaeus etiam et Lucas decerpsere? Marcus, inquam, qui a matre sua Hierosolymis habitante, in cuius aedibus Apostoli caeterique Christiani suos conventus celebrare solebant, Act. 12, 12. permulta audire poterat, non omnibus nota; Marcus praeterea, qui aliquamdiu et Pauli et Petri minister ac comes fuerat, et ab his eorumque familiaribus procul dubio multa cum facta tum dicta Domini acceperat relatu sane non indigna; Marcus denique, qui Matthaei et Lucae narrationes tot singularibus περιστασεσι locupletavit, (vid. supra pag. 5. nr. 13 et 14.) ut nemo non videat, perbene cognitam eum habuisse Christi historiam, et longe plura, si voluisset, de Domino narrare potuisse; quid quaeso est, quod hic talis Marcus, praeter istas περιστασεις, iis quae Matthaeus et Lucas commentariis mandarunt nihil addiderit novi? Si quidem nobiscum statuas, propositum fuisse Marco, e Matthaei et Lucae Evangeliis seligere ea, quae iis quibus scribebat hominibus utilissima essent, eaque ita narrare, uti talibus lectoribus narrari deberent: plana sunt omnia et extricata. Sin contra proprio quod aiunt Marte et nullius adminiculis Marcum scripsisse sumas, prodigio simile est, in deligendo ex immensa materia libelli argumento non nisi eadem tractanda eum sibi sumsisse, quae Matthaeus etiam aut Lucas tractassent. Sin denique contendas, alios aut plures quam hos duumviros modo laudatos eum habuisse duces,

scire velimus, qui factum sit, ut hi nihil aliud, si versus excipias circiter 24, ipsi suggererent, quam quod aeque e Matthaeo et Luca mutuari potuisset. *Nihil*, inquam, *praeter commata viginti quatuor*. Nam nec merae amplificationes paraphrasticae eorum, quae apud Matthaeum et Lucam leguntur, neque nonnullarum περιστασεων additamenta paucis vocabulis comprehensa, qualia supra p.5. (p. 368. sq.) nr. 10. 13. et 14. indicavimus, in censum hic venire possunt. Quare operam utique perderet, qui ad *impugnandam thesin* nostram provocare vellet ad Marc. 1, 2. 33. 2, 2. 3. 4. 27. *) 3, 20. 21. **) 10, 10. 11. 12. 12, 32. 33. 34. aut ad locos his similes. *Tres* tantum sunt *narratiunculae* de miraculis a Christo perpetratis, cap. 3. 7-12. cap. 7, 32-37. et cap. 8, 22—26. atque *duae parabolae*, cap. 4. 26—29. ac cap. 13, 33—36. quae forte Marco ita propriae videri possint, ut speciose opponi nobis queant.

Quod ad parabolas istas attinet, supra ***) iam ostendimus, utramque substitutam esse in locum alterius parabolae verbosioris sed similis argumenti, quae in eodem sermonis contextu apud Matthaeum legitur, et causam adeo vidimus, cur Marcus suas parabolas illis quas Matthaeus habet, praeferendas esse censue-

*) Forte additamento hoc monere voluit lectores, quo sensu accipi debeat sententia proxime sequens. Praeterea comma hoc abest a codicibus nonnullis.

**) V. supra p. 372. not. **)

***) vid not. *) pag. 374 et not. †††) p. 376.

rit. Tantum igitur abest, ut ex his parabolis cogi possit, Marcum nullo, aut alio saltim quam Matthaeo, hic usum esse duce, ut potius manifestum sit, interserendarum harum parabolarum occasionem Marcum cepisse a Matthaeo. Eadem fere ratio est narrationis Marc. 3, 7—12. Nimirum Marcus scribit comm. 7. και ὁ ἰησους μετα των μαθητων αὐτου ἀνεχωρησεν εἰς την θαλασσαν, και πολυ πληθος ἀπο της γαλιλαιας ἠκολουθησαν — comm. 10. πολλους γαρ ἐθεραπευσεν — comm. 12. και πολλα ἐπετιμα αὐτοις, ἱνα μη αὐτον φανερον ποιησωσιν. Matthaeus vero haec habet cap. 12, 15. 16. ὁ δε ἰησους γνους ἀνεχωρησεν ἐκειθεν και ἠκολουθησαν αὐτῳ ὀχλοι, και ἐθεραπευσεν αὐτους παντας, και ἐπετιμησεν αὐτοις, ἱνα μη φανερον αὐτον ποιησωσιν. Quis hic non videt, Marcum παραφραζειν textum Matthaei, et adiectis circumstantiis nonnullis amplificare tantum huius narrationem. Nam Marci, dum haec scriberet, oculis hunc ipsum Matthaei locum obversatum esse, e tabula quam supra exhibuimus et e nota x)*) apparet. Non igitur contra nostram sententiam, sed pro ea pugnat hic locus. Idem valet de narratione altera Marci 7, 32—37. Nam huius quoque hoc loco interserendae Matthaeus occasionem dedit. Matthaeus scilicet (cap. 15, 30. 31.) multos aegrotos a Christo sanatos fuisse tradit; Marcus vero unius ex ista turba sanationem, additis περιστασεσι nonnullis, quae notatu prae aliis dignae ipsi videbantur, curatius describit.

(*) Vid. not. **) pag. 372.)

MAT.

Και προσηλθον αὐτῳ ὀχλοι πολλοι
ἐχοντες μεθ᾽ ἑαυτων — κωφους —
και ἐῤῥιψαν αὐτους παρα τους ποδας
του ἰησου,
και ἐθεραπευσεν αὐτους,
ὡςτε τους ὀχλους θαυμασαι, βλεποντας κωφους λαλουντας —
και ἐδοξαζον τον θεον ἰσραηλ.

MAR.

Και φερουσιν αὐτῳ
κωφον μογιλαλον,
και παρακαλουσιν αὐτον,
ἱνα ἐπιθῃ αὐτῳ την
χειρα —
και εὐθεως διηνοιχθησαν
αὐτου αἱ ἀκοαι —
και ὑπερπερισσως ἐξεπλησσοντο,
λεγοντες· καλως παντα
πεποιηκε.

Itaque *sola* superest historiola tertia Marc. 8, 22—26. Hanc fatemur adiectam esse a Marco, nec quidquam in Matthaeo vel Luca invenimus, quod huic additamento h. l. adponendo ansam praebere potuerit. Utut est, si hancce historiolam cum duabus aliis, de quibus modo disserebamus, curiosius comparamus, mirum inter eas consensum deprehendimus, atque sic prona coniectura non solum causam

assequimur, cur haec coeci cuiusdam hominis sanatio tanti momenti visa sit Marco, ut in ea narranda a regula discederet, quam sibi praescripsit et constantissime, unico hoc loco excepto, servavit, verum simul etiam rationem reddere possumus, cur duos istos alios Matthaei locos mox indicatos (Matth. 12, 15. 16. et 15, 30. 31.) copiosiore rerum circumstantium enarratione illustrandos iudicaverit. Nempe tribus istis historiolis commune hoc est, quod Iesus latere voluerit, et iis quos sanasset, ne rem divulgarent, interdixerit. Nimirum Marc. 3, 12. legimus: πολλα ἐπετιμα αὐτοις (daemoniacis) ἱνα μη αὐτον φανερον ποιησωσιν. Marc. 7, 33. et 36. vero: ἀπολαβομενος αὐτον (τον κωφον μογιλαλον) ἀπο του ὀχλου κατ' ἰδιαν — και διεστειλατο αὐτοις, ἱνα μηδενι εἰπωσιν. Tandem Marc. 8, 23. et 26. ἐξηγαγεν αὐτον (τον τυφλον) ἐξω της κωμης — λεγων μηδε εἰς την κωμην εἰσελθῃς, μηδε εἰπῃς τινι ἐν τῃ κωμῃ. Tribus his Marci locis addimus duos alios, eiusdem fere generis additamento notabiles. Cap. 7, 24. narrat e Matthaeo, Iesum venisse in confinia Tyri et Sidonis, atque *addit:* οὐδενα ἠθελε γνωναι, και οὐκ ἠδυνηθη λαθειν. Cap. 9, 30. iterum Matthaeum secutus, Christum iter per Galilaeam fecisse tradit, et itidem *addit:* και οὐκ ἠθελε, ἱνα τις γνω. Itaque manifestum est, Marcum alias quidem *ubique κατα ποδα* vel Matthaeum vel Lucam sequi, neque de suo (si curatiorem περιστασεων quarundam enumerationem excipias) quidquam admiscere, *nisi* forte inveniret apud Matthaeum vel Lucam historiolam, quae doceret, Iesum non

captasse populares acclamationes, sed plebi non raro ultro sese subtraxisse, imo cavisse interdum sedulo, ne praeclare facta sua innotescerent multitudini; non igitur vanae gloriae studio ductum eum fuisse, nec miracula eo patrasse consilio, ut stupenti et otiosae plebi inusitatum praeberet spectaculum. Hasce tales historiae Domini particulas copiosius pertractare solet, ac sicubi Matthaeum et Lucam eiusmodi quid praetermisisse animadvertit, supplere id satagit. Cur vero hoc narrationum genus prae reliquis omnibus magni momenti esse et iis lectoribus, *quibus libellum* suum destinaverat, apprime utile futurum iudicaverit, non liquet. Non improbabiliter fortasse conii-cere aliquis posset, doctores istarum regionum, charismate ἰαμάτων 1 Cor. 12, 9. instructos, simili fere modo interdum eo abusos esse, quo Corinthios nonnullos γλώσσαις temere usos fuisse scimus. Hos forte Marcus, proposito Domini exemplo, corrigere voluit.

III. Marcus, postquam alterutrius, sive Matthaei sive Lucae, vestigiis per longum velut tractum inhaesit, saepe repentino saltu ab altero ad alterum transsilit, mox vero ad priorem ducem redit; id quod fieri non potuisset, nisi utriusque commentarios simul inspexisset et inter se comparasset. Sic Marc. 3, 1—5. e Luca desumtum est; comma 6. autem, ad eandem narrationem pertinens, e Matthaeo. Praeterea Marcus cap. 5, 25. 26. 27. Luca utitur duce; comm. 28. Matthaeo; et comm. 29. seq. iterum Luca. Porro Marc. 8, 37. decerptum est e Matthaeo,

et abest a Luca; comma 38. Lucae debetur, et desideratur apud Matthaeum; cap. 9, 1. 2. (μεθ' ἡμέρας ἓξ) rursus e Matthaeo derivatum est. Tandem Marcus cap. 10, 22. 26. 27. imitatur Matthaeum; comm. 28. 29. cum Luca concordat et omittit quae Matthaeo propria sunt; sed comm. 20. transscribit e Matthaeo sententiam, quam hic solus habet. Denique cap. 13, 24. 25. Matthaei vestigia premit; commate 26. praetermittit quae Matthaeo peculiaria sunt et Lucam sequitur; comm. 27 — 32. autem in singulis paene verbis cum Matthaeo rursus concinit. Tacemus plura.

Sectio III.

Declarata iam et, ut speramus, satis confirmata sententia nostra, progredimur ad examinandas, quae ad eam convellendam in medium a viris doctis prolatae sunt aut proferri forte possent, obiectiones. Neque tamen est, cur refutandis iis argumentis operam demus, quibus viri docti, Marcum non fuisse Matthaei epitomatorem, efficere studuerunt. Etsi enim Marcum multa quae Matthaeus habet praetermisisse ultro largimur, eundemque in conscribendo libello suo brevitati studuisse ipsi defendimus, tantum tamen abest ut, Augustino praeeunte, Matthaei breviatorem eum fuisse arbitremur, ut potius multa e Lucae Evangelio desumta, Matthaei narrationi interserta ac pleraque, quae ex Matthaeo in suum commentariolum transtulit, uberiore rerum circum-

stantium enarratione atque adeo interdum periphrasibus amplificata ab eo esse statuamus. Nec tela timemus, quae ad expugnandam nostram hypothesin ab ordine Marci, multum a Matthaei aeque ac Lucae ordine recedente, depromuntur, quibus nuperrime etiam Cel. Eichhornius *) usus est. Nam ordinis, quem in narrando Marcus tenuit, rationem abunde Sectione II. reddidimus. Verum aliae praeter has propositae fuerunt obiectiones, ad quas hoc loco respondendum est.

1. „Si Marcus fere omnia debet *Matthaeo* et *Lucae*, falsum est, scripsisse eum, ὡς Πετρος ὑφηγησατο αὐτῳ, et materiae, quam Petrus suppeditasse queat, paene nihil relinquitur. Atqui historica argumenta, quibus utuntur, qui Marcum *Petro duce* usum esse contendunt, labefactata nondum sunt, nec alia de causa reiicitur vetusta illa narratio, quam quod hypothesi repugnat, e sola libri Marci cum Matthaeo et Luca comparatione, sed nulla necessitate et evidentia, ductae." **) *Respondemus*: a) utrum hypothesis nostra, trium Evangeliorum comparationi superstructa, evidentia destituatur et nulla necessitate sit ducta, iis iudicandum libenter permittimus, qui nulla praeconcepta opinione in videndo vero impediuntur. Nam viri docti, qui ante nos de Marci Evangelio alias hypotheses, nostra admissa ultro cor-

---

*) *Allg. Biblioth. der bibl. Literatur*, vol. 5. Sect. 5. pag. 770.

**) Storrii V. V. diss. laudata. pag. 66. 67.

ruentes, publice proposuerant, utut sagacissimi verique amantissimi, tamen vix incorrupti satis iudices videntur. b) Ingenue fatemur, vetustam illam narrationem, de Marco sub Petri auspiciis Evangelium suum exarante, iis a nobis annumerari commentis, qualia permulta apud scriptores antiquos occurrunt, a viris doctis plerisque hodie repudiata. **) Nam c) primus, qui Petro duce Marcum scripsisse tradit, Papias fuit, homo exiguae, ut omnes norunt, in rebus historicis auctoritatis. Eum secutus est, ut solet, Irenaeus; huius narrationem repetierunt alii. d) E Papiae verbis (apud Euseb. III. 39.) apparet, duabus rebus deductum fuisse aut ipsum aut Ioannem presbyterum (quem narrationis suae testem laudat) in

**) Haud multo aliter hac de re indicat Storrius V. V. in libro egregio *über den Zweck der evangel. Geschichte und der Briefe Iohannis* pag. 249 sqq. et 265, ubi luculenter ostendit, pleraque omnia, quae de Marco a Petri ore pendente apud veteres scriptores leguntur, valde dubia esse et suspecta. Attamen idem Vir doctissimus p. 266. coll. p. 366. e Iustini Martyris loco quodam colligi posse censet, non omni fundamento destitutam esse istam traditionem. Hinc in dissertatione supra allegata, pag. 61. „Marcum inquit, scripsisse, ὡς Πετρος ὑφηγησατο αὐτῳ, historica argumentatione efficitur in libro *über den Zweck* §. 56.“ (hoc est eo ipso, quem modo excitavimus, libri loco) et paulo post pag. 66. „opinionis nostrae, inquit, tanto minus nos poenitet, quod a Griesbachio historica quibus nitimur argumenta non labefieri sed intacta relinqui videmus.“ Ne igitur historicorum argumentorum examen plane declinasse videamur, paucula saltim de eorum pretio monebimus.

istam de Petro coniecturam. Primo quaerebatur, undenam res gestae et orationes Christi innotuerint Marco, qui Dominum, dum in his terris viveret, sectatus haud fuisset. Respondet Papias, fuisse eum Petri discipulum et ἑρμηνευτην; Petrum autem passim in suis sermonibus, quos audiverit Marcus, res ad historiam Iesu pertinentes commemorasse. Deinde dubitabatur, cur apud Marcum res gestae et sermones Domini alio ordine legerentur, quam in aliis libris. Papias, Marcum excusaturus, *monet, Petrum in sermonibus suis res Domini non ordine accurato, sed ut ferret occasio, enarrasse, Marcum autem scripto eas consignasse, prout a Petro eas audivisset earumque nunc, dum scriberet, meminisset.* Satis manifestum est, cuinam consilio commentum Papiae inservire debuerit. Sed hanc ipsam ob caussam merito suspectum nobis est. e) Valde improbabilis in se spectata Papiae est coniectura. Quis enim sibi persuadeat, Petrum in sermonibus suis historiolas de Christo sic uti apud Marcum (v. c. cap. 4, 35. 36. cap. 5, 1. 18. 21. cap. 10, 46—52. cap. 11, 4. 11—22.) eas legimus, hoc est cum minutissimis περιστασεσι, enarrasse? Aut quis credat, Petrum de resurrectione Domini nunquam alia et plura auditoribus suis tradidisse, quam quae habentur apud Marcum? Hoc vero, si Papiae fides est habenda, credere debemus. Ipso enim teste unice hoc propositum fuit Marco, *ne quidquam eorum, quae* (a Petro) *audivisset, omitteret,* nec narrationibus suis falsi aliquid admisceret. f) Papia auctore, Marcus quidem materiem, e qua libel-

lum suum construxit, e Petri sermonibus collegerat, Petrus vero scribenti neutiquam adfuit aut opem tulit. Mendacii igitur Papias eos arguit, qui dictante Petro Marcum scripsisse retulerunt. g) Hac in re consentientem sibi habet *Irenaeum*, qui (Libr. III. 1.) haec tantum habet: „Post Petri et Pauli ἔξοδον Marcus discipulus et interpres Petri et ipse *quae Petrus praedicaverat* per scripta nobis tradidit.“ Sed idem Irenaeus (ibid.) plane simillima de Luca quoque perhibet: „Lucas, sectator Paulli, *quod ab illo praedicacatur Evangelium* in libro condidit.“ Posterius hoc falsum esse et absonum, *) fatentur paene omnes. Cur igitur prius illud ab Irenaeo persuaderi nobis patiamur? h) *Tertullianus* (adv. Marc. IV. 5.) similiter *utriusque* fabulae meminit. „Marcus, inquit, quod edidit Evangelium, Petri *affirmatur*, cuius interpres Marcus. *Nam et* Lucae digestum Paullo *adscribere solent.* Capit magistrorum videri, quae discipuli promulgarint.“ Quis non videt, haec non claris testimoniis aut certis documentis, sed vagis rumoribus niti et parum firmis argumentationibus? Quia, quae discipuli promulgant, magistris attribui possunt; *hinc* Marci Evangelium Petro et Lucae libellum Paullo *adscribere solebant*, ne scilicet Marci et Lucae commentariis apostolica auctoritas deesse videretur. i) *Iustinus Martyr* (dial. c. Tryph. §. 106.) e *Petri*

---

*) Saltim si ita intelligatur: e sermonibus Paulli innotuisse Lucae ea, quae de rebus gestis et orationibus Iesu in Evangelio suo narravit.

quidem ἀπομνημονευμασι refert, Iesum Zebedaei filiis imposuisse cognomen βοανεργες, ὁ ἐστιν υἱοι βροντης: quod cum apud solum Marcum (cap. 3. 17.) legatur, huius libellum Iustinus Petro adscribere videtur. Sed primo, Iustini auctoritas in rebus historicis tantum non est nulla. Deinde, nondum liquet, quod et quaenam e nostris Evangeliis adhibuerit. Marcó saltim alias nunquam usus est, nec alibi usquam ἀπομνημονευματων Πετρου meminit, sed constanter vel ἀπομνημονευματα simpliciter, vel ἀπομνημονευματα των ἀποστολων laudavit; quare mirum esset, si unico hoc loco ἀπομνημονευματα Petri, tanquam diversa ab ἀπομνημονευμασι των ἀποστολων commemorasset. Praeterea, locus obscurior est, quam ut certi aliquid effici ex eo queat. Posset ἀπομνημονευματα αὐτου esse ἀπομ. χριστου. Posset etiam loco αὐτου legi αὐτων, scilicet των ἀποστολων, ut alias Iustinus scribere solet. Tandem, si vel maxime concedatur, Marci Evangelium isto loco indigitari et ἀπομνημονευματων Πετρου nomine venire, dubium tamen manet, quam ob causam dicatur Petri esse. Potuit quidem vagus et incertus ille rumor de Marco Petri interprete ut ad aliorum ita ad Iustini quoque aures pervenisse; sed potuit etiam sub Petri nomine laudari libellus, quem hic Apostolus ecclesiis nonnullis commendasse credebatur; quin potuerunt, quae alias Apostolorum ἀπομνημονευματα vocantur, Petri ἀπομνημονευματα appellari, quia hoc ipso loco *primus* inter Apostolos Petrus dictus fuerat. Utcunque haec se habent, Iustinus is non est, qui de Marci Evan-

gelio certiora et veriora edocere nos queat. k) Aliorum narrationes novis additamentis exornatas repetiit *Clemens* Alexandrinus. Retulit enim, (apud Euseb. II. 15. et VI. 14) Marcum, utpote qui inde a longo tempore Petrum sectatus esset et magistri dicta memoria teneret, *rogatum fuisse a Romanis*, ut doctrinam, quam ipsis apostolus coram exposuisset, scripto comprehenderet. *) Nec destitisse Romanos, donec enixis suis precibus *tandem expugnassent Marcum*, ut Evangelium suum scriberet. Petrum autem ea de re, revelante id ipsi Spiritu, certiorem factum, *delectatum esse* propenso Romanorum studio, suaque auctoritate librum *comprobasse, ut in ecclesiis legeretur.* **) Sed ipse sibi non satis constat *Clemens.* Nam apud *Eusebium* II. 15. Petrum delectatum fuisse *τη προθυμια* Romanorum et Marci Evangelium comprobasse tradit; contra vero apud Euseb. VI. 14. apostolum perhibet nec a proposito cohibuisse discipulum, *nec ad id exsequendum incitasse.* l) Scriptores, quos hactenus recensuimus, sumunt Marcum libelli

---

*) Scilicet Evangelium Marci complectitur *την δια λογου παραδοθεισαν τοις ρωμαιοις διδασκαλιαν Πετρου!*

**) Eandem fabulam, omissa tamen revelationis mentione, e Clemente seu potius ex Eusebio mutuatus est Hieronymus (catal. viror. illust. 8.) „Marcus, ait, discipulus, et interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus, breve scripsit Evangelium; quod cum Petrus *audisset*, probavit et ecclesiis legendum sua auctoritate edidit.“

sui argumentum decerpsisse e sermonibus, quos Petrus *coram populo* habuisset. *Origenes* vero (apud Euseb. VI. 25.) e traditione didicisse se profitetur, Evangelium ordine secundum a Marco (quem apostolus 1 Petr. 5. 12 filium suum appellet) scriptum fuisse ὡς Πετρος ὑφηγησατο ΑΥΤΩι. m) Tandem cunctis huiusmodi narratiunculis colophonem imposuerunt, qui, velut Auctor synopseos Scripturae sacrae, de Evangelio nostro tradiderunt, ὁτι ὑπηγορευθη ὑπο Πετρου ἐν Ῥωμῃ ἐξεδοθη ὑπο Μαρκου, ἐκηρυχθη ὑπ' αὐτου ἐν Ἀλεξανδρειᾳ! n) Ex his omnibus inter se collatis patet, famam quidem crevisse eundo, sed antiquissimas etiam et simpliciores relationes *Papiae*, *Irenaei* et *Tertulliani* pro meris habendas esse coniecturis. Quid eis excogitandis ansam dederit, passim iam (lit. d. et h.) indigitavimus. Praeterea *interpretis Petri* titulus, quo Marcus a *Papia*, *Irenaeo*, *Tertulliano*, *Hieronymo* et aliis condecoratur, fingendis variis commentis occasionem praebuit. Primitus quidem, ni fallimur, nomine isto indicabatur tantum, Marcum fuisse Petri comitem, ministrum, ὑπηρετην, (Act. 13. 5.) internuntium, quem ad exsequenda mandata sua, ubi opus esset, adhiberet. *) Alii vero postea sic intelligebant: Petrum, graeci sermonis non satis peritum, si cum Graecis loqui aut ad eos scribere vellet, usum esse Marco *interprete*. Atque hinc alii porro exsculp-

*) Consentientem nobiscum habemus b. *Michaelis* in Introduct. in N. T. Edit. 4. tom. 2. pag. 1052.

serunt, Marcum *etiam in conscribendo Evangelio suo* Petri fuisse interpretem. Sic *Hieronymus* epist. ad Hedibiam cap. II. „Paulus, inquit, divinorum sensuum maiestatem digno non poterat graeci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum, cuius *Evangelium Petro narrante et illo scribente compositum est.* Denique et duae epistolae quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant: ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diversis eum usum interpretibus." o) Expendendis internis argumentis ex ipso Marci libro petitis, quibus viri docti vetustam de Petro traditionem confirmari posse autumarunt, Lectoribus molesti esse nolumus. Nempe si occurrunt apud Marcum nonnulla ad Petrum pertinentia, quae non leguntur apud Matthaeum vel Lucam, e Petri dictamine haec profluxisse contendunt. Sin contra in Marci libello quaedam huius generis desiderantur, quae apud alios reperiuntur, Petri modestiae tribuendum id esse putant. Nostro vero iudicio haec omnia precario sumuntur et ad probandum id, de quo quaeritur, nihil valent.

II. „Causa apparet nulla, cur Marcus novum conficeret rerum Christi commentarium, si praeter tenue corollarium viginti et quatuor commatum, Matthaei duntaxat Lucaeque libros compilasset." *) *Respondemus:* a) Causa procul dubio posita fuit in Christianorum nonnullorum, qui Marco familiarius quam

---

*) *Storrii* dissert. laudata. pag. 64.

Matthaeo aut Luca usi fuerant, sive utilitate sive desiderio. Horum commodis inservire voluit, ut alii aliis aliarum regionum Christianis prodesse studuerant. b) Neuter priorum Evangelistarum omnia complexus erat, quae Marcus suis lectoribus utilia esse censebat. Hinc ex utroque, quae amicis convenientissima putaret, selegit. c) Utriusque Evangelistae commentarius continebat haud panca, quae, utpote alii hominum generi scripta, Marcus suis familiaribus minus necessaria esse iudicabat. *Haec omittendo* effecit Marcus simul, ut *amici haberent rerum gestarum* Domini delineationem multo breviorem atque adeo minori opere aut sumtu parabilem, quam fuissent Matthaei et Lucae Evangelia in unum volumen coniuncta.

III. „Conveniebat temporum rationi, novorumque Christianorum in cognoscenda suae religionis origine ardori atque studio, commentarios habere de vita Iesu quam uberrimos et copiosissimos; conveniebat, quae a variis hominibus narrata fuerant, scriptisque passim circumferebantur, rerum ab eo gestarum fragmenta undique colligi, collecta in unum corpus coagmentari, hocque novis, si quae occurrebant veraeque esse deprehendebantur, narrationibus augeri et locupletari; non vero, quae iam collecta erant, et ab Apostolo adeo collecta, denuo truncari epitomenque libri pro libro ipso Christianis, nec singulis quidem his, sed universae cuidam ecclesiae, in ma-

nus tradi atque commendari.*) *Respondemus*: a) Huiusmodi ratiocinationes parum valebunt apud eos, qui secum reputaverint, quam anceps sit de eo, quod certis temporibus, locis et hominibus conveniat, iudicium. Quid? quod nescimus, utrum singulis Christianis an universae cuidam ecclesiae Marcus suum libellum destinaverit, multoque magis ignoramus, cuinam ecclesiae in manus eum tradiderit. Quae enim veteres ea de re perhibuere, merae sunt coniecturae et incertae traditiones. Quis igitur definire ausit, quid ignotae nobis conditioni ecclesiae cuiusdam ignotae conveniens fuerit, quid minus? Marcus recte diiudicare hoc potuit; nos non item. b) Perperam sumitur, haud licuisse Marco quidquam omittere eorum, quae de Iesu historia ipsi nota essent, sed debuisse eum novis potius augmentis aliorum narrationes locupletare. Certe de nativitate Iesu ne unicum quidem verbulum protulit, quamvis quasdam saltim eius rei περιστασεις non potuerit non scire, qui tum Hierosolymis in matris suae domo, tum alibi in comitatu Petri Paulique cum tot familiaribus Domini conversatus fuerat. Ac eius generis plura silentio praeteriit, quae eum (si vel maxime Matthaeum ac Lucam nunquam legisset) latere non poterant.

IV. „Probabile est, brevius Evangelium tempore fuisse prius, copiosiora autem, in quibus supplebantur et amplificabantur omissa aut nimis succincte tra-

---

*) *Koppii* Progr. Marcus non epitomator Matthaei, pag. 9.

dita in illo, seriori tempore esse exarata." *Respondemus:* Ab auctoris consilio unice pendet, utrum iis, quae alii ante ipsum scripsere, addere aliquid, an demere ab illis nonnulla satius sit.

V. „Si Marcus, quae cel. Storrii est sententia, primus scripsit et a Matthaeo Lucaque lectus et adhibitus fuit, ratio facillime reddi potest eorum, quae tria Evangelia curiosius inter se comparanti non possunt non mira videri, et quae excogitandis tot de Marci Evangelio hypothesibus *occasionem praebuerunt.* Nempe Matthaeus et Lucas *α)* non raro iisdem, quibus Marcus, verbis usi sunt; quia huius libellum ante oculos positum habebant; *β)* orationem hic ibi variarunt multaque suo quisque modo, hoc est aliter quam Marcus, narrarunt; quia non locupletiorem Marci editionem, sed novos de rebus Christi commentarios concinnare sibi proposuerant; *γ)* creberrime quidem easdem ipsas res, quas literis consignaverat Marcus, memoriae prodiderunt, attamen, quod in immensa illa παραλειπομενων copia exspectare licebat, nova etiam complurima, alius alia, de suo, ne actum agerent, addiderunt." *) *Respondemus:* Hypothesi huic, quae Matthaeum et Lucam usos esse Marci Evangelio sumit, plura officere videntur, e quibus ea tantum hic attingemus, quae prae caeteris ad vindicandam *nostram* sententiam pertinent, et ex hactenus disputatis nullo negotio intelligi possunt, nec

*) Ven. *Storrius über den Zweck der evangel. Gesch.* passim et in dissert. laudata pag. 63. et 66.

verbosa declaratione indigent. Nimirum a) credibile non est, Matthaeum, testem oculatum, ducem sibi elegisse in tradenda Christi historia scriptorem, qui rebus gestis haud interfuerat. b) Marcus perspicua et definita rerum expositione Matthaeum antecellit, imo nonnunquam, ut exemplis postea docebitur, accuratior est et propius ad rerum gestarum veritatem accedit. Cur igitur Matthaeus his in locis recessit ab eo, si alias vestigia eius premere solet? c) Marcus, cum multas rerum περιστασεις, tum etiam integras narratiunculas quasdam habet, vel a Matthaeo vel a Luca vel ab utroque neglectas. Has quoque cur fastidiverunt duumviri illi, si reliqua in suos usus convertere haud dedignati sunt? Autumat quidem Cel. *Storrius*, *) „Matthaeum et Lucam passim, *ut novis additamentis locum facerent*, Marci orationem circumcidere et contrahere potuisse, maxime cum narrationes omissarum similes de suo addidissent.“ Verum enim vero nec in Matthaei neque in Lucae commentario tale brevitatis studium se prodit, quod deterrere hosce auctores potuisset a retinendis istis Marci particulis, quas si una cum caeteris servassent, parum molis addidissent suis libris. Atque praeterea mirari licet, quid sit quod uterque quinquies, ut supra notavimus, omiserit vel saltim breviaverit narratiunculas, e quibus discimus, noluisse Iesum stupenda facta sua divulgari. Cur haec tam studiose toties resecarentur, ratio probabilis adfuit nulla, mul-

*) *Ueber den Zweck etc.* pag. 274. et in Dissert. laud. pag. 69.

toque est verisimilius, certas ob causas adiecta ea esse a Marco ad narrationes Matthaei et Lucae, quam ab his temere fuisse iugulata. d) Matthaeus, fatente ipso Ven. *Storrio*, chronologico ordine posthabito saepe res, quarum memoriam prodere posteris vellet, ita disposuit, uti affinitate quadam inter se coniunctae essent. Si primus Christi historiam scripsit, facile arridere ei talis methodus potuit. Sin vero ducem habuit Marcum, ab artificiosiore hac ratione alienum, vix erat cur in effingendo *novo ordine elaboraret*, nisi ad temporis leges curatius omnia redigere vellet; id quod certe propositum ei haud fuit. e) Quae de ordine, quo apud Marcum narrationes sese excipiunt, et de crebris ac subitaneis Marci transitionibus a Matthaeo ad Lucam et vicissim a Luca ad Matthaeum supra observata a nobis sunt, abunde docent, Marcum scripsisse post Matthaeum et Lucam, horumque commentarios inspectos ab ipso fuisse. Cur Marcus e. gr. Matth. 5, 1. Matthaeum, Luc. 6, 20. Lucam, Matth. 13, 36. iterum Matthaeum de manibus posuerit; item, cur a Matth. 4, 22. ad Luc. 4, 31. ac a Luca 6, 11. ad Matth. 12, 15. atque a Matth. 13, 35. ad Luc. 8, 22 transsilierit, nostra admissa hypothesi planissime patet. Sed si statuas, Marcum consultum fuisse a Matthaeo et Luca, obscurum manet, cur v. c. Matthaeus ea, quae habentur Marc. 1, 21 — 3, 6. partim omiserit, partim in alium ordinem redegerit. Sed nolumus addere plura, quae quilibet ex iis, quae supra Sectione II. disputavimus, petere potest. Neque enim evertendis aliorum hypothesibus,

sed nostrae stabiliendae et ab obiectionibus vindicandae operam hic damus.

VI. „Non in Matthaeo solum, sed in Marco etiam et Luca multa occurrunt indicia, e quibus colligi potest, tres illos libellos profluxisse ex *uno* fonte, eodemque non graeco sed *ebraico*. Reperiuntur enim in Evangeliis nostris nonnullae narrationum discrepantiae, ortae ex erroribus, quibus ansam dedit vocabulorum ebraicorum ambiguitas, aut vocum in Ebraeorum sermone consimilium et facile confundendarum permutatio. Praeterea universus habitus narrationis Evangelistae cuiusque in pericopis, quae duobus aut tribus communes sunt, plane sic comparatus est, uti versio quaeque habere se solet ad alias eiusdem archetypi versiones. Hinc collaturus tres Evangelistas inter se, quavis fere pagina deprehendet v. c. voces, phrases et orationis structuras, diversas quidem, sed idem significantes et uni eidemque ebraicae loquendi formulae respondentes. Huius vero rei probabilis ratio reddi nequit, praeter hanc: tres Evangelistas usos esse eodem archetypo ebraico, quem suo quisque modo in graecum sermonem converterit, et cui nonnulla ex propria penu passim adsperserit. Hoc posito, omnes evanescunt difficultates. Contra vero, si alterius Evangelistae commentarium ab altero adhibitum et particulatim exscriptum esse sumas, concedere debebis, *vel* studiose celare voluisse posteriores Evangelistas fontem unde sua depromserint, eamque ob causam synonymas phrases substituisse in locum earum, quibus anterior scriptor usus fuerat; id

quod vehementer abhorret ab horum auctorum simplicitate et integritate, *vel* phrasibus variandis puerilem ipsos operam impendisse; quod viri gravis persona vix dignum videtur." *) *Respondemus*: a) nullum nobis adhuc innotuit documentum indubium, e quo probari queat, interpretes in convertendo archetypo ebraico lapsos errore esse; sed loci omnes, ad quos provocatur, absque hac hypothesi explicari et ab opinata difficultate liberari possunt. Demonstraturi hoc essemus singulos percurrendo locos, si huius commentationis limites id permitterent. Monuisse sufficiat, multos viros doctos similiter visos sibi esse in epistola ad Ebraeos deprehendisse varios graeci interpretis errores. Sed satis iam constat, vanas fuisse istas suspiciones, epistolamque graece esse ab auctore scriptam. b) Errorum, quos aiunt, exempla pleraque, saltim notabiliora, e Matthaeo conquisita sunt. Quae enim e Marco et Luca proferuntur, et pauciora sunt et leviora. Atqui salva hypothesi nostra largiri possemus, Matthaeum scripsisse ebraice. Quid enim obstat, quominus Marcus ebraicos Matthaei et graecos Lucae commentarios inspicere inque suos usus convertere potuerit? Ac, si forte rationem simul reddere velis crebri concentus inter Matthaeum nostrum et Marcum in graeca adeo phrasi,

---

*) Conf. praesertim cel. *Eichhornium*. l. c. praecipue pag. 772. 781. seq. et praeter hunc, quod ad errores in transferendo ebraico archetypo commissos *Michaelem*, Rev. *Boltenium*, aliosque.

sumere tibi licebit, cum ebraicum archetypum Matthaei tum graecam eiusdem versionem praesto fuisse Marco, eumque mox hanc, mox illum, mox utrumque, praeter Lucae libellum, consuluisse. Mallemus sane, nisi alius superesset ex his tricis nos expediendi modus, huic coniecturae calculum adiicere nostrum, quam nimis artificiose compositae et tum chronologicis rationibus, tum iis, quae Sectione II. scripsimus, repugnanti hypothesi adsentiri, statuenti plures archetypi recensiones, easque varie iam inter se permixtas, et graecas earum versiones plures. c) E phrasium synonymarum et grammaticae structurae permutationibus, in tribus Evangeliis obviis, nihil contra nostram sententiam efficitur. Evangelistas nec fontem unde hauserunt dissimulare voluisse, nec variandis phrasibus puerorum more insudasse, ultro largimur, quin si alterutrum necessario esset concedendum, lubenter hypothesin nostram abiiceremus. Sed ad neutrum illorum admittendum cogimur, quia, ut cum dialecticis loquamur, *datur tertium.* Quis nescit, posse scriptorem, quae apud alium legit, *suo* modo *suisque* verbis repetere? Et quis tam severus est et inhumanus, ut talem auctorem, nisi aliae subsint suspicionis causae, vel dissimulationis parum ingenuae accuset, vel pueriliter in phrasibus lusisse contendat? Quemadmodum igitur historici, ex aliorum commentariis velut e fontibus narrationum suarum argumenta derivantes, non hanc sibi legem scribunt, ut superstitiose iisdem vocibus et formulis sese adstringant, quas ab illis adhibitas cernunt: ita Mar-

cus quoque Matthaei et Lucae libros utique consulere potuit, neque tamen horum narrationes *ad verbum* exscribere debuit. Nempe perlecta pericopa quadam apud Matthaeum vel Lucam vel utrumque, ad scribendum sese adcinxit et quae apud illos legerat ita enarravit, prout ea memoria teneret. Sicubi ipsorum Matthaei aut Lucae verborum meminit, haec retinuit, nec de varianda oratione sollicitus fuit; ubi vero illa exciderant, alia in eorum locum substituit. Nonnunquam fortasse Matthaei Lucaeve *commentarios* denuo, dum scriberet, inspexit; neque tamen semper hoc necesse esse putavit, quia non illorum libros exscribere aut in epitomen redigere, sed ad eorum ductum *novam* narrationem, suorum lectorum usibus accommodatam, componere decreverat. Hoc posito, intelligitur, unde non solum in verbis et phrasibus, sed etiam in narrationum quarundam conformatione universa (e. gr. Marc. 7, 6 — 13. coll. Matth. 15, 3 — 9. coll. Matth. 19, 3 — 8.) diversitas quaedam orta sit. Interdum quidem de consulto Marcus immutasse nonnulla videtur; sed plerumque casui debentur eiusmodi discrepantiae.

VII. „Omisit Marcus non pauca, quae vel Matthaeus habet vel Lucas, egregia notatuque dignissima. Qui vero neglexisset res a Christo gestas tanti momenti et sermones Domini longe utilissimos iucundissimosque, a Matthaeo aut Luca literis mandatos, si horum Evangelia suis oculis, dum scriberet, usurpasset et pleraque, ac in his etiam nonnulla minoris momenti, ex iis transscripsisset? Qui passim

silentio praeterire potuisset rerum a se narratarum περιστασεις quasdam, a Matthaeo et Luca commemoratas et iis, quae ipse in literas retulerat, haud parum lucis afferentes, has, inquam, quomodo aspernari potuisset, si duumvirorum illorum libelli praesto ipsi fuissent. Huiusmodi omissiones, narrationem reddentes impeditam et imperfectam, excusare haud poteris, nisi vel nullum Evangelistam alterius scripta ad manus habuisse contendas, vel Marci Evangelium caeteris prius exaratum fuisse statuas. Saltim, Cel. *Storrio* iudice, causa cur Matthaeus et Lucas tam multa narraverint, quae apud Marcum non leguntur, multo facilius perspicitur, si Marcus prior scripserit, quam si Matthaeus et Lucas scribenti ad manus fuerint. Posteriores enim auctores, ne actum agerent, res a superiore scriptore narratas augere et amplificare debuerunt." *) *Respondemus*: Ex iis, quae huius commentationis Sectione I. nr. 4. 5. 6. 8. 9. et passim in notis ad eam, inde a nota *) p. 366., monuimus, satis patere confidimus, pleraque a Marco praetermissa consulto intacta esse relicta. Praeterea a Marci commentariis non abesse non poterant, quae vel in iis Matthaei locis leguntur, quos ille, Luca duce tum usus, transsilierat, vel in iis Lucae capitibus occurrunt, quae Noster, dum Matthaei vestigia premeret, vix obiter consuluerat. Vide verbi causa loc. cit. no-

*) Vide *Michaelem*, *Koppium*, Ven. *Storrium*, nec non Cel. *Eichhornium* ll. cc.

tam **) p. 372. Tandem usu venire potest facile, ut verae causae, cur Marcus nonnulla praeteriverit, nos lateant, cum de libri auctore perparum, de lectoribus in quorum gratiam scripsit horumque conditione paene nihil sciamus, ac de consilio scribentis coniectando vix paucula assequi valeamus. *) Quae omnia si reputare secum velint arbitri haud iniqui, fatebuntur sine dubio, inconcussam manere hypothesin nostram, si vel plura Marcus intacta praeterivisset. *Interim* omissionibus nonnullis tantum *ponderis inesse opinati* sunt viri perdocti, ut horum iudicio non tantum, quantum omnino par est, tribuere videri possemus, si eas silentio praetermitteremus, nec causam, cur ad convellendam sententiam nostram eas non satis idoneas esse censeamus, exponeremus. Atque ex his, quas attingemus, de reliquis iudicari poterit. Itaque

1) Colloquium Iesu cum Ioanne de baptismo in se etiam suscipiendo Matth. 3, 14. 15. omisit Marcus quanquam in antecedentibus et sequentibus cum Matthaeo concinat. *Resp.* Duo continentur his comma-

*) Si nullo modo Marcus excusari potest, quid tum postea? Num eam ob rem negabimus, Matthaeum fuisse ab eo lectum? Minime vero; nam adhibitum hunc et Lucam ab eo esse, validis argumentis probatur. Quid igitur? *Ingenue* fatebimur, virum optimum, sed in scribendis libris plane inexercitatum, minus dextre in negotio innsitato esse versatum, atque neglexisse et omisisse nonnulla, quae eum caeteris a Matthaeo aut Luca petitis retinenda fuissent. Equidem vero profiteor, nullum me observasse locum, qui excusationem omnino nullam admitteret.

tibus: primo, Ioannem agnovisse, inferiorem esse se suumque baptismum Domini persona ac baptismo; deinde, ideo Iesum voluisse sacro fonte lavari a Ioanne, quia πρεπον ἐστι πληρωσαι πασαν δικαιοσυνην. Prius praetermitti poterat, quia proxime praecesserat apud Marcum (cap. 1, 7. 8.) aliud Baptistae testimonium de Iesu dignitate suam longe superante. Posterius silentio forte praetereundum esse, fervente iam de legis mosaicae valore perpetuo controversia, Marcus censuit, ne Iudaizantes abuterentur isto Domini effato ad inculcandam Christianis rituum iudaicorum observationem, velut praecipuam δικαιοσυνης, quam πληρωσαι debeant, partem. Praeterea Lucas etiam intacta haec reliquit. In pericopis autem Matthaeo et Lucae communibus, eas particulas textus Matthaei transsilire fere solet Marcus, quas a Luca abesse cerneret.

2) In tentationis historia Matth. 4. 1—11. Luc. 4. 1—13. Marcus brevissime tantum rei summam attigit cap. 1. 12. 13., modos autem, quibus Dominus tentatus restitit vicitque, reticuit. Cum vero a Marci ingenio abhorreat narrationis uberioris breviatio et περιστασεων ipsi notarum omissio, credibile est, pleniorem descriptionem, quae apud Matthaeum et Lucam extat, cognitam ei non fuisse. *Resp.* Duo erant, quibus Marcus deterreri poterat, ne copiosiorem narrationem suo libello insereret. a) Forma narrationis, iudaicum cogitandi cogitataque explicandi modum redolens, ingenio lectorum, quibus Marcus Evangelium suum destinabat, minus adaptata videbatur.

b) In colloquio Servatoris cum tentatore *quater* Veteris Testamenti oracula laudantur. Marcus autem huiusmodi allegationes resecare solet. Vid. Sect. I. nr. 9. Iam, si quatuor illa carmina omittenda censebat, narrationem (nisi totam praeterire vellet) vel penitus immutare, vel rei tantum summam, missis circumstantiis omnibus, attingere debebat. Posterius placuit Nostro.

3) Cel. *Storrio* iudice, *) a veri specie omnino abhorrent, quae supra *Sect. II. not.* **) p. 371. not. *) et **) p. 372 et sq. de omissa a Marco oratione montana diximus. Incredibile Viro doctissimo videtur, Marcum insignem hunc sermonem ita refugisse, ut non solum Matthaei librum, simulac ad hunc locum (Matth. 5) pervenisset, seponeret, sed Lucam quoque, ad quem novum ducem transiisset, ut primum (Luc. 6, 20—49.) in similia dicta (licet breviora et ab ipso Luca non Palaestinensibus, verum exteris, tradita) incidisset, pariter desereret et ad Matthaeum se reciperet, imo vel pauculos versiculos Matth. 12, 33—37. hac una de caussà, quod sententias his similes in oratione montana legisset, a suo libro reiiceret. *Resp.* a) Oratio, quae apud Lucam legitur, brevior quidem est ea, quam Matthaeus exhibuit; at in se spectata satis est verbosa et per *triginta* versiculos protenditur. Sermones tam longos fere semper Marcus transsilit. Nec doceri potest, *debuisse* eum hancce orationem, si ea ipsi nota

*) Dissert. laud. pag. 65.

erat, omnino retinere. b) Quod ad Matth. 12, 33—37 attinet, iis quae supra not. *) p. 373. monuimus addere hic licebit, praecessisse apud Matthaeum (comm. 25 · 32.) aliam orationem, quae in Marci quoque Evangelio legitur, et rursus sequi aliam, vs. 39—45. Cum igitur Marcus plures a Matthaeo sermones Domini coacervatos esse videret, ipse, ne in nimiam molem excresceret libellus suus, eam tantum orationis partem, quae apud Matthaeum comm. 25—32. extat, retinuit, saltuque facto a commate 32. statim ad comma 46 transivit, praetermissis non solum commatibus 33—37. (quae contra nos urgentur) sed etiam comm. 38—45.

4) Quae Matth. 8, 5—13. et Luc. 7, 1—10. legitur historia de centurionis Capernaitici puero a Christo sanato, memorabilis in primis visa nonnullis tum propter singularia plane fiduciae a centurione in Christo positae exemplum, tum quia ex hac narratione patebat, Iesum aegrotis adeo absentibus integram valetudinem reddere potuisse, abest a Marco. *Resp.* a) Marcus cap. 7, 29. 30. aliam exhibet historiam, quae Dominum absentes etiam sanasse docet; illa igitur altera carere ipsius lectores facile poterant. b) Tabula, quam Sectione II. cum Lectoribus communicavimus, ostendit, Marcum a Matthaei cap. 4, 21. transiliisse ad cap. 12, 15. et a Lucae cap. 6, 16. ad cap. 8, 16. Quare, cum historia illa apud Matthaeum legatur capite 8 et apud Lucam capite 7, neglecta fuit a Marco una cum aliis in utroque Evangelista eam et praecedentibus et consequentibus.

5) Matth. 11, 2 — 19. et Luc. 7, 18 — 35. Responsio a Domino data Ioannis baptistae legatis, quaerentibus ex ipso, num sit ὁ ἐρχόμενος, praetermissa est a Marco eandem ob causam, quam modo afferebamus Nimirum Matthaeus alio loco et ordine haec narrat, quam Lucas. Marcus vero eo loco, quo Matthaeus haec habet, secutus est Lucam; et contra illo loco, quo apud Lucam occurrunt, non hoc sed Matthaeo usus duce est, uti e tabula mox laudata apparet; hinc utroque loco omisit.

6) Matthaeus cap. 14, 28 — 31. Petrum super undis lacus Gennesaret procella agitatis ambulasse perhibet. Marcus autem, *Petri* discipulus et interpres, in antecedentibus et sequentibus plane quidem consentit cum Matthaeo; haec vero commata, rem ad *Petrum* spectantem tam singularem et inauditam narrantia, silentio praeterit. *Resp.* Causam, cur Marcus hanc narrationis partem a suo Evangelio abesse voluerit, quae multiplex et varia esse potuit, ignorari fatemur. Verum cum tam multa alia, quae apud Matthaeum leguntur, praetermissa sint a Marco, hancce nominatim omissionem ii tantum mirabuntur aut contra nos urgebunt, qui Evangelistam, Petro nisi dictante saltim moderante, libellum suum exarasse autumant; quam opinionem, vetustam quidem, sed iis omnibus quae in antecedentibus evicisse nobis videmur repugnantem, commentis annumerare nulli dubitamus.

7) Matth. 19, 27. Apostolis promittitur, sessuros eos esse in duodecim tribunalibus iudicaturosque

duodecim tribus Israelis, et cap. 20, 1—16. parabola de operariis, in vineam diverso tempore ablegatis, illustratur gnoma: πολλοι ἐσονται πρωτοι ἐσχατοι, και ἐσχατοι πρωτοι. Tam promissioni quam gnomae cum parabola occasionem dederat quaestio a Petro prolata: Ἡμεις παντα ἀφηκαμεν και ἠκολουθησαμεν σοι. τι ἀρα ἐσται ἡμιν; Quaestio haec (omissis tantum verbis τι ἀρα ἐσται ἡμιν; quae sensu manente eodem, abesse poterant) una cum gnoma illa et ea responsionis parte, quae apud Matthaeum legitur com. 29. extat apud Marcum; sed desideratur cum promissio, quae com. 28 continetur, tum parabola. *Resp.* Utraque desideratur etiam apud Lucam, cap. 18, 28—30. Huius igitur vestigiis hoc loco insistit Marcus, et a Matthaeo gnomam tantum illam brevissimam et paradoxam mutuatus est. Parabola vero, illustrationis causa adiecta, nimis verbosa procul dubio visa est auctori, brevitatis studio longiores orationes plerumque omittenti. Eandemque ob causam praeteriit etiam quae Matth. 22, 1—14. 23, 2—39 et cap. 25. leguntur. Atque haec omnia etiam a Luca absunt.

8) Marcus cap. 14. 28 et cap. 16, 7. mentionem bis iniicit promissi, discipulos Christum e sepulcro suscitatum visuros esse in Galilaea. Matthaeus cap. 28, 16. 17. hoc revera evenisse narrat. Marcus autem de itinere in Galilaeam instituto et de viso ibi a discipulis Christo, ne verbulo quidem admonet lectores, sed incertos eos relinquit, utrum promissum illud, cuius ipse bis meminerat, impletum fuerit nec ne.

Quod quomodo fieri potuerit, si ista Matthaei commata oculis ipsius obversata essent, nemo facile dixerit. *Resp.* a) Si ultimà Marci commata, a nono inde usque ad vicesimum, genuina essent, aut Marcus commate iam octavo finem libello suo imposuisset, illius omissionis ratio probabilis reddi vix posset. Sed deesse ista commata in codice pereximio vaticano et abfuisse olim a multis libris manuscriptis, scimus. Attamen omni veri specie caret, Marcum commate octavo verbis ἐφοβουντο γαρ librum finivisse. *Itaque* coniicere licet, genuinam *Evangelii clausulam*, in qua procul dubio itineris in Galilaeam mentio facta erat, casu periisse, et seculo primo finiente aut secundo ineunte ab ignoto homine utcunque suppletam esse; quo posito, non erit profecto, cur istam omissionem miremur. Atque huic coniecturae, si quid iudicamus, non omnino nihil novi ponderis hac ipsa observatione, de itinere illo a Marco praetermisso, accedit.

b) Utut haec se habent, (neque enim huius loci est examen accuratius authentiae ultimorum Marci commatum,) omissa itineris galilaei mentio hypothesin nostram labefactare non potest. Quamcunque enim de fontibus a Marco adhibitis sententiam amplectaris, difficultas e silentio de isto itinere orta prorsus eadem manet. Ponamus, clausulam Evangelii esse genuinam, et demus paullisper, Matthaei commentarios minime inspectos fuisse a Marco, tamen non mirari non possumus, quid sit, quod hic reticuerit, utrum et quomodo Dominus steterit promissis,

quae data esse discipulis Marcus in antecedentibus bis commemoraverat. Certe Matthaeo monitore opus non habeat Marcus, e cuius memoria elapsa esse nondum poterant, quae paucis στιχοις interiectis scripserat.

9) Tandem plures etiam narrationes de rebus gestis Domini et orationes eius haud paucas, easque notatu admodum dignas, apud *Lucam* occurrentes, in Marci commentariolo desiderari monuerunt viri docti, et consequi inde existimarunt, Marcum in conficiendo suo libello neutiquam Lucae Evangelio usum esse. Verum quae in priore commentationis huius Sectione disputavimus et in notis ad tabulam, quam ibi exhibuimus, de locis singulis diximus, ad obiectionem hanc confutandam sufficere videntur. Conferri nominatim potest de omissa pericopa Luc. 7, 35-8, 9 nota *) et **); p. 372 et de loco Lucae 19, 1-27. p. 376. nota ***).

Paucula tamen hic addimus ad ipsum initium Evangelii Marci spectantia. Nempe Lucas historiam publici muneris a Iesu suscepti orditur cap. 3, 1. a diligenti notatione temporis, quo Dominus docere coeperit; Marcus autem omissis istis omnibus narrationem suam absque ullo chronologico iudicio inchoat. Verum praeterire haec potuit velut *suis* lectoribus minus utilia. Homines enim a Palaestina remoti (Sect. I. nr. 7.) nomina tetrarcharum, qui ante viginti vel triginta annos Galilaeae, Ituraeae, Trachonitidi et Abilenae praefuerant, pontificumque iu-

daicorum successiones vix noverant; imo dubitare licet, utrum seriem et chronologiam procuratorum Iudaeae accurate cognitam habuerint. Itaque restabat tantum nota temporis ab annis Tiberii desumta. Hanc vero Marcus *una cum caeteris* praetermisit, quia eo quo nostrum Evangelium prodiit tempore inter Christianos esset nemo, qui imperante Tiberio Iesum claruisse nesciret; quoto autem Imperatoris huius anno doctoris provinciam in se susceperit, id vix magni momenti esse videbatur. *Nobis quidem* pergrata est diligentia a Luca adhibita; sed primi Evangeliorum lectores talem ἀκρίβειαν haud postulabant, nec necessaria ea erat ad obtinendum finem, quem Marcus sibi videtur proposuisse.

VIII. „Marci Evangelium in locis haud paucis cum narrationibus Matthaei aut Lucae aperte pugnare videtur. Hinc apparet neutrum a Marco fuisse consultum. Istas enim ἐναντιοφανείας evitare potuisset, ac studiose evitasset procul dubio, si priorum Evangelistarum commentarios evolvere ei licuisset.“ *Respondemus:* a) Marco in mentem non venit, fore, ut interpretes suum librum cum Matthaei et Lucae Evangeliis anxie comparent, locos qui inter se pugnare videantur sedulo notent, in componendis his Evangelistarum dissidiis desudent, et unum e tribus quatuorve libris conflare satagant. Id enim si vel levi coniectura prospexisset, facillimo negotio ad caeterorum Evangelistarum narrationes suam conformare, vel dissensus sui causas unico addito verbo indigitare potuisset. Sed minuta hac diligentia su-

persedere se posse existimavit. Minutam dicimus, quia dissensus nunquam in rei summa sed in singulorum eventuum singulis circumstantiis cernitur. Huius generis ἐναντιοφανειας auctor, ad scholae legem neutiquam edoctus et libellum ad vulgarem popularemque sensum accommodatum conscribens, nullius momenti esse censuit. b) Interdum Marcus discrepat a Matthaeo, quia illo loco non hunc, sed Lucam secutus est ducem. c) Nonnunquam consulto discedit paullulum a prioribus Evangelistis, et eventus, quos penitius cognitos habebat, accuratius quam ab illis factum erat enarrare studet. Sed age, ἐναντιοφανειων istarum veram indolem exemplis nonnullis, verum propter spatii angustiam paucis, ob oculos Lectoribus ponamus.

1) Marcus cap. 2, 14. portitorem a Iesu a τελωνιῳ avocatum Levin appellat, Matthaeus autem cap. 9, 9. Matthaeum h. e. se ipsum tunc vocatum esse tradit. *Resp.* Cum Marco consentit etiam Lucas, cap. 5, 27. Et Marco plura de isto Levi nota erant, quam vel ipsi Lucae. Narrat enim, Alphaei filium eum fuisse. Atque hinc porro augurari forte licet, Marci lectoribus sive Levin sive Alphaeum propius cognitum fuisse, eamque ob causam satius duxisse Marcum, praeeunte Luca, Levis commemorare vocationem, quam Matthaei, hominibus istis fortasse ignoti. Caeterum utrumque, et Matthaeum et Levin, eodem tempore in numerum discipulorum Christi fuisse cooptatum, probabile est.

2) Cap. 2, 27. omittit Marcus sententias nonnullas, quae apud Matthaeum cap. 12. 5. 6. 7. habentur, et in eorum locum substituit aliam: *το σαββατον δια τον ἀνθρωπον ἐγενετο, οὐχ ὁ ἀνθρωπος δια το σαββατον*, quo ipso additamento sensus sequentis sententiae, *κυριος ἐστιν ὁ υἱος του ἀνθρωπου και του σαββατου* contra Matthaeum prorsus immutatur. *Resp.* a) Quae apud Matthaeum leguntur praetermissa sunt, quia hoc loco Marcus seposito Matthaeo ad Lucam sese converterat, ut patet e tabula, quam Sectione I. exhibuimus, et e consensu in formula: *και ἐλεγεν αὐτοις*, b) Additamentum textui Lucae a Marco adiectum neutiquam sententiae sequentis sensum immutat, qui hic est: Si sabbatum institutum est propter hominum utilitatem, atque legibus de sabbato nemo ita tenetur, ut per eas a promovenda sua aliorumque felicitate prohibeatur; sequitur, multo minus Messiam istis legibus sic esse adstrictum, ut licitum ei non sit ab earum praescripto recedere, aut eis solvere discipulos suos.

3) Si duodecim discipulorum delectus eo tempore contigit, quo Marcus cap 3, 7—19 eius mentionem iniecit, antecessit orationem in monte habitam; hoc vero repugnat Matthaeo quoad id, quod occasionem praebuit pharisaeorum calumniae, de foedere Christi cum Beelzebul inito. *Resp.* Confer de utroque loco Sect. II. notam **) p. 372. ubi caussas exposuimus, cur Marcus duas illas narrationes hoc ipso loco exhibeat, quo eas apud ipsum legi-

gimus. Ad ista observata nostra si velis attendere, evanescet repugnantiae species.

4) Marc. 4, 35. coll. cap. 1, 85. ita discrepat a Matth. 8, 18. coll. cap. 13, 54 et cap. 14, 22. ut vix uterque historiographus vera narrasse possit, sed alter alterum erroris convincere videatur; quod profecto non accidisset, si Marcus, dum suum libellum exararet, ad manus habuisset Matthaei commentarios. Secundum Matthaeum, in discipulorum numerum allectis Petro, Andrea, Iacobo et Ioanne, cap 4. 18. *post habitam orationem montanam* cap. 5. 6. et 7. Christus statim sanat leprosum, cap. 8, 1. 2. quem ad sacerdotes ablegat, et mox, Capernaum ingressus, centurionis servulum comm. 5. et Petri socrum comm. 14. a morbo liberat, ac, concurrente ingenti populi multitudine, *lacum Gennesaret traiicit*, comm. 18. 23. et postquam cum discipulis violentam tempestatem subiisset, hancque verbo sedasset, in regionem Gergesenorum pervenit. comm. 28. Deinceps alio tempore daemoniacum coeçum et mutum sanat, cap. 12, 22. quo egregio facinore perculsus populus cum rogitare inciperet, numne Messias ipse sit, comm. 23. Pharisaeorum alii Beelzebulis ope daemonia eum abigere criminati sunt, comm 24, alii signum e coelo poposcerunt, comm. 38. Quibus cum adhuc responderet, mater eius et cognati advenere, colloqui cum ipso cupientes. comm. 46. Ea die, (ἐν τῃ ἡμερᾳ ἐκεινῃ) egressus e domo, cap. 13, 1. navem conscendit, et populum in littore stantem edocuit *de regni coelestis indole*, quam co-

pioso sermone multisque *parabolis* coacervatis graphice delineavit, comm. 3. Postea comm. 53. in patriae urbis synagoga comm. 54. verba ad populum fecit, et auditores in admirationem rapuit. Illo tempore (ἐν ἐκεινῳ τῳ καιρῳ) cap. 14, 1. insidias metuens Herodis, com. 1. 2. et 13. qui baptistam etiam occiderat, comm. 3. discessit illinc in navi in *desertum locum*, comm. 13. ubi quinque panibus virorum quinque millia saturavit, comm. 15. et nocte sequente redeuntibus in navi discipulis, *turbine iactatis*, in aqua ambulans subvenit, *comm.* 22. — — —
Iam cum Matthaeo Marci comparemus narrationem. Hoc igitur auctore, Christus, Petro, Andrea, Iacobo et Ioanne vocatis, cap. 1, 16. (coll. Matth. 4, 18-22.) *) Capernaum venit comm. 21. (coll. Luc. 4, 31.) et, sanato in synagoga daemoniaco, comm. 23. (coll. Luc. 4, 33.) eodem die Petri socrum sanitati restituit, comm. 29. (coll. Luc. 4, 38.) ac confluente sub vesperum tota civitate ad fores, comm. 32. (coll. Luc. 4, 40.) proximo mane *in locum desertum* secessit, comm 35. (coll. Luc. 4, 42.) posteaque universam Galilaeam peragravit, comm. 39. (coll. Luc. 4, 44.) **) et leproso sanitatem reddidit, quem sacerdotes adire iussit. comm. 40. (coll. Luc. 5, 12.) Deinde alio tempore ascendit in montem, cap. 3, 13. (coll. Luc. 6, 12.) et duodecim

*) Quam ob rem Marcus, progressus usque ad Matth. 4, 21. iam pergat Luc. 4, 31. ostendimus Sect. II. not. **) p. 371.

**) De omissa pericopa Luc. 5, 1 - 11. vide Sect. II. not. *) p. 371.

elegit apostolos, comm. 14. (coll. Luc. 6, 13.) Hic Lucas comm. 20. montanam orationem inseruit. *) Domum reversus, comm. 20. ab accurrente populi turba ita fatigabatur, ut οἱ παρ' αὐτου exirent κρατησαι αὐτον, quia dicebant, ὁτι ἐξεστη comm. 21. **) Scribae autem hierosolymitani calumniabantur, Beelzebule opem ferente daemonia eum expellere, comm. 22. (coll. Matth. 12, 24. ***)) Hos cum confutaret, mater eius et cognati foris stabant et admitti cupiebant, comm. 31. (coll. Matth. 12, 46.) Porro Iesus, progressus ad lacum Gennesaret, populo in littore stanti *regni coelestis indolem* exposuit, variis usus *parabolis*, cap. 4, 1. coll. Matth. 13, 1.) Qua oratione finita, mox, ὡς ἠν ἐν τῳ πλοιῳ, *lacum Gennesaret traiecit*, comm. 35. 36. (coll. Luc. 8, 22 †)) et postquam cum discipulis vehementi procella agitatus esset hancque verbo compescuisset, in Gadarenorum regionem venit, cap. 5, 1. (coll. Luc. 8, 26.) — — — Hic non solum universus narrationis ordo, quem sequitur Marcus, differt ab eo, quem Matthaeus

*) Propter orationem montanam, quam Marcus suis lectoribus minus necessariam esse iudicabat, a Luca redit ad Matthaeum.

**) Haec Marcus narrat solus. Conf. tamen Sect. II. p. 372. not. **) in fine.

***) Cur Marcus a Luc. 6, 16. transeat ad Matth. 12, 24. diximus Sect. II. p. 372. not. **)

†) Causam, ob quam Marcus filum Matth. 13, 35. abruptum annectat Luc. 8, 22. indicatam vide Sect. II. p. 374. not. **) et ***)

praeivit, sed hic etiam cum illo pugnare videtur. Nam, Matthaeo teste, Iesus post habitam orationem montanam sanatamque Petri socrum, lacum Gennesaret, tempestate agitatum, traiecit, et in Gergesenorum (seu Gadarenorum) regionem venit; deinde autem post traditas parabolas de regno Dei, secessit in locum desertum. Contra vero, si Marcum audias, locum desertum petiit mox post sanatam Petri socrum; lacum vero Gennesaret, ventorum vi turbatum, traiecit et in Gadarenorum *terra appulit*, postquam parabolas de regno *coelesti proposuisset*. — — *Resp.* Difficultates omnes evanescent, si, missis opinionibus praeiudicatis de ordine chronologico ab Evangelistis anxie servato, attendere velimus, *ubi* et *cur* Marcus a Matthaeo transeat ad Lucam, ab hoc redeat ad Matthaeum, et hoc iterum seposito denuo revertatur ad Lucam. Qua de re cum affatim dictum sit Sectione II., quo etiam Lectores in notis antecedenti paginae subiectis ablegabamus, non est cur multa hic addamus. Manifestum enim esse censemus, ἐναντιοφανείας omnes inde oriri, quod Marcus, de rerum gestarum ordine chronologico nequaquam sollicitus, non unum eundemque ducem, sed mox hunc mox illum, secutus sit. Itaque res eo redit, ut inquiratur, qui factum sit, ut *Lucas* narrationis partes aliter disponeret quam Matthaeus? cuius rei investigatio huius loci, ubi de Marco disputamus, non est. Verbo monere licebit, Lucam minus recessisse a vera eventuum serie, quam Matthaeum. Saltim quae Matthaeus habet cap. 14, 1. 3,

et comm. 13. 14. isto ordine neutiquam evenisse videntur.

5) Marcus cap. 5, 23. archisynagogum sic loquentem inducit: το θυγατριον μου εσχατως εχει. Matthaeo autem teste, (cap. 9, 18.) puella αρτι ετελευτησεν, quocum Lucas (cap. 8, 42.) consentire videtur, inquiens: αυτη απεθνησκεν. Resp. Si Marcus h. l. Matthaeo duce usus est, mirum videri non debet, posteriorem scriptorem plenius, accuratius ac rectius totam rem enarrasse, quam a priore scriptore tractata esset. Sed e Luca potius haec omnia desumsit Marcus (cf. p. 375. not. *) Iam vero apud Lucam commate quidem 42. legitur: αυτη απεθνησκεν. At e commate 49, manifestum est, puellam tum mortuam nondum fuisse. Marcus igitur, collata interpretatione authentica ab auctore commate 49. suppeditata, phrasin ambiguam commatis 42. rectissime et menti Lucae convenientissime permutavit cum alia clariore. Atque hinc patet simul, omni fundamento destitutam esse eorum persuasionem, qui hunc locum iis annumerant, e quibus probari posse putant, tres Evangelistas usos esse ebraico archetypo, cuius ambiguitate decepti phrasin ebraicam eandem diversis modis, nec facile conciliandis, interpretati sint. Optime convenit inter Marcum et Lucam, dummodo Lucae comma 42. e commate 49. explicetur. Sed nec Matthaeus dissentit. Hic enim quia ea omisit, quae apud Lucam commate 49. de morte puella e leguntur, statim ab initio brevioris suae nar-

rationis, ubi Lucas et Marcus animam egisse puellam perhibent, mortuam esse tradere *debuit.*

6) Marcus cap. 10, 46—52. de coeco prope Hierichuntem sanato talia refert, quae a Matthaei aeque atque a Lucae narratione (Matth. 20, 29—34. Luc. 18, 35—43, discordant. *Resp.* Cuilibet tres Evangelistas inter se comparanti et ad περιστασεις singulares a Marco solo commemoratas animum advertenti, manifestum erit, Marcum accuratissime de hoc eventu fuisse edoctum. *Ubi igitur ab aliis* discedit, tacite corrigere hos voluisse censendus est.

7) Quae Marc. 11, 11—27. leguntur, occurrunt etiam Matth. 21, 10—23. Sed alio et quidem probabiliore ordine narrationis partes apud Matthaeum sese excipiunt, quam apud Marcum. Matthaeo auctore Christus *eodem* die, quo magna ovantis populi stipatus caterva Hierosolymam ingressus est, e templo profanato eiecit vendentes et ementes. Nam his expulsis aderant adhuc pueri Hosanna filio Davidis acclamantes, Matth. 21, 15. qui procul dubio una cum reliqua turba, Hosanna Iesu occinente, templum intraverant. Secundum Marcum autem Christus templi profanatores exire coegit *postridie,* quam urbem ingressus erat. Atqui, cum populari favore nil sit inconstantius, veri similius est, Christum, utpote virum prudentissimum, mox post introitum in urbem et templum eo ipso die, quo populus studium suum erga ipsum luculentissime significavisset, rem periculis plenam adortum esse, quam dilatam eam ab ipso fuisse in aliud tempus; nec cre-

dibile est, eos qui boves et oves vendebant cum nummulariis tam facile loco fuisse cessuros, nisi populi velut in triumpho Iesum in templum deducentis iram metuissent. Praeterea, Matthaeo teste, Christus ficum sterilem exsecratus est die *sequente* postquam profanos e templo expulerat, et *statim* (παραχρημα) exaruit arbor; quo viso discipuli admirabundi protinus magistrum adeunt, et ab hoc de insigni vi πιστεως edocentur. Contra vero apud Marcum arbori male precatus est Christus *eo die* mane, quo postea templi profanationem ultus est; arefactam autem a radicibus esse arborem discipuli *postridie* demum observarunt, et Domino de fidei efficacia disserenti ansam praebuerunt. *Resp.* Plane persuasum nobis est, eo ordine et tempore rem universam evenisse, quo Marcus eam in suis commentariis collocavit. Sciens a Matthaeo recessit, quia accuratiorem, quam ex hoc peti potest, notitiam de universo isto negotio aliunde sibi comparaverat. Hinc comm. 11—14. et 20—26. copiosius, quae Matthaeus paucis indicaverat, enarrare, et comm. 16. περιστασεις nonnullas a Matthaeo praetermissas addere poterat. Praesertim temporis, quo quidque contigerat, momenta et intervalla penitus cognita habuit, eaque singulari plane studio distincte notavit. Vide comm. 11. 12. 15. 19. 20. 27. Etsi vero in tractanda hac historiae parte rectius et curatius quam Matthaeus versatus sit, hic tamen ab illo neutiquam falsitatis aut ignorantiae arguitur. Nam a) Matthaeus nullibi disertis verbis affirmat, Christum eodem, quo urbem ingressus est, die pro-

sanam turbam e templo eiecisse; nec e puerorum acclamatione colligi id potest; hi enim quae a caterva Christum comitante pridie audiverant, nova oblata occasione Matth. 21, 14 iam repetebant. b) Noluit Matthaeus quae de ficu commemoranda erant in plures velut particulas dissecare, sed consulto exsecrationis mentionem paulisper distulit, dum eius effectum simul narrare posset.

Sectio IV.

Superest, ut indicemus, quaenam ea sint, quae, admissa nostra hypothesi de origine Evangelii Marci, iusta consequentia derivari ex ea posse videantur. Potiora haec fere sunt:

I. Marcus Evangelium suum post scripsit quam Matthaeus et Lucas suos commentarios exaraverant. Mentiuntur igitur ὑπογραφαι singulis Evangeliis vulgo subiectae, quae Matthaeum octavo, Marcum decimo aut duodecimo, Lucam decimo quinto post reditum Christi in coelum anno scripsisse perhibent. Neque assentiri possumus Cel. *Storrio*, qui nuper Marci Evangelium primum omnium esse persuadere nobis voluit.

II Quae *Papias* apud *Euseb. H. E.* libr. 3. cap 39. de Marci Evangelio tradit, quamvis testem producit presbyterum Ioannem, figmenta sunt, multum a vero abhorrentia.

III. Patres antiquissimi, qui Petri auspiciis Marcum vitam Domini litteris consignasse tradiderunt,

coniecturas suas, non historiam ex documentis fide dignis haustam, narraverunt, aut fallaci rumore decepti sunt. Corruunt igitur ea quoque omnia, quantumvis ingeniose excogitata et exornata, quae viri docti *)) huic hypothesi superstruxere. Unice hoc concedi forte potest, Marcum eas rerum περιστασεις, quibus passim Matthaei et Lucae narrationes locupletavit, a Petro accepisse; quamquam nec hoc satis certum sit; nam ex alio etiam fonte derivatae esse possunt.

IV. Fallitur etiam *Augustinus* de Consens. Evang. L. 1. C. 2. Matthaei breviatorem et pedissequum Marcum esse contendens.

V. Generatim omnes Patres de libris Novi Testamenti nil certi rescivisse videntur, praeterquam quod hic ille liber in hac illave ecclesia inde ab antiquissimis temporibus receptus, publice praelectus, et huic illive auctori attributus fuerit. Reliqua omnia, quae de tempore et loco scriptionis, occasione scribendi, consilio auctoris, fontibus, quibus usus sit etc. Patres tradunt, admodum incerta sunt.

VI. Etsi nostra de Marci Evangelio sententia non penitus eorum excludit hypothesin, qui Matthaeum ebraice scripsisse volunt, tamen, posita illa, haec valde improbabilis reperietur. Saltim Marcus graecum Matthaei exemplar omnino usurpasse videtur. Nam eaedem graecae formulae persaepe apud utrum-

---

*) *Lardnerus, Townsonus, aliique, quibus iam praelusit Eusebius* Demonstr. Evang. L. 3. pag. 120.

que inveniuntur; ac si Marcus, graece scribens, partim ex ebraico Matthaei partim e graeco Lucae suum Evangelium compilasset, Matthaeo sine dubio praetulisset Lucam, et hunc potissimum secutus esset ducem. Hoc vero aliter se habere supra vidimus. Nuper quidem doctissimus Wahlius suspicatus est, e Matthaei ebraico et Lucae graeco Evangelio Marcum collegisse copticum. Sed haec coniectura, quae Nostrum aegyptiaca lingua scripsisse sumit, parum firmis superstructa est fundamentis, nec cum iis, quae de Evangelii Marci ortu et indole *in antecedentibus* disseruimus, conciliari facile poterit.

VII. A vero abhorret opinio nonnullorum, Evangelistas librorum, qui sub ipsorum nominibus circumferuntur, veros auctores non esse, sed discipulos eorum scripto consignasse, quae ex Matthaei, Marci, Lucae etc. ore olim audivissent.

VIII. Vero minime similis est, saltim quod ad Marci Evangelium attinet, eorum coniectura, qui Evangelistas e commentariis, nescio quibus, dudum *deperditis*, sive ebraicis sive graecis, libellos suos compilasse, et ea quae notatu in primis digna aut suis lectoribus utilia viderentur, decerpsisse statuunt, et hinc cum miram Evangelistarum consonantiam in verbis adeo et loquendi formulis, tum etiam eorum inter se discrepantiam explicari posse autumant.

IX Marci Evangelium integrum superest et incorruptum, si postrema ultimi capitis commata excipias, quae, ut diximus, deperdita et ab alia manu suppleta esse, suspicari licet.

X. Iam Marci tempore Evangelia Matthaei et Lucae eadem eodem ordine disposita continebant, quae hodie in iis leguntur, nec inde, quod Marcus nonnulla omisit, consequitur, abfuisse ea primitus ab istis Evangeliis.

XI. Qui in concinnanda Evangeliorum harmonia operam suam collocare volunt, in ea conficienda ad Marcum ne provocent, caveant. Hic enim de ordine eventuum chronologico sollicitus plane non fuit, sed nulla temporis, quo quidque evenerit, ratione habita a Matthaeo transit ad Lucam, et vicissim. Hinc etiam patet, Apostolorum aetate necessarium neutiquam visum esse, ut in narrandis rebus a Domino gestis temporis ordo servetur. Atque inde porro suspicari licet, caeteris quoque Evangelistis propositum non fuisse, annales seu diurnos scribere commentarios.

XII. Marcus de Evangeliorum scopo et usu longe aliter quam plerique posteriorum seculorum theologi iudicavit. Ac si in animum induxisset, Matthaeum iusto illustrare commentario, nae is admodum dissimilis vulgaribus commentariis exstiturus fuisset. Lessingiis sine dubio placuisset iisque omnibus, qui optimarum litterarum studiis ingenium suum acuere et perpolivere, et iustum tractandarum veterum historiarum modum longo usu didicerunt; harmoniarum auctoribus et moleste sedulis commentatoribus non item.

XIII. Qui Marcum scripsisse contendunt e theopneustia, satis exilem informent necesse est.

XXIII.

D. Io. Iac. Griesbachii Commentatio de imaginibus iudaicis, quibus auctor epistolae ad Ebraeos in describenda Messiae provincia usus est. Jenae 1791. et 1792. 4. ab auctore recognita. *)

Imaginibus a rebus iudaicis traductis in epistola ad Ebraeos delineari christiana dogmata atque in primis insignia illa beneficia, quibus Deus per Christum genus humanum affecit, inter omnes constat. Nec quisquam dubitat, prudentissimo consilio auctorem libelli res christianas cum iudaicis composuisse. Ebraei enim, nuper ad christianam fidem perducti, patriae religionis tanto amore et desiderio tenebantur, ut sacra christiana, a caerimoniarum pompa longe alienissima, multis institutis, quibus Israelitica religio commendaretur, carere, aegre ferrent. In primis novum et inauditum prorsus videbatur, nedum

---

*) Inserta est Vol. II. Commentatt. theolog. a Velthusen etc. editarum Lips. 1795.

absonum, religionem cultumque Numinis esse posse absque sacerdotibus, templis, altaribus, victimis, lustrationibus, aliisque huius generis ritibus, quibus religionis summam contineri plerique autumabant. Haec opinio, quam inde a teneris imbiberant, cum radicitus ex ipsorum animis evelli confestim nequiret, nec homines σαρκικοι in πνευματικους transformari possent nisi gradatim et multa adhibita cautione, ingeniosissimus epistolae auctor egregio usus est artificio, ut christianam religionem, quae tota πνευματικη est Deumque ἐν πνευματι και ἀληθεια colere docet, vel iis etiam, quibus parum aut nihil inesset πνευματος, commendaret, et hos ad veram huius religionis intelligentiam pedetentim adduceret. Nempe rebus christianis iudaica imposuit nomina, Ebraeisque suis, τοις πασι γενομενος τα παντα, persuadere studuit, Christianos aeque ac Iudaeos habere sacerdotem, templum, sacrificium, et reliqua, quae Ebraei desiderarent, omnia. Cum vero praevideret, Ebraeos facile esse animadversuros, ista omnia non nisi improprie religioni christianae posse attribui, indicaturosque, ingens esse inter summum Iudaeorum pontificem et nostrae salutis instauratorem, Christum, discrimen, commode sapienterque usus est partim opinione apud Iudaeos tunc pervulgata, rebus terrestribus, nominatim Hierosolymis et templo, respondere alias coelestes et excellentiores, quarum illae umbrae sint; (cap. VIII. 2. 5. IX. 11. 23. 24. XII. 22.) partim nonnullis Veteris Testamenti oraculis, in quibus sa-

cerdotis ab Israeliticis pontificibus plane diversi mentio iniiciebatur, (cap. V. 6. VII. 17. 21.) aut novus ac perfectior rerum ordo olim condendus a piis vatibus annuntiabatur. (cap. VIII. 8. sqq. X. 5—9. 15—18. XII. 26. 27.) Sic Ebraei non erigebantur solum et in christianae religionis, cuius pertaesi iam fere erant, professione confirmabantur, verum eo etiam adducebantur, ut sensim adsuescerent religioni πνευματικῃ huiusque prae Iudaismo praestantiam persentiscerent. Manifeste *autem hunc*ce παιδειας τροπον auctor epist*olae adhibuit* propter lectorum iudaicis notionibus innutritorum imbecillitatem aut, si mavis σκληροκαρδιάν. Ad ipsam religionis christianae summam et formulam imagines istae nullo modo pertinere possunt; nec docendi modus, Ebraeis illis satis adaptatus, nostris etiam hominibus conveniens haberi debet. Veruntamen subsunt istis picturis verissimae descriptiones beneficiorum, quae salvatori optimo debemus. Id omnes ultro fatentur, et veritatem sub umbris illis latentem sedulo eruendam esse tradunt. Sed si definite distincteque dicendum est, quodnam et quale corpus sit, quod umbris illis indicari nemo negat, non eadem est omnium sententia. Nonnulli enim ad rem ipsam pertinere putant, quae alii imaginis tantum aliquam partem et quasi lineam esse opinantur. Quae lis ut facilius diiudicari aliique Novi Testamenti loci, in quibus eaedem res verbis magis propriis aut sub aliis saltim imaginibus repraesententur, rectius comparari et ad illustrandas

formulas in nostra epistola obvias adhiberi possint, *primo* singulas figuras, e quibus allegorica illa pictura composita est, imo figurae cuiusque praecipuas velut lineas ex universa epistola colligemus, et commodo ordine ita lectorum oculis subiicere studebimus, ut tabulam mire variegatam, in qua eaedem imagines saepius repetitae reperiuntur, uno quasi obtutu perlustrare queant; *deinde* allegoriae sensum declarare tentabimus. Misso autem reliquo epistolae argumento iis tantum immorabimur, in quibus cardo rei vertitur, hoc est iis, quae ad comparationem Christi Domini nostri cum summo sacerdote, et ad vindicandam eius prae iudaicis pontificibus praestantiam pertinent. Ordimur igitur ab iis auctoris nostri sententiis, quibus *universim* perhibetur, Christum esse sacerdotem, eumdemque iudaicos pontifices longe antecellere.

I. Christus est *summus* noster *sacerdos*. Cap. II. 17. III. 1. IV. 14. V. 10. VI. 20. VII. 24. VIII. 1. IX. 11. X. 21.

II. Ut sacerdotes e gente aut familia eorum, pro quibus sacra faciunt, eliguntur, cap. V. 1. ita Christus, hominum sacerdos et hominibus salvandis destinatus, cap II. 16. *homo esse* debuit, cap. II. 11. 14. fuitque hominibus per omnia simillimus, cap. II. 17. excepto tamen peccato. cap. IV. 15. VII. 26. 27.

III. Cum homines, quotidie huius vitae aerumnis luctantes, imbecilles et saepe halucinantes, opus habeant sacerdote, qui facili erga ipsos sit et

mitis, cap. V. 1. 2. noster quoque sacerdos debebat esse, et est, *misericors*, cap. II. 27. 18. IV. 15. Talem eum esse, vel eo constat, quod ipse multis *adversitatibus* fuit *exercitatus*, cap. II. 18. IV. 15. Sic ipse obedire didicit, cap. V. 8. Deoque lacrymas suas et preces, dum in his terris viveret, obtulit tanquam sacrificium, cap. V. 7.

IV. Istis perpessionibus, et inprimis morte quam subiit cruenta, *inauguratus* fuit *sacerdos*, cap. II. 10. V. 9. morteque superata iam immortalis cap. VII. 16. IX. 27. 28. demandato sibi officio *fungitur in coelo*, cap. IX. 24. VIII. 1. 2.

V. Plurimum *differt a sacerdotibus mortalibus*, qui in his terris operantur, cap. VII. 23. 24. 25. iisque longe est perfectior et sanctior, imo caelo ipso sublimior, cap. VII. 26. 27. 28.

VI. Non esse eum ex ordine sacerdotum leviticorum, vel inde patet, quod *nec e tribu Levi ortus* fuit, cap. VII. 12. 14. *nec in his terris templum* habuit, in quo sacra facere posset. cap. VII. 4.

VII. Sed mirum hoc videri non debet Ebraeis. Nam *leviticum sacerdotium*, quod explendo consilio divino impar erat, cap. VII. 11. 18. 19. IX. 8. uti nec sacrificia levitica purificandis conscientiis sufficiebant, cap. IX. 9. X. 1. *abrogatum est*, cap. VII. 11. 12.

VIII. Cum sacerdotio illo simul *antiquata est oeconomia mosaica* universa, cap VII. 12. VIII. 13. utpote imperfecta, cap. VIII. 7. IX. 10. et in

eius locum successit iam alia, cap. VII. 19. 22. multo praestantior, cap. VIII. 6. 10. 11. 12. XI. 15. a prophetis dudum ita praenuntiata, cap. VIII. 8 — 12. ut priscae oeconomiae abolitio simul innueretur cap. VIII. 7. 13. 14. Huius *novae* διαθηκης μεσιτης et ἐγγυος sive *sponsor* est Christus, cap. VII. 22. VIII. 6. IX. 15. XII. 24. qui tanto excellentior est Mose, priscae διαθηκης μεσιτη, quantum filius familias eminet prae servo, cap. III. 3. 5. 6.

XI. Itaque Christum sacerdotem summum cum nuncupamus, intelligi volumus melioris huius et *novae διαθηκης sacerdotem*, iam olim promissum, *Melchisedeci similem*, cap. V. 6. 10. VI. 20. VII. 11. 15. 17. 21.

Antequam in enumerandis sententiis, quibus epistolae auctor tum similitudinem, quae inter Melchisedecum et Christum intercedit, tum huius prae sacerdotibus leviticis praestantiam uberius illustrat, pergamus, pedem hic figemus, et eorum, quae modo protulimus, quibus reliqua omnia, deinceps explananda, tanquam fundamento superstructa sunt, sensum paucis exponemus.

I. Quaecunque Iudaei, secundum suae religionis placita, a summo pontifice caeterisque sacerdotibus et ab horum functionibus lege mosaica praescriptis exspectabant, ea omnia nobis Christianis praestat Christus. Itaque qui a iudaicis sacris ad christiana transeunt, non solum iacturam faciunt nullam, verum etiam, cum bene-

ficia, quibus christiana religio suos cultores ornat, multa ampliora et nobiliora iis sint, quae suae religioni Iudaei debent, plurimum lucrifaciunt. Quemadmodum Israelitis persuasum erat, sacerdotes et praecipue summum pontificem expiare cum singulorum errata tum stato quotannis die universi populi crimina, eaque ratione effici, ut gens Israelitica in gratiam redeat cum Deo, peccatis populi antea offenso: ita nos Christo acceptum referimus, *quod certo sciamus*, nobis, tametsi *peccatoribus*, *siquidem* meliorem mentem ex praescripto religionis nostrae induamus, Numen esse propitium, nec extimescendam eius iram, cuius metu Iudaei aeque ac gentiles, nisi victimis aliisque sacris ritibus eam placassent, misere angebantur; quin beneficia quaevis ac salutem adeo aeternam a summa Patris, cui per Christum reconciliati sumus, benignitate exspectare possumus. Praeterea, sicut Israelitae, ulla re immunda polluti, a templo, ubi Numen praesens esse et quasi habitare putabatur, ceu profani arcebantur, nec accedere ad id prius permittebantur, quam a sacerdote solemni ritu lustrarentur: ita nos Christo debemus, quod nobis, alienissimis olim a Deo, iam summa fiducia, qualis filios decet erga parentes, accedere ad ipsum liceat. Nempe quamdiu animi nostri vitiis inquinati erant, his a Deo quasi arcebamur, et quo minus summa felicitate ab eo bearemur, impediebamur. Iam

vero per Christum eiusque doctrinam purificati, hoc est emendati, huiusque mutationis nobis conscii et freti gratia Dei in Christo Iesu, appropinquamus ad eum velut ad patrem indulgentissimum liberi, et cum fidenter ab eo petimus quaecunque ad salutem nostram conducunt, tum certo non tantum scimus sed experimur etiam, et velle et posse iam eum summi favoris sui documenta nobis praebere. Sed de his deinceps iterum dicendum erit explicatius, ubi singulae imaginis huius partes considerandae venient. Hoc loco illustrare tantum exemplo allato volebamus sententiam hanc: Christo verissime debemus, quae Iudaei a suis sacerdotibus exspectabant, eamque ob rem recte sacerdos noster summus appellari potest.

II. Ut Christus hominibus prodesse posset, oportuit eum hominem esse, nobis per omnia similem. Verus homo potuit cum hominibus versari, et partim eos, qui in disciplinam ipsius sese traderent, doctrina sua salutari imbuere eosque ad perfectiorem cognitionem sensim informare, partim humanae virtutis omnibus numeris absolutae exemplum praebere. Praeterea, cum mortem ex Patris decreto pro hominibus obire deberet, necesse erat, ut homo ipse esset mortalis. Tandem consentaneum erat, ut homo esset is, quem humano generi praeficere et cui salutis hominum curam committere Deus constituisset. Itaque nobis similis fuit per

omnia, excepto tantum peccato, a quo purissimus fuit. Qui enim venia ipse eget, aliis veniam impetrare nequit, nec ad virtutis culmen evehere alios potest, qui procul ipse ab eo abest. Summa eius virtus, macula ulla nunquam contaminata, effecit, ut omnia quae vel perpetraret vel perpeteretur pro hominibus, in summo apud Deum essent pretio. Qua in re quantum differat noster sacerdos a Iudaeorum sacrificulis et pontificibus, quorum *multi perditissimi* erant homines, *Ebraeis obscurum esse* non potuit.

III. Virtutis eius, ferendis rebus adversis exercitatae, praestantia cognita fuit luculentissime in his ipsis adversitatibus. Etsi enim insons pro sontibus tot tantaque mala toleraret, ut lacrymas adeo profunderet ac anxie clamaret ad Deum, qui ex istis aerumnis eripere eum posset, tamen animum non despondit, sed quae imposuerat Pater, fortiter et patienter tulit et perfectae obedientiae exemplum praebuit. Tantum vero abest, ut perpessionibus Messiae offendi debeant Ebraei, *) ut potius consilium Dei sa-

*) Fuisse multos, quibus humilis conditio ac praesertim perpessiones et mors Messiae offendiculo essent, e pluribus epistolae nostrae locis, verbi causa e cap. II. 9—18 colligere licet. Horum dubitationes, quibus sensim a Christianismo alieniores reddi poterant, tollere studet auctor. Idem hoc consilium sequitur, ubi in commemorandis ad-

pientissimum et benignissimum hac etiam in re, curatius ea perpensa, non cognoscere non possint. Iudaici quidem pontifices in dies laute splendideque vivebant et genio suo indulgebant, plebis autem, quam fastidiebant homines isti arrogantes, curam habere solebant nullam. Contra vero Christus, utut filius, dignitate longissime omnes superans; (cap. IV, 8. coll. I. 2—12.) non solum ea conditione natus fuit, ut nihil, quod homini accidere possit, recusaret, summòque studio id egit, ut plebem vera Dei cognitione imbueret ac ad virtutem haud fucatam incitaret, et miseris quibuslibet, auxilium eius implorantibus, benigne subvenit; verum atrocissimos etiam cruciatus perpessus est, et mortem adeo cruentam, ut Patris consilia exsequeretur, occumbere non dubitavit. (cap. II, 9.) Atque sic ἔμαθεν, ἀφ' ὧν ἔπαθε, τὴν ὑπακοὴν. Id quod magno nobis solatio esse potest. Is enim, quem generis humani dominum et olim iudicem esse voluit Pater (cap. I, 2. IX, 28.), et cui salutis nostrae curam demandavit, experimento edoctus probe novit, quam acerbum sit, doloris sensu affici, quantaque opus sit animi fortitudine, ne calamitatibus oppressi fiduciam in Deum abiiciamus, nec a veritatis ac virtutis tramite abripi nos patia-

———

versitatibus et cruciatibus Christi imagines frequentat nobilissimas, e re sacra Ebraeorum petitas.

mur. Ἐν ᾧ γαρ πεπονθεν αὐτος πειρασθεις, δυναται τοις πειραζομενοις βοηθησαι.

IV. Tanta virtute et obedientia digna tulit a Patre praemia. Iam enim δι' ἑαυτου (δια του θανατου αὐτου) καθαρισμον ποιησαμενος των ἁμαρτιων ἡμων, ad dexteram Patris consedit, (cap. I, 4. coll. VIII, 1. X, 12.) δια το παθημα του θανατου δοξῃ και τιμῃ ἐστεφανωμενος. (cap. II, 9. coll. Phil. II, 8 — 11.) Iam Pater eum omnium Dominum constituit. (cap. I, 2. coll. Eph. I, 22. 25.) Iam multos filios ad gloriam perducit, ἀρχηγος της σωτηριας αὐτων, δια παθηματων τελειωθεις, (cap. II, 10.) et τελειωθεις (δια παθηματων cap. V, 8.) ἐγενετο τοις ὑπακουουσιν αὐτῳ πασιν (qui alibi πιστευοντες εἰς αὐτον vocantur) αἰτιος σωτηριας αἰωνιου προσαγορευθεις ὑπο του Θεου ἀρχιερευς κατα την ταξιν μελχισεδεκ. (cap. V, 9. 10.) Manifestum igitur est, αἰτιον sive ἀρχηγον της σωτηριας (σωτηρα) ac ἀρχιερεα significatu haud differre. Hinc *primo* dubium esse nequit, quonam sensu passionibus suis inauguratus seu initiatus (τελειωθεις) dicatur sacerdos ille; *deinde* apparet, sacerdotium eum postquam mortem obiisset esse auspicatum, eodemque fungi in coelo. Dum enim in his terris vitam viveret mortalem, (ἐν ταις ἡμεραις της σαρκος αὐτου,) Deo quidem obtulit (προσηνεγκε) δεησεις τε και ἱκετηριας μετα κραυγης ἰσχυρας και δακρυων, (cap. V, 7.) hoc est, preces, quas

ex imo pectore calamitatibus afflictus fudit, gratae fuerunt Deo, ut alibi ad sacrificia a piis oblata benigne respicere Deus dicitur: sed sacerdotis officium, ex mente auctoris epistolae nostrae, adiit demum exaltatus in coelum, ὅπου προδρομος (coll. cap. X, 20.) ὑπερ ἡμων εἰσηλθεν κατα την ταξιν μελχισεδεκ ἀρχιερευς (ἀρχηγος seu αἰτιος της σωτηριας ἡμων) γενομενος εἰς τον αἰωνα (cap. VI, 20.); in coelum, inquam, in quod δια του ἰδιου αἱματος εἰσηλθεν, (cap. IX, 12.) sive δια της θυσιας αὐτου πεφανερωται, (cap. IX, 26.) ἐμφανισθηναι τῳ προσωπῳ του θεου ὑπερ ἡμων. (cap. IX, 24.)

V. Quare, quamvis cum Iudaeorum pontifice comparare Messiam possint Ebraei, qui absque pontifice religionem non posse consistere existimant, tenendum tamen est, a iudaicis sacerdotibus, hominibus et peccato et morti obnoxiis, (cap. VII, 28. 27. 23.) Christum, utpote Dei filium, (cap. V, 5.) sanctissimum, (cap. VII, 26. 27). et vitae nunquam desiturae vi pollentem, (cap. VII, 16.) plane esse disparatum et illis multo excellentiorem. Quin tanta est eius, e mortuis iam resuscitati et ad dexteram Dei considentis dignitas, ut non solum sacerdotibus quibuscunque et rebus terrenis quibuslibet, sed ipso etiam coelo et angelis (cap. I, 5—14. et παντι ὀνοματι ὀνομαζομενῳ οὐ μονον ἐν τῳ αἰωνι τουτῳ ἀλλα και ἐν τῳ μελλοντι (Eph. I, 21.)

longe sit excelsior. Talem et tantum sacerdotem nunquam vidit populus iudaicus.

VI. Ultro igitur largimur et ipsi contendimus, Messiam neutiquam leviticum fuisse sacerdotem. Talis esse ne potuit quidem, e tribu Iuda et e Davidis stirpe oriundus. Fatemur etiam, nunquam sacrificium, ut verbi proprietatem teneas, oblatum ab eo fuisse. In templo certe hierosolymitano offerre ei non licuit. Hoc enim iis tantum concessum erat, qui tribu *Levi prognati* sunt. Nec aliud in his *terris habuit sacrarium*, in quo operaretur. Quin religio eius omnino ignorat atque respuit (Io. IV, 21. seqq.) eiusmodi templa, in quibus a sacerdotibus victimae immolantur.

VII. Atqui facillime caremus universo isto levitici cultus apparatu, qui parum profuit Israelitis. Nam, historia et experientia teste, pontificum illorum ministerio nec emendati fuerunt Iudaeorum mores, neque ad veri nominis felicitatem populus perductus fuit. Idem dicendum est de sacrificiis cuiusque generis. His effectum certe non est, ut homines nequam ad bonam redirent frugem. Sed nec valebant ad animos hominum, scelerum conscientia perterritorum, tranquillandos, nec quemquam de Numinis favore satis certum reddebant. Nam cordatiores omnes, qui ultra superstitiosum vulgus saperent et paullo subtiliorem de natura Dei informassent notionem, nullo negotio intelligebant, ani-

malis immolatione Numen placari criminaque expiari haud posse. Quamobrem sacerdotium istud leviticum iam abrogatum est cum victimis et caeteris oblationibus; hoc est, e christianae doctrinae formula nec illo nec his opus est, sed rectissime Christiani ab omnibus eius generis institutis sese abstinent. Quid? quod, Christo auctore, (Matth. XXIV.) templum hierosolymitanum brevi post hanc epistolam scriptam funditus evertetur; quo destructo leviticus cultus necessario cessavit.

VIII. Cum salva lege mosaica abrogari non potuerit sacerdotium leviticum, arctissimo vinculo cum illa coniunctum, consequens est, ut hoc abolito illa etiam antiquata sit, nec Christiani ea teneantur. Quod etsi accidit praeter exspectationem Iudaeorum, qui mosaica instituta aeternum valitura esse opinarentur, mirum tamen videri debet nemini. Nam Dei cultus lege illa praescriptus et, ut uno verbo omnia complectar, universus Iudaismus tantis, inde a suis originibus, laborat naevis, ut melioribus institutis cedere omnino debeat. Mosaica autem oeconomia ad bene beateque vivendum quod parum profuerit Israelitis, eius rei causa non in hominum perversitate tantum quaerenda est, sed multo magis in ipsa religionis illius indole. Ipsa ἀμεμπτος non fuit, (cap. VIII, 7.) et δια το αὐτης ἀσθενες και ἀνωφελες (coll. Gal. IV, 9. ἀσθενη και πτωχα στοιχεια) οὐδεν ἐτελειωσεν.

(cap. VII. 18. 19.) Itaque διορθωσει opus erat, et oeconomia mosaica perdurare non debebat ultra huius διορθωσεως tempus, (cap. IX, 10.) quod alibi (Gal. IV, 4.) πληρωμα του χρονου vocatur. Quam rerum in meliorem statum mutationem Israelitarum sapientissimi, prophetae, dudum exoptaverant et divino afflatu excitati futuram esse praedixerant. Saepe testati sunt, Deo haud placere sacrificia et victimas (cap. X, 5. 6. 8. 9.) et in sacrarum *caerimoniarum* observatione sedulitatem, *sed eam potius esse* pietatem veram Deoque gratam, quae animi puritate ac vitae integritate sese prodat. Saepissime ad fovendam meliorum temporum spem et se et auditores seu lectores suos erexerunt, et dum novae διαθηκης laudes canerent, veteris abrogationem portenderunt. Quae cum ita sint, decet Ebraeos, prophetarum oraculis fidem habere, et falluntur, qui sibi aliisque persuadent, velle Deum, ut Iudaei pristinae religioni tenaciter porro adhaereant et semper Iudaei maneant. Contra recte agunt et prophetarum monitis obsequuntur, qui seposita patria religione amplectuntur novam, illi quovis respectu praeferendam. Ut enim iam taceamus summam, qua huius auctor eminet, dignitatem, cuius consideratio absterrere Ebraeos potest a levitate et temeritate in spernenda hac religione, (cap. I, 1.—II. 8. III, 1—6. VI, 4—6. X, 28—31. XII, 25.) cogitandum est, *primo*, mosaica

instituta adaptata fuisse ad captum populi admodum rudis, qui ab idololatria contineri vix poterat et veri Dei memoriam penitus abiecisset, nisi ea caerimoniarum ope mentibus utcunque infixa haesisset. Hic talis populus nondum ad percipiendam subtiliorem et veriorem de natura Dei doctrinam idoneus erat, nec ad cultum Dei spiritualem et perfectiorem evehi poterat. Iam vero, cum ὁ καιρος της διορθωσεως (cap. IX, 10.) adsit, et ad meliorem religionem istis quasi tirociniis homines praeparati sint, non subsistere licet in istis elementis, quae puerili aetati satis convenerant, sed ad ea iam ulterius progredi fas est, quae viros adultos decent. *Praeterea*, leges a Mose latae caeteraque eius instituta eo tendebant, ut sensim a feritate ad mansuetudinem traducerentur Israelitae, et ut graviora facinora quantum fieri posset caverentur. Sed propter populi σκληροκαρδιαν in multis connivendum erat. (Conf. Matth. XIX, 8.) Nec effici illa lege potuit, ut homines in officio continerentur ac perversae cupiditates coercerentur, nedum exstirparentur. (cap. VIII, 9. coll. Rom. VII, 9—23.) Nova vero religio non solum virtutem praecipit longe perfectiorem, sed tanta etiam eius vis est, ut in intimum hominis pectus sese insinuet, emendando eo sufficiat, πνευματι Θεου (cuius praestantissimi sunt fructus, Gal. V, 22. 23.) repleat, ac ardentissimo virtutis studio inflammet. (cap. VIII, 10. coll.

Rom. VIII, 3—9.) *Deinde* mosaica religio felicitatem pollicetur, quae ultra huius vitae terminos non extenditur et externorum potissimum bonorum fructu absolvitur; christiana autem melioribus promissionibus professores suos erigit et praemia proponit aeternum duratura (cap. VIII, 6. IX, 15.). *Denique* sub prisca oeconomia conscientia hominum haud potuit tranquillari. Qui enim victimarum sanguis hoc praestare et peccatorum remissionem hominibus procurare *potuisset*? (cap. IX, 13. X, 4. 11.) *At christiana* religio sperare, imo confidere nos iubet, Deum omnibus, qui ad praescriptum Evangelii μετανοουσι και πιστευουσι, peccata omnino esse condonaturum, et huius fiduciae fundamenta iacit firmissima. — — Haec igitur nova religio, tot nominibus iudaicae praeferenda, intercessorem, qui inter Deum et homines mediatoris quasi officio fungatur, praeter Christum novit neminem. Nullae hic sunt Mosis, qui vetustioris διαθηκης μεσιτης fuerat, partes, nec angelis, δι' ὧν ex Ebraeorum sententia ὁ προτερος λογος ἐλαληθη, nova oeconomia subiecta est, (cap. II, 2. 5) neque pontifice aut sacerdotibus indigemus. Christus potius unicus est ecclesiae suae Dominus eiusque caput; Christus melioris de Deo cognitionis auctor; Christus voluntatis divinae interpres nosterque legislator; Christus nobilissimarum promissionum sponsor; Christus salutis nostrae instaurator; Christus fiduciae no-

strae columen; Christus olim iudex noster erit et praemiorum distributor; verbo: Christus est τα πάντα ἐν πᾶσι πληρουμενος. (Eph. I, 13.)

IX. Idem hoc, ut aliquid demus Ebraeorum, qui sacerdote carere se non posse putant, imbecillitati, ita etiam enuntiari potest: Christus est summus sacerdos. Vidimus quidem supra, sacerdotem, si proprie loqui et usitatam vocabuli significationem retinere velis, neutiquam eum fuisse. Sed Moses ipse sacerdotem commemoravit a leviticis plane diversum eundemque insignem, Melchisedecum. Quin Psalmo CX. (in quo plures occurrunt sententiae, quae, adstipulantibus vel ipsis Ebraeis, provinciae et maiestati Messiae describendae inservire possunt,) sacerdos praedicatur aeternus, ad instar Melchisedeci. Itaque licet, haud refragantibus imo praeeuntibus ipsis Ebraeorum sacris libris, Christum repraesentare sub imagine sacerdotis aeterni, Melchisedeci similis; quae comparatio quam apta sit, ex iis apparebit, quae dicenda restant.

Progredimur nimirum ad epistolae nostrae locos tum eos, quibus Christus *Melchisedeco*, Aaronem dignitate superante, *comparatur*, tum hos etiam, quibus docetur, iis, quae Christus pro salute mortalium peregit, multo *maiorem inesse vim* ad homines sive emendandos sive beandos, quam cunctis ebraicorum sacrificulorum sacris ritibus, lustrationibus, oblatio-

nibus ac victimis. Servabimus autem eandem methodum, qua in antecedentibus usi sumus; nimirum primo ipsas auctoris sententias proferemus, deinde, quaenam notiones subsint istis descriptionibus et imaginibus e re sacra Iudaeorum traductis declarabimus. Quae vero iam occupavimus, si propter cohaerentiam cum iis quae nunc dicenda restant iterum commemorari hic debent, brevissimis tantum attingemus.

I. Melchisedecus, in quo regia dignitas cum *sacerdotali* coniuncta erat, non *propter natalium*, qui prorsus ignorantur, splendorem ad sacerdotium provectus fuit, nec antecessorem neque successorem habuisse traditur, uti nec natus neque mortuus esse perhibetur, sed vivens tantum repraesentatur, quasi semper vivat, sacerdos perennis et sui generis unicus. Ebr. VII, 1. 2. 3. 8. *). Idem ipso Abrahamo, at quanto vi-

*) *Απατωρ, ἀμητωρ, μητε ἀρχην ἡμερων μητε ζωης τελος ἐχων, μενει ἱερευς εἰς τον αἰωνα.* Huiusmodi consectariis e silentio, quo Moses Melchisedeci familiam nativitatem et mortem praeterivit, eliciendis ansam procul dubio dedit effatum Ps. CX. *συ ἱερευς εἰς τον αἰωνα, κατα την ταξιν μελχισεδεκ.* Si enim novus sacerdos, cuius *ἱερωσυνη αἰωνια* a vate celebratur, est *κατα την ταξιν* Melchisedeci, absonum non videbatur, ipsum quoque Melchisedecum appellare *ἱερεα εἰς τον αἰωνα.* Rabbinicam haec redolere hermeneuticam, vix erit qui non olfaciat. Sed Ebraei argutas huius generis interpretationes vehementer amabant. Quare vituperare non ausim epistolae nostrae auctorem; quod talibus hominibus scribens ad captum eorum stylum suum attemperavit,

ro! praestantior fuit, VII, 4—8. unde consequens est, excellentiorem eum etiam fuisse Abrahami pronepote, Levi, huiusque posteris, quibus inter Iudaeos sacrorum faciendorum cura commissa fuit, VII, 9. 19. — Haec omnia, viam quodammodo monstrante Psalmo CX, ad Christum haud inepte possunt accommodari. Nam Iesum Messiam regem esse qui neget, inter Christianos e Iudaeis nemo est; sacerdotem autem eum esse, in antecedentibus demonstratum fuit. A Leviticis vero sacerdotibus, velut alter Melchisedecus, plurimum differt, nec successionis iure sacerdotium a maioribus adeptus est, VII, 16. quippe qui ne ortus quidem fuit e stirpe sacerdotali Levi, sed e tribu Iuda. VII, 13. 14. Neque tamen sacerdotis provinciam temere cupideve arripuit, sed a Deo demandatam eam accepit. V, 4. 5. 6. Antecessorem non magis habuit, quam successorem, sed unicus est

---

praesertim cum id, in quo argumentationis cardo vertitur, satis firmo fundamento nitatur. Cum enim Psalmus, sive de Messia loquatur sive de alio, sempiternum sacerdotium portendat pontifici κατα ταξιν Melchisedeci, adeoque tali, qui non sit secundum mosaicae legis praescriptum ad levitica offerenda sacrificia constitutus nec e familia Aaronis aut e tribu Levi oriundus, consequens est, *neutiquam obstare libros Ebraeorum sacros*, quo minus sacerdotem a iudaicis prorsus diversum hisque longe excellentiorem agnoscamus, et quae de hocce sacerdote aut de Melchisedeco ipso in Veteri Testamento legimus, ad Messiam applicemus.

Iudaeorum sacrificuli *quovis die* varii generis sacrificiis faciendis occupati erant. X, 11. Christus vero *unico* sacrificio, quod in quotidianorum aeque ac in anniversariorum locum successit, ita cultores suos sanctificavit, ut nunquam nova expiatione opus sit. X, 10. 12. 14. 18.

5. Iudaici sacerdotes haedos, boves et eius generis *animalia* immolarunt, eorumque sanguinem Numini obtulerunt. IX, 12. Noster *contra* sacerdos *se ipsum* Deo *devovit victimam purissimam*, IX, 25. 26. 28. et, *suo sanguine* pro hominibus profuso, coeli sanctuarium adiit. VII, 27. IX, 12. 14. X, 10. XIII, 12.

6. Pontifex maximus Iudaeorum *pro suis peccatis* non minus quam pro populi delictis sacrificare debebat. V, 3. IX, 7. Noster sacerdos, utpote sanctissimus et ab omni peccati labe purus, IV, 15. VII, 26. opus non habuit, ut propria peccata expiaret, sed unice *pro populo* ceu victimam morti sese obtulit. VII, 27.

7. Iudaicis victimis nullum crimen vere expiari nec *peccatorum venia* impetrari potuit, IX, 9. X, 1. 2. 4. 11. quam ipsam ob causam, et quia Deus delectari istis hostiis minime potuit, X, 5. 6. abrogatae iam sunt, perfectiore sacrificio in earum locum substituto. X, 8. 9. Hoc unico sacrificio effectum est, ut homines vere Deo conciliarentur, peccataque ipsorum auferrentur et remitterentur. II, 17. IX, 12. 26. 28. X, 17. 18.

8. Iudaicis sacrificiis, lustrationibus caeterisque sacris ritibus purificabantur hominum *corpora* tantum ab impuritate levitica, qua a templi ingressu Israelitae arcebantur. IX, 9. 10. 13. Noster autem sacerdos ita nos sanctificat, X, 14. XIII, 12. ut *mens* et conscientia nostra pura sit a sceleribus, et ut apti ad cultum Deo praestandum simus, IX, 14. ac semper corde puro summaque cum fiducia appropinquare ad eum queamus. IV, 16. VII, 19. X, 19. 21. 22.

Enumeratis iam iis, quae de Christi sacerdotio in epistola ad Ebraeos leguntur, superest, ut sub istis figuris ac umbris quid lateat videamus.

I. Christus, tum qua novae religionis et ecclesiae, quae βασιλειας θεου nomine vulgo venit, auctor, tum quatenus in coelum exaltatus salutis hominum curam gerit, rex appellari solet. Quoniam vero multi Christiani e Iudaeis, patriis opinionibus imbuti, falsam regni Messiani notionem informabant, vana horum persuasio leniter corrigi, simulque nimium sacrarum pomparum leviticarum desiderium temperari poterat, si Christus non semper sub regis, (Ebr. I, 2. 8. 9. 13) sed interdum etiam sub sacerdotis imagine repraesentaretur, quemadmodum Melchisedecus et rex et sacerdos fuisse legitur. Si vero Melchisedecus ille, quanquam non pertineret ad familiam et ordinem Leviticorum sacrificulorum, qui haereditatis quasi iure ad dignitatem suam pertingunt, tamen sacerdos

Dei altissimi fuit pereximius longeque celebratissimus et iudaicis adeo pontificibus excellentior, facile intelligent vel ipsi Ebraei, Numen pie coli posse, absque iudaicorum sacerdotum ministerio. Atque hoc non solum illo tempore, quo Aaroniticum sacerdotium institutum nondum esset, locum habuisse, sed nunc quoque, consentientibus sacris Ebraeorum libris, idem affirmari posse, Psalmus CX. docet. — Itaque nos Christiani, sepositis ritibus *iudaicis*, *Deum* colimus ex praescripto *Domini nostri Iesu* Christi, cuius tanta sunt de universo genere humano merita, ut ante eum extiterit nemo, nec post eum extiturus sit quisquam, qui aequiparari ipsi queat. Certe nullus unquam *sacrificulus* praestare potuit, quae ille praestitit. Ipse enim verus et unicus est omnium hominum salvator, in quo consequendae felicitatis aeternae spem reponimus. Nam ipse non solum doctrina sua saluberrima et exemplo sanctissimo ad perfectissimam virtutem summamque ac sempiternam felicitatem viam nobis monstravit, sed morte etiam sua, quam sponte pro nobis oppetiit, Deo nos reconciliavit, ac nunc redivivus et ad summum gloriae atque potentiae culmen evectus ecclesiae suae commodis prospicit et cultores suos olim aeternis praemiis beabit. *Hancce* vero hominum σωτηρος optimi maximi provinciam non a maioribus suis traditam accepit, nec temerario ausu sibi arrogavit, sed Deus

eam ipsi demandavit. Hinc saepenumero professus est, non venisse se ἀφ' ἑαυτου, proprio ausu, sed missum se esse a Patre, Deo; nec quidquam magis ei curae cordique fuit, quam ut morem gereret Patri, eiusque voluntati ac mandatis obtemperaret. Atque tantum negotium, quod Pater ei commiserat, ne exsequi quidem potuisset, si, iudaicis sacerdotibus similis, peccato obnoxius fuisset et morti. Quem Deus destinaverat, ut esset τοις ὑπακουουσιν αὐτῳ πασιν αἰτιος σωτηριας αἰωνιου, eum oportebat esse ab omni sceleris contagio purum, super communem mortalium sortem elatum omnibusque hominibus longe praestantiorem, et immortalis vitae vi numquam deficiente pollentem, ut vere praedicare de se posset: ἐγω τιθημι την ψυχην μου ἀπ' ἐμαυτου· ἐξουσιαν ἐχω θειναι αὐτην, και ἐξουσιαν ἐχω παλιν λαβειν αὐτην. Io. X, 18. —. Ut igitur paucis argumentationis summam complectamur: e mosaica Melchisedeci descriptione, collato Psalmo CX, epistolae lectores debebant colligere, et pro ea cui adsueti erant libros Vet. Testamenti interpretandi ratione colligere facile poterant: a) Leviticis sacerdotibus Christianos sine ullo detrimento suo facile carere; b) cultum Aaroniticum iam antiquatum et in eius locum, Deo ipso iubente, substitutam esse longe praestantiorem summum Numen colendi rationem; c) hancce perfectiorem religionem, omnibus temporibus

aptam, nunquam abrogatum iri; d) genuinos huius religionis professores spem suam collocare in Christo; e) hunc, ex Patris decreto nunquam revocando, datum nobis esse σωτηριας αἰωνιου αἰτιον ac ἀρχηγον; eundem sanctitate non solum sed naturae etiam suae dignitate mortales omnes longissime antecedere.

II) Christus et moriendo de consequenda absque sacrificiorum pompa peccatorum *venia* nos reddidit certissimos, et *exaltatus* iam in coelum salutis nostrae curam gerit.

1) In coelum ad summam gloriam et dignitatem, ad quam nullus sacerdotum iudaicorum adspirare unquam potuit, evectus, generis humani dominus ecclesiaeque suae, quam sua doctrina suoque nutu gubernat, caput a Patre declaratus est. Quantum coelum distat a terra, tantum a Iudaeorum differt pontificibus.

2) Cum perpetuo apud Deum thronique eius quasi consors sit, quod nulli iudaico sacerdoti contigit, non statis tantum temporibus, ut mos est sacerdotum, demandato sibi munere fungitur, sed nullo unquam temporis momento hominibus prodesse cessat. Indesinenter fruimur beneficiis, quae Salvator optimus in nos contulit et continuo conferre pergit. Contra vero Iudaei parum fiduciae collocare possunt in caeremoniis, peractis a sacerdotibus, quibus, ne summo quidem pontifice excepto, interdictum

est, ne alio quam praescripto tempore ad Symbolum Numinis, nedum ad Deum ipsum, appropinquent.

3) et 4) Quae Christus pro hominum salute peregit et perpessus est, tantam vim habent, ut certi esse possimus, nullo posthac ad placandum Deum expiandosque homines opus esse sacrificio qualicunque.

5) Quanto is, qui ipse pro populi salute sese devovet diramque mortem pro bono publico obire haud perhorrescit, praestantior est illo, qui sacram mactandarum victimarum caerimoniam more solito peragit, tanto Christus quoscunque antecellit sacerdotes.

6) Inter pontifices ac sacerdotes tempore quoque multos fuisse homines sceleratos, ne plebi quidem ignotum erat. Sed nec optimi eorum tam fuere integri vitae scelerisque puri, ut venia ipsi non indigerent; id quod ultro professi sunt, dum ad sua expianda peccata ipsi sacrificia offerrent. Solus Christus ab omni peccati labe immunis fuit et obedientiam Deo praestitit perfectissimam. Quam ob causam mors, quam tenerrimo humani generis amore permotus, ut Dei decreto satisfieret, insons pro sontibus subiit, adeo placuit Patri, ut huius iussu declararetur, omnes vera fide in Christum credentes de gratia ac favore Dei multo esse posse per hanc ipsam Iesu mortem certiores, quam si sacrificiorum myriadas obtulissent. Nam

7) secundum constantem Iesu et apostolorum eius doctrinam, mortuus est Christus in remissionem peccatorum nostrorum.

8) Doctrinae, de salute nostra per Christum eiusque mortem reparata, mira est efficacia (Rom. I, 16. 1 Cor. I, 18.) tum ad animos nostros emendandos, tum ad dispellendos terrores ex peccatorum antea commissorum conscientia exortos.

Ex his satis intelligitur, *quaenam sit eorum* summa, quae sub imaginum *iudaicarum* involucris epistolae auctor lectoribus suis, iudaico et cogitandi et loquendi modo adsuetis, proponere voluerit. Memores tamen in adhibenda ad dogmaticos usus hac epistola esse nos decet, scriptam eam esse Christianis, h. e. homininibus, qui praecipua fidei christianae capita dudum dedicissent, et quibus e doctorum suorum institutione persuasum iam esset, Iesum esse Messiam, Dei filium, homines omnes longissime dignitate superantem; mortuum eum esse in remissionem peccatorum nostrorum, et quae sunt huius generis reliqua. Hinc non erat, cur eiusmodi dogmata auctor hoc loco uberius explicaret, sensum formularum in iis tradendis vulgo usurpatarum subtilius definiret, atque allatis argumentis veritatem eorum comprobaret. Sumit potius atque occupat haecce dogmata velut satis cognita et concessa, et totus in eo est, ut Ebraeis, nimiis Iudaismi admiratoribus, christianam religionem *commendet*, ipsisque persuadeat, a mosaica penitus diversam ac se-

iunctam esse hancce religionem, quippe quae tota spiritualis sit et, si nominum proprietas retineatur, sacerdotibus, templo, sacrificiis, caeterisque ritibus mosaicis careat; at non carere genuinos eius cultores iis bonis, quae ab istis mosaicis institutis Iudaei exspectarent; imo multo illis nobiliora et excellentiora esse beneficia, quae Christo debentur; horum magnitudinem si expendant Ebraei et simul secum reputent, exiguam nedum nullam vim ad animos hominum corrigendos et beandos inesse sacris Iudaeorum ritibus, fieri non posse, ut Iudaismi desiderio denuo capiantur; abrogatam iam esse imperfectiorem illam ex Mosis praescripto Deum caerimoniis colendi rationem; confirmari hoc posse ex ipso Ebraeorum sacro codice; itaque Numinis iram minime extimescendam esse ei, qui relicto Iudaismo ad Christi castra transeat; contra vero gravissime peccare, qui abiecta christiana religione ad iudaicam revertatur.

XXIV.

Natales Christi pie celebrandos civibus indicit academia Jenensis. Quid Ebr. III, 7. — IV, 11. κατακαπαυσεως θεου imagine adumbretur, disquiritur. Jenae. MDCCLXXXXII.

Operam nuper dedimus illustrandis imaginibus iudaicis, a sacerdotibus leviticis eorumque functionibus desumtis, quibus auctor epistolae ad Ebraeos in describenda Messiae provincia usus est. Sed praeter illas aliae plures imagines, itidem a rebus iudaicis et e sacris Iudaeorum libris petitae, in eadem epistola ad res adumbrandas christianas adhibentur. Inter has eminet subtilis illa et perquam arguta disputatio de requie Dei, (καταπαυσει θεου), cuius participes esse possint christiani ex Ebraeis, dummodo ab ἀπειθεια sive ἀπιστια sedulo sibi caveant. Ebr. 3, 7. — 4, 11. Universam hanc disser-

tationem auctor epistolae ceu fundamento superstruit Psalmo 95, quem praeeuntibus LXX interpretibus Davidi attribuit, dissentientibus recentioribus commentatoribus nonnullis, qui exilii demum tempore vatem carmen istud cecinisse non sine omni veri specie arbitrantur. Utut hoc est, Psaltes, postquam commate 7. Israelitas hortatus erat, ut tandem nunc (הַיּוֹם, σημερον,) voci Dei obtemperarent, inde a commate 8. Deum ipsum inducit loquentem et graviter Israelitas commonefacientem, ne imitentur perversos mores maiorum suorum, qui ex Aegyto educti in deserto propter inobedientiam suam perierant nec pervenire potuerant in terram Chananaeam. Hanc enim terram, Abraamo huiusque posteris promissam, intelligendam esse, ubi Deus dicit נִשְׁבַּעְתִּי בְאַפִּי אִם־יְבֹאוּן אֶל־מְנוּחָתִי, abunde patet ex Num. 14, 21. 22. 23. 28. 30. etc. 32, 10. 11. 12 quo illa Psalmi verba manifeste respiciunt. Graeci autem interpretes cum verterent: ὠμοσα ἐν τῃ ὀργῃ μου· εἰ εἰσελευσονται εἰς την καταπαυσιν μου, ansam variis dederunt explicationibus. Nam *καταπαυσις μου*, hoc est *θεου*, significare potest *tum* terrae a Deo promissae, Deoque auxiliante occupatae, quietam possessionem, ut Deut. 12, 9. *ουχ ἡκατε ἑως του νυν εἰς την καταπαυσιν και εἰς την κληρονομιαν, ἡν κυριος ὁ θεος ἡμων διδωσιν ὑμιν*, *tum* etiam locum, ubi Deus quasi habitat, velut Psalm. 132, 8. *ἀναστηθι κυριε εἰς την ἀναπαυσιν σου*, et comm. 14. *αὑτη ἡ καταπαυσις μου εἰς αἰωνα αἰωνος, ὡδε κατοικησω*, coll. Actor. 7, 49. *ποιον οἰκον οἰκοδο-*

μησετε μοι; ἡ τις τοπος της καταπαυσεως μου; *tum* praeterea requiem, tranquillitatem, felicitatem, quam Deus largitur, ut Sirac. 6, 28. ἀναπαυσις της σοφιας est tranquillitas, qua sapientia cultorum suorum animos beat, coll. Matth. 11, 28. 29. ἐγω ἀναπαυσω ὑμας, και εὑρησετε ἀναπαυσιν ταις ψυχαις ὑμων, *tum* denique requiem, similem ei, qua Deus ipse fruitur. Postremam hancce significationem, quamvis a Psalmo prorsus alienam, epistolae nostrae auctor arripuit, uti manifestum est e cap 4, 10. ὁ εἰσελθων εἰς καταπαυσιν αὐτου (του θεου), και αὐτος κατεπαυσεν — ὡσπερ — ὁ θεος. Hanc viam, salebrosam quidem, sed ad scopum quo tendebat, licet per ambages, deducentem, ingressus est allectus ambiguitate vocabuli ἀναπαυσις, quod non solum ebraeo מְנוּחָה respondet, verum etiam pro שַׁבָּת vel שַׁבָּתוֹן ponitur, v. c. Exod. 31, 15. ἑξ ἡμερας ποιησεις ἐργα, τῃ δε ἡμερᾳ τῃ ἑβδομῃ σαββατα, ἀναπαυσις ἁγια τῳ κυριῳ, (שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן קֹדֶשׁ לַיהוָה) et 2 Macc. 15, 1. ἡ της καταπαυσεως ἡμερα. Atque sic etiam verbum καταπαυειν adhibetur, mox de hominibus sabbatum celebrantibus, e. gr. Exod. 34, 21. ἑξ ἡμερας ἐργα, τῃ δε ἑβδομῃ καταπαυσεις, mox de Deo, ut Genes. 2, 2. κατεπαυσεν τῃ ἡμερᾳ τῃ ἑβδομῃ ἀπο παντων των ἐργων αὐτου, ὡν ἐποιησε, et Exod. 31, 17. ὁ θεος τῃ ἑβδομῃ κατεπαυσε και ἐπαυσατο (שָׁבַת וַיִּנָּפַשׁ). Ac fortasse ipsum illud μου in καταπαυσις μου Nostro occasionem cogitandi de sabbato praebuit. Saltim Philo, quocum Noster haud raro amice conspirat,

libro de Cherubim *) observat, sabbatum saepius dici *Dei* sabbatum: το σαββατον (ἑρμηνευεται δ' ἀναπαυσις) θεου φησιν εἰναι μωυσης πολλαχου της νομοθεσιας, οὐχι ἀνθρωπων. Nimirum aliquoties v. c. Exod. 31, 12. Levit. 19, 3. 30. 26, 2. legitur τα σαββατα μου φυλαξεσθε, et Levit. 23; 38 τα σαββατα κυριου, ac ibidem comm. 2. Deus dicit: αἱ ἑορται κυριου — αὑται εἰσιν αἱ ἑορται μου.

Dilogia igitur phraseos καταπαυσις θεου epistolae auctor in rem suam ita utitur, ut ei superstruat adhortationem ad Ebraeos, cuius summa haec fere est; „Psaltes, inquit, obtestatur lectores suos, ut *iam*, (σημερον) dum Dei vocem audire ipsis contingat, morigeros se praebeant, nec imitentur maiores suos contumaces et rebelles; nam Deum interposita iuris iurandi formula minatum esse, pervicaces haud perventuros esse ad καταπαυσιν θεου. Atqui eo tempore, quo vates coaevos suos ita alloquitur eosque hortatur, ut iam, σημερον, sibi caveant, ne ab ingressu in καταπαυσιν θεου arceantur, hoc inquam tempore Israelitae dudum ingressi fuerant in καταπαυσιν θεου, ac terram promissam occupaverant eandemque adhuc possidebant et inhabitabant. Hinc colligere licet, praeter illam καταπαυσιν, ad quam Iosua populum perduxerat, aliam dari, cuius participes fieri Davidis aetate poterant omnes, qui divinis mandatis obtemperarent. Quodsi vero Davidis aevo aditus adhuc patebat ad

*) Edit. Pfeifferi vol. 2. pag. 46.

καταπαυσιν, quis contendere audeat, nos, o Ebraei quorum spem Deus tot tantisque promissionibus erexit, exclusos ab ea esse? Quin potius *Vobis* etiam accessus ad καταπαυσιν omnino patet, et fas est Davidicis illis verbis vos alloqui: *hodie, dum* doctrina coelitus patefacta vobis annuntiatur, *nolite* refractarios vos gerere, ne vos ipsi privetis τῃ καταπαυσει, ut olim Israeliticus populus sua culpa ea excidit. Duo autem observanda hic veniunt, quae studiosius expendere vos velim. *Primo* animadvertere debetis, causam, cur *prisci Israelitae* ad καταπαυσιν non pervenerint, positam fuisse in eorum ἀπειθειᾳ seu ἀπιστιᾳ, nec pertingere ad eam posse, nisi τους πιστευσαντας. Deinde attentione vestra dignum est, quietem illam appellari *Dei* requiem. Deus autem, testibus sacris litteris, absoluta mundi creatione, die septima requievit ab operibus suis. Itaque vos quoque, ad Dei requiem pervenientes verumque sabbatum celebrantes, quiescetis ab operibus vestris."

Ex his cum appareat, auctorem nostrum, amphibolia vocis ἀναπαυσις abusum, phrasin ἀναπαυσις θεου sensu usurpasse longe diverso ab eo, quem in Psalmo habet, iam, quaenam ei notio subsit, quaeritur. Quietem indicari ei, qua Deus ipse fruitur analogam, supra monuimus. Sed quaenam haec sit requies, curatius indagandum est.

Recentiores quidem commentatores unanimi fere

consensu *) futurae post mortem vitae felicitatem depingi statuunt imagine repetita a requiete, qua nihil dulcius nihilque exoptatius populis orientis et omnibus sub calidiore coelo degentibus; Dei autem requiem nominari eam autumant, quia Deus quoque in coelis requiescit, h. e. beatissimus est. Plura sunt et satis speciosa, quae ad stabiliendam et exornandam hanc sententiam doctissimi viri protulere. Atqui fateri omnino debemus, non solum Apoc. 14. 13. pie defunctos dici ἀναπαυεσθαι ἐκ των κοπων αὐτων, et Sap. 4, 7. legi: δικαιος, ἐαν φθασῃ τελευτησαι, ἐν ἀναπαυσει ἐσται, verum in Rabbinorum etiam libris multa occurrere, quibus ista loci nostri interpretatio confirmari posse videatur. Ut enim auctor noster quietem de qua loquitur comparat cum sabbato et σαββατισμον eam vocat, ita Iudaeorum doctores sabbatum imaginem et typum esse tradunt futuri post resurrectionem mortuorum seculi, quod, secundum ipsos, totum sabbatum erit et quies **).

---

*) Praeter Grotium nominasse sufficiet Peircium, Sykesium, Chr. Frid. Schmidium, Zachariam, Michaelem, Morum, Carpzovium, Storrium, Rosenmüllerum, Hezelium, Heinrichsium, viros celeberrimos. Eandem viam ingressi olim iam fuerant Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Beda venerab. Alcuinus, Atto vercell. alii.

**) Vide locos Rabbinorum collectos a Schoetgenio in horis ebraic. et talmud. ad h. l. Whitbyo in paraphr. ad Ebr. 4, 9. et Wetstenio ad h. l.

Verum difficultatibus haud caret ista locum nostrum interpretandi ratio *). Quod Apoc. 14. legitur, ἀναπαυεσθαι ἐκ των κοπων, requiescere a vitae huius miseriis ac aerumnis, id vix conferri potest cum nostro καταπαυειν ἀπο των ἐργων, καθως ἀπο των ἰδιων κατεπαυσεν ὁ Θεος. Nec illi Rabbinorum loci in nostrum apte quadrant. Etenim Rabbini, ubi sabbatum futuri seculi exemplar esse tradunt, loquuntur de sabbato, quod Iudaei vacatione ab omni opere celebrant. *Nostrae autem* epistolae auctor huius sabbati, *cuius observatio* Israelitis lege praescripta fuit, plane non meminit, sed unice Geneseos locum premit, ubi Deus septima die, finita rerum omnium creatione, quievisse perhibetur. In primis vero repetitis vicibus comm. 3. 4. et 10. hoc urget, καταπαυσιν Θεου esse καταπαυσιν ἀπο των ἐργων, ideoque eam etiam καταπαυσιν αὐτου, ad quam participandam nos incitat, non esse aliam, quam καταπαυσιν ἀπο των ἐργων. Hoc vero a totius disputationis argumento et consilio prorsus alienum videtur, si de futurae vi-

*) Ingenue professus hoc est novissimus commentator, clar. Heinrichs. „Incipit iam, inquit, apostolus pro more suo commentari in locum laudatum (Psalmi), ita tamen copiose, ut a via, quam inierat — prorsus dilabatur, et ita acute ac subtiliter, ut neminem eius consilium prorsus assecuturum crediderim. Seriem cogitatorum Apostoli absque errore omni persequi despero.“ *Epist. Paulli ad Ebraeos perpetua annotatione illustrata.* pag. 74. Vide etiam pag. 81.

tae beatitate disserit auctor. Nam huius vitae acer. bitates et aerumnae nullo modo comparari possunt cum operibus, a quibus Deus septima illa die quievisse seu cessasse narratur. Quin omnia ista, quae leguntur inde a capitis 4 commate 3 medio, a verbis καιτοι των ἐργων, usque ad comma 11. rectius abfuissent, si auctor hoc tantum voluisset: „Quemadmodum ii, qui rebellaverant adversus Mosen excludebantur a quieta habitatione in terra Chananaea ipsis promissa, ita quicunque a Messia, Mose multo excellentiore, desciscunt et ad Iudaismum iterum transcurrunt, spe excidunt futurae felicitatis, quam Deus credentibus et morigeris pollicitus est.“

Quae cum ita sint, alia loci difficilis huius explicatio, quae nonnullis interpretibus *) sese probavit, a recentioribus autem fere omnibus neglecta et repudiata est, haud indigna videtur, quae novo examini subiiciatur. Nimirum ἀναπαυσεως nomine indicari etiam potuit cessatio ab operibus mosaicae

---

*) Proposuerunt eam, praeter alios, Akerslootius, Braunius, Cramerus, Semlerus in introductione praemissa commentario Baumgarteniano in epistolam ad Ebraeos pag. 111 et 114 seq. et Guil. Abr. Tellerus, V. V. in *Wörterbuch des N. T.* voc. *Ruhe* et *Werck*. Eidem loci nostri interpretationi calculum suum quondam adiecerat etiam Michaelis in notis, quas adpersit latinae versioni paraphraseos Peircianae; sed postea, sententia mutata, in commentario suo in epist. ad Ebr. interpretationem studiose antea a se exornatam argumentis impugnavit, quae parum valida nobis videntur.

legis; quies ac liberatio a iugo cervicibus Iudaeorum imposito, quod neque patres eorum nec ipsi ferre poterant, Act. 15, 10. quod vero excutiunt, qui aures suas dant Christo blande compellanti: ad me venite omnes οἱ κοπιωντες, ego vos αναπαυσω; meum subite iugum, si invenire cupitis ἀναπαυσιν ταις ψυχαις ὑμων; nam meum iugum commodum est et onus, quod impono, leve. Matth. 11, 28—30. Ex horum igitur interpretum sententia requies, de qua textus noster loquitur, est emancipatio eorum, qui antea, dum velut νηπιοι paedagogo essent subditi, servis similes erant et δεδουλωμενοι ὑπο τα στοιχεια του κοσμου, nunc autem, ἐλθουσης της πιστεως et dimisso paedagogo, sui iuris facti sunt, Dei filii ac haeredes. Gal. 3, 23—4, 5. Brevissime et ad rem accommodatissime dicere licebit, καταπαυσιν esse δικαιωσιν δια πιστεως χωρις ἐργων. quae scite ἀναπαυσις ἀπ' ἐργων, scilicet νομου, vocari potuit, ut alibi (Rom. 4. 4. 5.) Iudaizantes, fiduciam suam in sedula operum legis observatione collocantes, ἐργαζομενοι appellantur, et docetur, τῳ μη ἐργαζομενῳ (adeoque καταπαυοντι), πιστευοντι δε ἐπι τον δικαιουντα τον ἀσεβη, λογιζεσθαι την πιστιν αὐτου εἰς δικαιοσυνην.

Sensus pericopae nostrae, qui admissa hac vocis ἀναπαυσις significatione enascitur, 1) apprime conveniens est epistolae auctori, scopo et lectoribus. Si Paullus epistolae est *auctor*, mirum profecto esset, si dogma de gratia, neutiquam operibus lege mosaica praescriptis promerenda, sed per fidem

consequenda, in hocce libello plane non attigisset, cum alibi quacunque oblata occasione Exiudaeis inculcare id soleat. Nec ab eius ingenio, in Rabbinorum scholis exculto, tractationis allegoricae, qualis haec est de requie ab ἐϱγοις νομου, abhorret subtilitas. Vid. Gal. 4, 21—31. Rom. 7, 1—6. 1 Cor. 9, 1—6. Sin Paullum epistolam exarasse negas, facile tamen, cum alias ob causas tum propter Timothei mentionem cap. 13, 23. factam, concedes, scriptam eam esse a Paullinae disciplinae alumno et familiari apostoli, quem libenter in palmariam scholae Paullinae doctrinam excurrendi occasionem captasse, valde est probabile. Ad *lectores* quod attinet, quibus scripta haec sunt, fuerunt ii Iudaismo admodum dediti et mosaicorum institutorum ac praeceptorum nimii admiratores, qui procul omni dubio ἐϱγοις νομου plus iusto tribuebant et iis annumerandi erant, quos Paullus Rom. 4, 4. ἐϱγαζομενους vocat, qui, ἀγνοουντες την του Θεου (την ἐκ πιστεως) δικαιοσυνην, και την ἰδιαν (την ἐξ ἐϱγων νομου) ζητουντες στησαι, τῃ δικαιοσυνῃ του Θεου οὐχ ὑπεταγησαν. Rom. 10, 3. Huiusmodi homines, saltim in transcursu, admonere, cessationem a legis operibus nobilissimum esse σαββατισμον, auctori perquam utile ac necessarium videri poterat, nedum debebat. Consentaneum sane id erat *consilio*, quo universa epistola conscripta est. Omnia enim eo collineant, ut Ebraei de christianae religionis prae iudaica praestantia edoceantur et ab insano erga Iudaismum studio revocentur. Ad Iudaismum

re *). Quoad priorem partem, quae usque ad cap. 4, 3. protenditur, assentimur iis interpretibus, qui καταπαυσιν *felicitatis* esse imaginem contendunt **). Nolimus tamen de sola accipi post mortem beatitudine, sed generatim de felicitate, quam Christo cum in hac vita debemus, tum in futura acceptam referemus ***). Quod vero attinet ad posteriorem pericopae partem, transitum ab altera significatione ad alteram sic mente concipere poterimus. Postquam auctor cap. 4. 1. hortatus erat lectores, ne deserendo sacra christiana promissae sibi felicitatis expertes se facerent, comm. 2. addit, a) nobis aeque ac priscis Israelitis promissam esse felicitatem, b) participes eius fieri solos πιστευσαντας. Utrumque repetit comm. 3. ineunte et confirmat verbis Psalmi iterum prolatis: *ει εισελευσονται εις την* καταπαυσιν μου. Atque *nunc demum* animum eius subiisse videtur cogitatio, καταπαυσιν μου esse καταπαυσιν θεου. Haec in memoriam eius revoca-

---

*) Exemplum haud absimile talis amphiboliae habes cap. 9, 15—26. ubi διαθηκη mox pro *foedere* mox pro *testamento* ponitur.

**) Nostra parum interest, utrum hanc significationem e vulgari opinione et sensu populorum orientalium, quietem summi boni loco habentium, derives, an vero statuas, auctorem quietas in terra promissa sedes τυπικως explicasse.

***) Vide cap. 3, 14. μετοχοι γεγοναμεν του Χριστου, et cap. 4. 2. εσμεν ευηγγελισμενοι, coll. Matth. 11, 28. εγω αναπαυσω υμας.

talia opera cum istis Dei operibus comparare poterat auctor, in Rabbinorum scholis enutritus et iudaicis Medraschim adsuetus. Sic, dum de mosaicorum, institutorum abrogatione veriora lectores edocet, parcit simul eorum imbecillitati et nobilissimae ac suavissimae imaginis quasi velo obtegit eam institutionis suae partem, quae si nude et palam proposita fuisset, Ebraeos patriae religionis tenacissimos non offendere non potuisset. Eodem artificio per totam epistolam eum uti, nemo ignorat. Praeterea verissime καταπαυσιν dixit cessationem ab operibus, qua maximam partem valde molestis.

Sed si ingenue quod res est dicere velimus, fateri debebimus, hanc formulae καταπαυσις θεου significationem, quamvis postremis, ut vidimus, textus commatibus convenientissima sit, ad priorem tamen pericopae partem non aeque bene posse accommodari. Saltim a cap. 3, 7. ad cap. 4, 2. plane nullum deprehendimus vestigium, e quo colligere liceat, menti auctoris, dum haec scriberet, obversatam esse καταπαυσεως ἀπο των ἐργων ideam.

Itaque omnia, si rite expendantur, ad coniecturam nos deducunt, quae commentatorum sagacitatem effugisse videtur. Suspicamur nimirum, καταπαυσιν θεου, de cuius formulae ambiguitate supra diximus, non solum aliter sumi in loco e Psalmo excitato, cap. 3, 11. aliter in loci huius ad Ebraeos applicatione, sed alio etiam usurpari sensu in priore applicationis particula, alio in posterio-

dem sumus a gravi iugo operum, quae mosaica lex a Iudaeis exigebat. Sed Idem etiam praecepit, ut omnes, qui ad requiem ab Ipso paratam pertingere cupiunt, *περιπατησωσιν ἀξιως του κυριου εἰς πασαν ἀρεσκειαν, ἐν παντι ἐργῳ ἀγαθῳ καρποφορουντες.*

P. P. ipso Natalium Christi festo. MDCCLXXXXII.

XXV.

Pentecostes festos dies pie celebrandos civibus indicit academia Ienensis. Inest locorum Novi Testamenti ad ascensum Christi in coelum spectantium sylloge. Jenae. MDCCLXXXXIII.

Iesum quadragesimo post resurrectionem e sepulcro die praesentibus et spectantibus apostolis sublatum e terra in coelum fuisse, Lucas cum in Evangelio cap. 24, 51. tum paullo uberius additisque nonnullis περιστασεσι in suo de apostolorum actis commentario cap. 1, 9-11. testatus est. Eadem res in Marci quoque Evangelio, cap. 16, 19. licet paucis tantum verbis, attingitur. Matthaeus vero et Ioannes nullam prorsus eius mentionem fecerunt. Atque cum viri docti nonnulli authentiam ultimorum Evangelii Marci commatum nondum extra omnem dubitationem positam esse iudicent, eventus

tam singularis et mirabilis certitudo, nisi unice at potissimum tamen, Lucae narratione nititur. Immo in Lucae Evangelio cap. 24, 51. codex cantabrigiensis, adstipulantibus vetustissimis latinis libris, veronensi, vercellensi et corbeiensi, ac assentiente Augustino, omittit verba *και ἀνεφερετο εἰς τον οὐρανον* et *προσκυνησαντες αὐτον*, quibus iugulatis restarent tantum haec: *και ἐγενετο ἐν τῳ εὐλογειν αὐτον αὐτους, διεστη ἀπ' αὐτων*, (coll. comm. 31.) *και αὐτοι ὑπεστρεψαν εἰς ἱερουσαλημ μετα χαρας μεγαλης*, quae verba, sic constituta, *claram assumtionis* in coelum descriptionem minime continerent. Quare, qui hanc lectionem antiquissimam praeferunt et postrema Marci commata dubia saltim esse censent, praeter locum Actor. 1, 9—11. nullam agnoscunt in Novo Testamento de visibili Iesu in coelum reditu narrationem. Quin cum hoc ipso Actorum loco Lucas angelorum apparitionem commemorarit, suspicari forte nonnulli possent, cum hanc tum vero etiam coniunctam cum illa Iesu in coelum adscensionem non vere evenisse, sed utramque *ἐν ὁραματι* (cuius generis plura apud Lucam reperiuntur) discipulorum mentibus oblatam fuisse, *modum* autem, quo Dominus e terra in coelum redierit, nusquam *historice* traditum inveniri. Quae cum ita sint, haud inutiliter operam nostram collocaturos nos esse putamus, si ex omnibus Novi Testamenti libris ea omnia, quae ad illum servatoris in coelum discessum, et generatim ad ipsius post mortem reditumque in vitam conditionem, ullo modo specta-

re videntur, colligamus et in classes nonnullas ita dispescamus, ut cuncta facilius uno mentis obtutu perlustrari queant, et doctrinae de Iesu in coelum assumtione fundamentum rectius examinari atque diiudicari possit.

Primo loco *sermones Domini in Matthaei, Marci et Lucae commentariis obvios* percurremus. In his vero eius rei, in quam inquirimus, vestigium certum et manifestum deprehendimus nullum. Interim notandi veniunt loci sequentes: a) ter quaterve Christus amicis suis praedixit, gravissimos perpessurum se esse cruciatus, mortemque in cruce subiturum cruentam, postea vero e sepulcro resurrecturum. Sed semper in resurrectionis mentione substitit, et assumtionem in coelum silentio pressit. Scilicet consilio suo sufficere putabat, si discipuli sui, ne forte trucidato ipso animum desponderent et a magistro deficerent, certiores redderentur, cruci adfixum atque necatum in vitam revocatum iri; quid autem deinceps sit secuturum, id tempus ipsum esse edocturum sciebat. b) Annunciavit discipulis suis, ab ipsis esse se discessurum. *'Ελευσονται ἡμεραι, και ὁταν ἀπαρθῃ ἀπ' αὐτων ὁ νυμφιος, τοτε νηστευσουσιν ἐν ἐκειναις ταις ἡμεραις*, Luc. 5, 35. *'Ελευσονται ἡμεραι, ὁτε ἐπιθυμησετε μιαν των ἡμερων του υἱου του ἀνθρωπου ἰδειν, και οὐκ ὀψεσθε· και ἐρουσιν ὑμιν· ἰδου ὡδε, ἡ ἰδου ἐκει, μη ἀπελθητε μηδε διωξητε.* Luc. 17, 22. 23. coll. cap. 21, 8. Hinc c) sui memoriam suis commendavit. *Τουτο ποιειτε εἰς την ἐμην ἀναμνησιν,* Luc. 22, 19. Verum d) re-

diturum se inopinato esse promisit. *Ἡι ὡρα οὐ δοκειτε, ὁ υἱος του ἀνθρωπου ἐρχεται*, Luc. 12, 40. Hunc reditum e) comparat cum fulgure, quod ubique conspicitur quidem, neque tamen hic aut ibi esse dici exactius potest. *Ὡσπερ ἡ ἀστραπη ἡ ἀστραπτουσα ἐκ της ὑπ' οὐρανον εἰς την ὑπ' οὐρανον λαμπει, οὑτως ἐσται ὁ υἱος του ἀνθρωπου ἐν τῃ ἡμερᾳ αὐτου*. Luc. 17, 34. Hunc suum reditum f) describit tanquam valde gloriosum, atque universim conditionem suam verbis depingit admodum magnificis. Filius hominis, inquit, *μελλει ἐρχεσθαι ἐν τῃ δοξῃ του πατρος αὐτου μετα των ἀγγελων αὐτου, και τοτε ἀποδωσει ἑκαστῳ κατα την πραξιν αὐτου*. Matth. 16, 27. *Φανησεται το σημειον του υἱου του ἀνθρωπου ἐν τῳ οὐρανῳ . . . ὀψονται τον υἱον του ἀνθρωπου ἐρχομενον ἐπι των νεφελων του οὐρανου μετα δυναμεως και δοξης πολλης κ. τ. λ.* Matth. 24, 30. coll. Marc. 13, 26. et Luc. 21, 27. *Ὁταν ἐλθῃ ὁ υἱος του ἀνθρωπου ἐν τῃ δοξῃ αὐτου, και παντες οἱ ἀγγελοι μετ' αὐτου, τοτε καθισει ἐπι θρονου δοξης αὐτου, και συναχθησεται ἐμπροσθεν αὐτου παντα τα ἐθνη*, Matth. 25, 31 32. *Ἀπ' ἀρτι ὀψεσθε τον υἱον του ἀνθρωπου καθημενον ἐκ δεξιων της δυναμεως, και ἐρχομενον ἐπι των νεφελων του οὐρανου*, Matth. 26, 64. coll. Marc. 14, 62. et *ἀπο του νυν ἐσται ὁ υἱος του ἀνθρωπου καθημενος ἐκ δεξιων της δυναμεως του θεου*, Luc. 22, 69. Interdum addit, secum etiam discipulos suos tunc in Patris sui regno esse futuros. *Ἐν τῃ παλιγγενεσιᾳ ὁταν καθισῃ ὁ υἱος του ἀνθρωπου ἐπι θρονου δοξης αὐτου, καθισεσθε και*

ὑμεις ἐπι δωδεκα θρονους κρινοντες τας δωδεκα φυλας του ἰσραηλ, Matth. 19, 28. Οὐ μη πιω ἀπ' ἀρτι ἐκ τουτου του γεννηματος της ἀμπελου, ἑως της ἡμερας ἐκεινης ὁταν αὐτο πινω μεθ' ὑμων καινον ἐν τη βασιλεια του πατρος μου, Matth. 26, 29. coll. Luc. 22, 16. 18. Διατιθεμαι ὑμιν βασιλειαν, ἱνα ἐσθιητε και πινητε ἐπι της τραπεζης μου ἐν τη βασιλεια μου, καὶ καθισησθε ἐπι θρονων, κρινοντες τας δωδεκα φυλας του ἰσραηλ, Luc. 22, 30. Hasce imagines sive de vitae post mortem futurae felicitate interpreteris, sive dè summo imperio in ecclesiam huiusque post iudaicae reipublicae eversionem beatiore conditione exponas, sive alio quocunque modo eas explices, certe nullum iis inest indicium, Iesum visibili modo, quoad corpus etiam, in coelum iri evectum. g) Paucis ante passionis suae initium horis discipulis suis promisit: μετα το ἐγερθηναι με προαξω ὑμας εἰς την γαλιλαιαν, Marc. 14, 28. Quid vero tunc porro futurum sit, non addidit. h) Moribundus unum ex maleficis, una cum ipso cruci adfixum, his verbis allocutus est: σημερον μετ' ἐμου ἐση ἐν τῳ παραδεισῳ, Luc. 23, 43. i) Post resurrectionem ἐδοθη μοι, inquit, πασα ἐξουσια ἐν οὐρανῳ και ἐπι γης et ἐγω μεθ' ὑμων εἰμι πασας τας ἡμερας, ἑως της συντελειας του αἰωνος, Matth. 28, 18. 20. et ταυτα ἐδει παθειν τον χριστον και εἰσελθειν εἰς την δοξαν αὐτου, Luc. 24, 26. Quaenam autem haec δοξα sit, definite haud indicavit.

In *sermonibus Christi a Ioanne in litteras relatis* paullo plura occurrunt et luculentiora, quae ad causam nostram pertinent. Praedixit nimirum Dominus a) relicturum se esse cum Iudaeos tum discipulos et discessurum e terrena hac vita, abiturum vero ad Patrem. *Ἐτι μικρον μεθ' ὑμων εἰμι, και ὑπαγω προς τον πεμψαντα με. ζητησετε με και οὐχ εὑρησετε, και ὁπου εἰμι ἐγω ὑμεις* (o Iudaei) *οὐ δυνασθε ἐλθειν*, Io. 7, 33. 34. Idem repetiit cap. 8, 23. et declarationis causa addidit: *ὑμεις ἐκ των κατω ἐστε, ἐγω ἐκ των ἀνω εἰμι. ὑμεις ἐκ του κοσμου τουτου ἐστε, ἐγω οὐκ εἰμι ἐκ του κοσμου τουτου.* Sed eadem etiam discipulis suis dixit: *τεκνια, ἐτι μικρον μεθ' ὑμων εἰμι. ζητησετε με, και καθως εἰπον τοις ἰουδαιοις, ὁτι ὁπου ὑπαγω ἐγω ὑμεις οὐ δυνασθε ἐλθειν, και ὑμιν ἀρτι λεγω*, et interroganti Petro: *που ὑπαγεις;* respondit: *ὁπου ὑπαγω, οὐ δυνασαι μοι νυν ἀκολουθησαι, ὑστερον δε ἀκολουθησεις*, cap. 13, 33. 36. Simul tamen amicis promisit b) reversurum ad eos (post mortem) ipsisque iterum (vivum) conspiciendum se esse praebiturum: *οὐκ ἀφησω ὑμας ὀρφανους. ἐρχομαι προς ὑμας* (coll. cap. 14, 28.) *ἐτι μικρον, και ὁ κοσμος με οὐκ ἐτι θεωρει, ὑμεις δε θεωρειτε με. ὁτι ἐγω ζω, και ὑμεις ζησεσθε.* Io, 14, 18. 19. *Μικρον, και οὐ θεωρειτε με, και παλιν μικρον, και ὀψεσθε με· ὁ κοσμος χαρησεται. ὑμεις δε λυπηθησεσθε. ἀλλ' ἡ λυπη ὑμων εἰς χαραν γενησεται*, cap. 16, 16. 19. 20. *Ὑμεις λυπην μεν ἐχετε. παλιν δε ὀψομαι ὑμας. και χαρησεται ὑμων ἡ καρδια, και την χαραν ὑμων οὐδεις*

αἴρει ἀφ' ὑμων, cap. 16, 22. Ne vero ultima haec verba temere ita explicarent, Dominum post reditum suum perpetuo cum discipulis in hac terra esse permansurum, Iesus triplici modo cavit. Scilicet primum c) edocuit eos iam ante mortem suam, uberrimos utilitatis fructus ex abitu suo ipsos esse percepturos; nam abiturum se esse ad Patrem et apud hunc ipsorum commoda se esse promoturum. Νυν ὑπαγω προς τον πεμψαντα με . . . συμφερει ὑμιν, ἱνα ἐγω ἀπελθω. ἐαν γαρ μη ἀπελθω, ὁ παρακλητος οὐκ ἐλευσεται προς ὑμας. ἐαν δε πορευθω, πεμψω αὐτον προς ὑμας . . . προς τον πατερα ὑπαγω, και οὐκ ἐτι θεωρειτε με, Io. 16, 5. 7. 10. 'Εγω ἐρωτησω τον πατερα, και ἀλλον παρακλητον δωσει ὑμιν, ἱνα μενῃ μεθ' ὑμων εἰς τον αἰωνα, cap. 14, 16. coll. 15, 26. 'Ο πιστευων εἰς ἐμε, τα ἐργα, ἁ ἐγω ποιω, κἀκεινος ποιησει, και μειζονα τουτων ποιησει· ὁτι ἐγω προς τον πατερα πορευομαι. και ὁ, τι ἀν αἰτησητε εν τῳ ὀνοματι μου, τουτο ποιησω. cap. 14, 12. 13. Immo pollicitus est amicis suis, deducturum se eos esse ad sedes illas beatas, quo iam praeeat. 'Εν τῃ οἰκιᾳ του πατρος μου μοναι πολλαι εἰσιν. εἰ δε μη, εἰπον ἀν ὑμιν. πορευομαι ἑτοιμασαι τοπον ὑμιν. και ἐαν πορευθω και ἑτοιμασω ὑμιν τοπον, παλιν ἐρχομαι και παραληψομαι ὑμας προς ἐμαυτον, ἱνα ὁπου εἰμι ἐγω, και ὑμεις ἠτε, cap. 14. 2. 3. Πατερ θελω ἱνα ὁπου εἰμι ἐγω, κἀκεινοι ὠσι μετ' ἐμου, ἱνα θεωρωσι την δοξαν την ἐμην cap. 17, 24. Praeterea d) post resurrectionem suam, cum iam, prout pollicitus erat, ad amicos rediisset, de-

nuo de futuro quodam reditu suo locutus est cum discipulis, atque sic se iam ab iis iterum esse discessurum haud obscure innuit: ἐαν αὐτον (Ioannem) θελω μενειν ἑως ἐρχομαι, τι προς σε; cap. 21, 22. Denique Mariam Magdalenam, cui mox post resurrectionem se conspiciendum praebuit, e) disertis verbis edocuit, ad Patrem se esse ascensurum: μη μου ἁπτου, ait, ΟΥΠΩ γαρ ἈΝΑΒΕΒΗΚΑ προς τον πατερα μου. πορευου δε προς τους ἀδελφους μου και εἰπε αὐτοις· ἈΝΑΒΑΙΝΩ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΜΟΥ και πατερα ὑμων, και θεον μου και θεον ὑμων, cap. 20, 17. Quonam vero sensu illud ἀναβαινειν προς τον πατερα usurpaverit, colligi potest f) ex aliis locis, quibus professus est, rediturum se esse in coelum, unde descenderit. Ἐαν οὐν, inquit, θεωρητε τον υἱον του ἀνθρωπου ἈΝΑΒΑΙΝΟΝΤΑ, ὉΠΟΥ ἮΝ ΤΟ ΠΡΟΤΕΡΟΝ; Io. 6, 62. Ἐξηλθον παρα του πατρος και ἐληλυθα εἰς τον κοσμον. παλιν ἀφιημι τον κοσμον και πορευομαι προς τον πατερα, cap. 16, 28. Πατερ δοξασον σου τον υἱον . . . δοξασον με παρα σεαυτῳ τῃ δοξῃ, ᾗ εἰχον προ του τον κοσμον εἰναι παρα σοι . . . οὐκ ἐτι εἰμι ἐν τῳ κοσμῳ . . . και ἐγω προς σε ἐρχομαι, cap. 17, 1. 5. 11. 13. Ἐι ἀγαπατε με, ἐχαρητε ἀν, ὁτι πορευομαι προς τον πατερα. ὁτι ὁ πατηρ μειζων μου ἐστιν, cap. 14, 28. Ad illustrandum illud: ὁ υἱος του ἀνθρωπου ἀναβαινει, ὁπου ἠν το προτερον, conferri possunt ii loci, quibus Christus se apud Deum fuisse, e coelo oriundum se esse, indeque descendisse, affirmat. Ὁ ὠν παρα του θεου,

οὗτος ἑωρακε τον πατερα, Io. 6, 16. Οὐδεις ἀναβεβηκεν εἰς τον οὐρανον, εἰ μη ὁ ἐκ του οὐρανου καταβας, ὁ υἱος του ἀνθρωπου, ὁ ὢν ἐν τῳ οὐρανῳ, cap 3, 13. Καταβεβηκα ἐκ του οὐρανου, cap. 6, 38 coll. comm. 42. et cap. 3, 31. 32. — Ex his omnibus inter se collatis efficitur, Christum saepius de suo in coelum, unde descenderit, ad Patrem, a quo missus sit, reditu verba fecisse. Quonam autem modo ac tempore eo reversurus sit, nunquam, ne post resurrectionem quidem, clare elocutus est

Progredimur ad *apostolorum sermones*, qui in eorundem actis a Luca conscriptis leguntur. a) *Petrus* decimo die, postquam Christus in hac terra versari desiisset, τουτον, inquit, ἀνεστησεν ὁ Θεος· τῃ δεξιᾳ οὐν του Θεου ὑψωθεις (ab omnipotente Deo iam exaltatus) . . . ἐξεχεε τουτο κ. τ. λ. Act. 2, 32. 33. Οὐ δαβιδ ἀνεβη εἰς τους οὐρανους. Hinc verba Psalmi: καθου ἐκ δεξιων μου, applicare licet ad Christum, (quippe qui ἀνεβη εἰς τους οὐρανους και ἐκαθισεν ἐν δεξιᾳ του Θεου.) cap. 2, 34 Δει αὐτον οὐρανον δεξασθαι ἀχρι χρονων ἀποκαταστασεως παντων κ. τ. λ. cap. 3, 21. Itaque paucis hebdomadibus post illud tempus, quo Iesus, secundum Lucae narrationem, in coelum evectus fuit, Petrus, teste eodem Luca, Christum in coelo iam esse, ibique ad dexteram Patris consedisse, publice professus est. b) *Paulus* in oratione habita in Antiochenorum synagoga Christum e sepulcro suscitatum mortuum iterum esse negavit. Ὁ Θεος, ait, ἀνεστησεν αὐτον ἐκ νεκρων, μηκετι μελλοντα ὑποστρεφειν

εἰς διαφθοραν . . . ὃν ὁ θεος ἠγειρεν, οὐκ εἰδε διαφθοραν, Act. 13, 34-37. Praeterea c) *Stephanus* moribundus, ὑπαρχων πληρης πνευματος ἁγιου, ἀτενισας εἰς τον οὐρανον, εἰδε δοξαν θεου, και ἰησουν ἑστωτα ἐκ δεξιων του θεου, Act. 7, 55. et *Saulum* prope Damascum Iesus ita e coelo allocutus est: ἐγω εἰμι ἰησους κ. τ. λ. cap. 9, 5, coll. comm. 27 et cap. 22, 14.

Epistolae catholicae vix quidquam, quo ad illustrandam causam nostram uti possis, *continent*, *si priorem Petri* excipias, e qua transscribendi huc sunt loci nonnulli, cum orationum Petrinarum in apostolorum Actis extantium argumento bene concordantes. Petrus, prophetae, inquit, praedixerunt τα εἰς χριστον παθηματα και τας μετα ταυτα δοξας, 1. ep. 1, 11. coll. 4, 13. Θεος ἠγειρεν αὐτον ἐκ νεκρων και δοξαν αὐτῳ ἐδωκεν, cap. 1, 21. Quaenam autem sit haec δοξα, paullo clarius edisseritur his verbis: χριστος . . . θανατωθεις μεν σαρκι, ζωοποιηθεις δε πνευματι, ἐν ᾡ και τοις ἐν φυλακῃ πνευμασι πορευθεις ἐκηρυξεν . . . ἰησους χριστος, ὁς ἐστιν ἐν δεξιᾳ του θεου, ΠΟΡΕΥΘΕΙΣ ΕΙΣ ΟΥΡΑΝΟΝ, ὑποταγεντων αὐτῳ ἀγγελων κ. τ. λ. cap. 3, 18—22.

Restant *Paulli epistolae*, quibus illam ad Ebraeos annumerare hic licebit. Hae sat multa et luculenta continent testimonia de Iesu post resurrectionem vita perenni ac coelesti, corpore iam glorificato, summa, qua ad dexteram Dei elatus fruitur, gloria et maiestate, ac immensa qua pollet auctoritate et potentia, et de reditu eius olim exspectando ad resus-

citandos mortuos et exercendum iudicium. E tanta autem Paullinorum effatorum copia, potiora tantum seligemus. a) Christus post resurrectionem non iterum moritur: *χριστος, ἐγερθεις ἐκ νεκρων, οὐκετι ἀποθνησκει· θανατος αὐτου οὐκετι κυριευει*, Rom. 6, 9. Hanc ob causam ei tribuitur *δυναμις ζωης ἀκαταλυτου*, Ebr. 7, 16. atque hinc porro auctor epistolae ad Ebraeos derivat, potuisse eum sacerdotio fungi sempiterno: *δια το μενειν αὐτον εἰς τον αἰωνα, ἀπαραβατον ἐχει την ἱερωσυνην· ὁθεν και σωζειν εἰς το παντελες δυναται τους προσερχομενους δι' αὐτου τῳ θεῳ, παντοτε ζων, εἰς το ἐντυγχανειν ὑπερ αὐτων*, cap. 7, 24. 25. coll. etiam cap. 9, 27. 28. b) Christus ubique a Paullo describitur tanquam vivus. Ei *χριστος ἐσταυρωθη ἐξ ἀσθενειας, ἀλλα ζη ἐκ δυναμεως θεου*, 2 Cor. 13, 4. coll. cap. 4, 10-12. Rom. 5, 10. *Ὁ ἀπεθανε, τῃ ἁμαρτιᾳ ἀπεθανεν ἐφαπαξ· ὁ δε ζη, ζη τῳ θεῳ*, Rom. 6, 10. Vivit autem Christus novam vitam, in qua imitari ipsum debemus: *ὡσπερ ἠγερθη χριστος ἐκ νεκρων δια της δοξης του πατρος, οὑτω και ἡμεις ἐν καινοτητι ζωης περιπατησωμεν*, Rom. 6, 4. et vitam nostram consecrare nos decet *τῳ ὑπερ ἡμων ἀποθανοντι και ἐγερθεντι*, 2 Cor. 5, 15. *ἱνα, εἰτε γρηγορωμεν εἰτε καθευδωμεν, ἁμα συν αὐτῳ ζησωμεν*, 1 Thess. 5, 10. Sic omnino una cum ipso et nos vivemus ac glorificabimur: *εἰπερ συμπασχομεν, ἱνα και συνδοξασθωμεν*, Rom. 8, 17. Ei *συναπεθανομεν, και συζησομεν· εἰ ὑπομενομεν, και συμβασιλευσομεν*, 2 Tim. 2, 11. 12. c) Christus post mortem suam, quam

semel subiit (litt. a.) et post resurrectionem, adscendit in coelum: ὁ καταβας αὐτος ἐστι και ὁ ’ΑΝΑΒΑΣ ‘ΥΠΕΡΑΝΩ ΠΑΝΤΩΝ ΟΥΡΑΝΩΝ, ἱνα πληρωσῃ τα παντα, Eph. 4, 10. Οὐκ εἰς χειροποιητα ἁγια εἰσηλθεν (ὁ ἀρχιερευς ἡμων) ἀλλ’ εἰς αὐτον ΤΟΝ ΟΥΡΑΝΟΝ, νυν ἐμφανισθηναι τῳ προσωπῳ του θεου ὑπερ ἡμων, Ebr. 9, 21. Εἰς το ἐσωτερον του καταπετασματος προδρομος ὑπερ ἡμων εἰσηλθεν, Ebr. 6, 19. 20. coll. cap. 9, 12. ΔΙΗΛΘΕ ΤΟΥΣ ΟΥΡΑΝΟΥΣ, Ebr. 4, 14. atque sic ΑΝΕΛΗΦΘΗ ’ΕΝ ΔΟΞΗι, 1 Tim. 3, 16. coll. Act. 1, 11. ἰησους, ὁ ἀναληφθεις ἀφ’ ὑμων εἰς τον οὐρανον. d) Iam in coelo ad dexteram Patris sedet, nostraeque salutis curam in se suscepit: ὁ θεος ἠγειρεν αὐτον ἐκ νεκρων, και ἐκαθισεν ἐν δεξιᾳ αὐτου ἐν τοις ἐπουρανιοις ὑπερανω πασης ἀρχης . . . και παντα ὑπεταξεν ὑπο τους ποδας αὐτου και αὐτον ἐδωκε κεφαλην ὑπερ παντα τῃ ἐκκλησιᾳ . . . αὐτος ἐστι παντα ἐν πασι πληρουμενος, Eph. 1, 20 — 23. ’Εγερθεις, ἐστιν ἐν δεξιᾳ του θεου και ἐντυγχανει ὑπερ ἡμων, Rom. 8, 34. Δι’ ἑαυτου καθαρισμον ποιησαμενος των ἁμαρτιων, ἐκαθισεν ἐν δεξιᾳ της μεγαλωσυνης ἐν ὑψηλοις, Ebr. 1, 3. Μιαν ὑπερ ἁμαρτιων προσενεγκας θυσιαν, εἰς το διηνεκες ἐκαθισεν ἐν δεξιᾳ του θεου· το λοιπον ἐκδεχομενος, ἑως τεθωσιν οἱ ἐχθροι αὐτου ὑποποδιον των ποδων αὐτου, Ebr. 10, 12. 13. coll. cap. 2, 9. 8, 1. 12, 2. Phil. 2, 9 — 11. coll. 1, 18. Patris συνθρονος iam regnat, dominus omnium. Δει αὐτον βασιλευειν ἀχρις οὑ ἀν θῃ παντας τους ἐχθρους ὑπο τους ποδας αὐ-

του. 1 Cor. 15, 25. 27. 28. Εἰς τουτο ἀπεθανε και ἐζησεν, ἱνα και νεκρων και ζωντων κυριευσῃ, Rom. 14, 9. e) E coelo exspectamus eum olim rediturum, ἀναμενομεν τον υἱον θεου ἐκ των οὐρανων, ὁν ἠγειρεν ἐκ νεκρων, ἰησουν, 1 Thess. 1, 10. Ὁτι αὐτος ὁ κυριος ἐν κελευσματι, ἐν φωνῃ ἀρχαγγελου και ἐν σαλπιγγι θεου καταβησεται ἀπ' οὐρανου, και οἱ νεκροι ἐν χριστῳ ἀναστησονται πρωτον· ἐπειτα ἡμεις οἱ ζωντες οἱ περιλειπομενοι ἁμα συν αὐτοις ἁρπαγησομεθα ἐν νεφελαις εἰς ἀπαντησιν του κυριου εἰς ἀερα, 1 Thess. 4, 16. 17. coll. 3, 13. et 2 Thess. 1. 7. Venturus autem e coelo est iudex; nam παντας ἡμας φανερωθηναι δει ἐμπροσθεν του βηματος του χριστου κ. τ. λ. 2 Cor. 5, 10. et ipse dabit in illa die τον της δικαιοσυνης στεφανον πασι τοις ἠγαπηκοσι την ἐπιφανειαν αὐτου, 2 Tim. 4, 8. coll. Io. 5, 22. 27. 28. 29. Matth. 25, 31—46. f) Praeter corpora ἐπιγεια et θνητα dantur etiam corpora ἐπουρανια, ἀφθαρτα, πνευματικα, 1 Cor. 15, 40. 42—44. Atque tale iam est corpus Christi; ipse est ὁ ἐπουρανιος, ibid. vs. 48. Sed et nostra corpora olim in resurrectione conformabuntur ipsius corpori ἐπουρανιῳ et glorificatō: οἱος ὁ ἐπουρανιος, τοιουτοι οἱ ἐπουρανιοι· και καθως ἐφορεσαμεν την εἰκονα του χοϊκου, φορεσομεν και την εἰκονα του ἐπουρανιου, ibid. vs. 48. 49. Nam ipse μετασχηματισει το σωμα της ταπεινωσεως ἡμων συμμορφον τῳ σωματι της δοξης αὐτου, κατα την ἐνεργειαν του δυνασθαι αὐτον και ὑποταξαι ἑαυτῳ τα παντα. Caeterum g) Christus post resurrectionem a Paullo etiam visus (ἐν ὁραματι) fuit: οὐχι ἰησουν

χριστον τον κυριον ἡμων ἑωρακα aeque ac caeteri apostoli? 1 Cor. 9, 1. ἐσχατον παντων ὠφθη κἀμοι, 1 Cor. 15, 8. coll. Act. 9, 5. Denique h) speravit Paullus, statim post mortem suam ἐνδημησαι προς τον κυριον, 2 Cor. 5. 8. και συν χριστῳ εἰναι, Phil. 1, 23.

Si hos locos omnes e Novi Testamenti libris collectos studiose inter se comparamus, deprehendimus 1) historicam de Iesu in coelum adscensu narrationem non reperiri nisi apud Lucam tantum atque (si quidem genuina sunt postrema Evangelii Marci commata) apud Marcum. Attamen 2) Iesus ipse, teste Ioanne, cum ante mortem tum post resurrectionem suam, praenunciavit, adscensurum se esse in coelum et reversurum eo, unde (quoad illam φυσιν θειοτεραν, quam Ioannes illi tribuit) descenderit. 3) Petrus et Paullus publice docuerunt, Iesum post resurrectionem morti obnoxium haud fuisse, sed e sepulcro rediisse in vitam aeternum duraturam, eundemque ex hac terra profectum esse in coelum, et ibi, summa maiestate et gloria condecoratum, ad Patris dexteram consedisse. His 4) Paullus addidit, corpus Christi, quod post resurrectionem vere humanum corpus mansisse apostoli adspectu non solum sed tactu etiam edocti noverant, iam immortale esse, coeleste ac spirituale. 5) Hae Christi praedictiones et Petri Paullique assertiones bene conveniunt cum Lucae narratione de Christi vivi raptu in coelum. 6) Neque tamen apostoli historicas illius ἀναληψεως circumstantias auditoribus

vel lectoribus suis studiosius inculcare consueverant. 7) Potius id sedulo agere solebant, ut discipulis persuaderent, Christum obedientiae, quam Patri praestiterat, praemia reportasse longe maxima nostrumque captum superantia; eum apud Deum felicitate non solum frui inenarrabili, sed maiestate etiam gaudere tanta, ut maior cogitari non possit; dominum eum esse hominum, pie ab his colendum, ecclesiae suae caput unicum eiusdemque rectorem et defensorem, spiritualium bonorum largitorem munificentissimum, cultorum suorum apud Patrem patronum indulgentissimum, atque iudicem praemia suis olim iustissime distributurum. De his autem omnibus apostoli diligenter edocuere christianos, partim, ut hi tanti magistri ac doctoris, ad summum gloriae fastigium evecti, auctoritatem eo magis revererentur, partim, ut alacrius insisterent vestigiis ducis, qui non solum exempli, quo nobis praeivit, excellentia, sed etiam praemiorum quae consecutus est amplitudine, ad suae virtutis imitationem eos incitaret, partim, ut spem atque fiduciam suam in tali suae σωτηριας ἀρχηγῳ, quem Pater συνθρονον suum esse voluit, firmissime collocatam esse, plenius intelligerent. — In his substitere apostoli; in his subsistere nec nobis nefas erit.

Caeterum, Cives Carissimi, per otium, quod Pentecostes quae instant solemnia Vobis concedunt, diligenter Vobiscum reputate insignis beneficii magnitudinem, quo Christus proximis post suum ex hac terra discessum diebus apostolos suos, et per hos